Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

~~Ellzevier~~
~~A 186~~
KW 224
g 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

CARMINUM PUERILIUM ET JUVENILIUM

LIBRI IV.

VINCENTII PLACCII HAMBURGENSIS.



Koninklijk Bibliotheek te 's Hage.

AMSTELODAMI,

Apud PETRUM LE GRAND,

M. DC. LXVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

BENEVOLO
LECTORI
S. P. D.

POëticam neque laudare nunc neque defendere mihi animus eſt. Majoribus utrumque ingeniis, & graviore animorum contentione factitatum eſt, quam ut meæ hic induſtriæ aliquid reliquum videri poſſit. Tum ea eſt hujuſce ſeculi indoles, ut ſi umquam alias, ſane hac reipublicæ litterariæ facie

Exſpectes eadem à ſummo minimoque Poëta.

Adeo æquali ferè utrique omnium contemptu, ſicut olim applauſu, excipiuntur: indignum ſane vigiliarum ſuarum & arroſorum unguium fructum laturi, niſi quem ex aliena & publica non poſſunt, eum ex propria aut amicorum ſuorum ſecreta congratulatione percipiant. Neque vero eſt cur exiſtimet aliquis communem hanc eruditorum omnium cauſſam, eo quod verſiculos aliquos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

multum adhuc adoleſcens feci, propius ad me quam ad alium quemvis elegantioris litteraturæ non planè negligentem pertinere. Equidem nondum neque abjectè adeo de Poëticâ, neque arroganter ſatis de me ipſo ſentio, ut carminibus hiſce primo ætatis impetu, ſine arte atque cura omni effuſis, Poëtæ nomen promereri me poſſe confidam.

Illum dic eſſe Poëtam,
Cui eſt ingenium, cui mens divinior.

Cujus ut in me perparum agnoſco, ita ut hoc nomine Poëtarum patrocinium temerariâ prorſus audaciâ ſuſcipiam, numquam inducar. Imprimis cum propriam etiam cauſſam verear ne tueri non ſatis poſſim, ſiquidem & ſcriptionis hujus & editionis rationes explicare accuratius debeam. Eam tamen aliquam nunc, & qua contenti poſſint eſſe homines non illiberales omnino neque difficiles,

Si vacat, & placidi rationem admittitis, edam.

Neque vero longius illam mihi petendam

dam exiſtimo. Nam cum in Scholis tantum non omnibus Poëta continuo aliquis prima etiamnum linguæ Latinæ rudimenta depoſituris prælegatur: quid mirum, ſi quod fere ætati teneræ familiare eſt, ut fabellis nempe magis quam rebus ſeriis capiatur, idem mihi tunc temporis etiam accidit. Qui factum eſt, ut cum lubentius in illo lectionis ac ſtudii genere verſarer, tandem neſcio quo deſiderio poëtandi ſim correptus. Nimirum quemadmodum in ſole qui obambulant, etiam aliud agentes colorantur: ita & ego legendo quotidie Poëtas ſenſim ipſe verſiculos fundere non illubente venâ cœpi. Sane nihil naturæ eſt magis conſentaneum, quam quæ exempla quotidie ob oculos habeas, ea imitari. Quod cum ego experiri vellem, ſucceſſus ſpe felicior ut ad idem exercitii genus ſæpiuſculè reverterer, mentem protinus injecit. Neque jam retinebar ſermonibus illorum, qui hæc ſtudia ſumptus ſuos exercere negabant, antiquum illud ſubinde occinentes

Studium quid inutile tentas?
Frange puer calamos.
Quid enim tibi fiſtula reddet,
Quo tutere famem?

Nam præterea quod vix in alio ſcribendi genere impunè magis ingenioli mei vires tentaturum me perſpiciebam; non putabam mihi ſtudium hocce lucro metiendum eſſe, quod voluptate adeo exquiſita cultorem ſuum perfunderet. Quin imo cum neceſſariam interdum aliquam remiſſionem animo meo fore viderem: Sicut *agrum*, conſulente Varrone, *alternis annis relinqui oportet, aut paullo levioribus ſationibus ſerere*, ne videlicet continuo & nimio ſuctu terræ uber funditus exhauriatur, ita & ego animum meum ſeverioribus anxiæ Themidis aut tetricæ Minervæ ſtudiis aſſiduo occupatum, levioribus hiſce Muſarum ſacris, & negotioſo quodam otio temperandum atque reficiendum nonnumquam exiſtimavi. Neque id vitio mihi aut fraudi apud bonos ac ſapientes umquam fore ratus ſum, ſi quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

ties alii cuticulæ curandæ cauſſa ad popinas, ad theatra, imo ad fornices diverterent, toties ego animi relaxandi ergo, ad delubra Muſarum concederem, unde ſciebam non niſi aptiorem ad ea quæ modo relinquebam me reverſurum. Quam vero minime invitas ſe in conſuetudinem meam ſuaviſſimæ Pierides darent atque immergerent, vel eo ſatis manifeſto argumento facile colligebam, quod non cogitantem etiam interdum, ac propè reluctantem ad ſe avocarent, imo abriperent: quoties imprimis vel vacuo me, vel prægravato nimiis curis animo deprehenderent. Quo minus jure mihi quis ſuccenſeat, ſi tam amabile, tamque præclarum Divarum agmen ſponte ſe mihi inſinuans illiberali ac inurbana imo inhumana prorſus ruſticitate repellere non ſuſtinui. Et ex hoc quidem meo aliquot annorum cum Muſis conſortio, nata ſunt ea quæ vides B. L. Carmina Puerilia & Juvenilia: quæ uti numero pauca ſunt, ita nullum eorum (ſi Atlantidem exceperis) tam

eſt prolixum, quod triduo integro mihi conſtiterit. Ne jam gravioribus meis ſtudiis vim factam, aut illatum grave damnum aliquis criminetur. Adde quod pleraque illorum, aut in itinere, ubi meditationibus aliis vacare non licebat, aut in morbo conſtituto, ubi gravioribus curis animum liberare tantillum expediebat, imo neceſſum erat, nata ſunt, ac poſtmodo ſine cura, ſine arte ſicuti ſponte ſeſe ac non quæſita obtulerant, citra lituram ſæpe ullam in chartam ſunt conjecta. Neque vero cum anxietate mihi tractanda credebam illa ſtudia, ex quibus præter oblectamentum nihil quærebam. Neque ſemel concepta cum tædio mihi deinceps recognoſcenda arbitrabar, non niſi mihi & amicis ſcripturo.

Sed quam parum, aut nihil adeo diligentiæ, atque induſtriæ ad hæc qualiacunque mea carmina attulerim, vereor ne nimis etiam me tacente quibus hæc intelligere mos eſt agnoſcant. Qui facilius fortaſſis etiam ignoſcendum

huic

huic errori meo putaverint, niſi publicum eum feciſſem. In quo ſi quod eſt peccatum, quod non omne prorſus abnego, non tam meum illud recte dicas, quam ſeculi, cum quo inſanire etiam ſapientibus fas eſſe creditur. Et vero poſtquam magis etiam hodie atque olim umquam

Tenet inſanabile multos
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde ſeneſcit.

neque novum neque inſolitum videri debet, ſi me quoque juvenem epidemicus ille morbus aliquando invaſit, atque corripuit. Imo cum tot quotidie novorum & magna ex parte nugacium librorum volumina in orbe litterario tamquam atomi in intermundiis Democriticis circumvolent, & quærant ubi hæreant: annon ineptæ planè ſcrupuloſitatis, & religionis pluſquam ſuperſtitioſæ foret, *perituræ parcere chartæ*? Quod ſi quis ulterius mihi adhuc importunè moleſtus objiciat, *Quis leget hæc*? Sanè per me legat qui volet, Neque injuriam mihi

 hi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

hi fieri arbitrabor, ſi pauci præter cognatos aut amicos hæc perlegerint: cum & optimorum librorum ferè hoc fatum ſit, & egomet etiam pauciſſimos ex recentioribus Poëtis præter amicos ac familiaritate aut uſu cognitos inſpexerim. Qua conſideratione ductus, nolui ſanè aliis hæc offerre atque inſcribere quam iis, quos qualeſcunque etiam infelices & lævos ingenioli mei partus non ſine aliquibus blandimentis excepturos confidebam. Cognatis videlicet ac Præceptori, parentum inſtar honorandis, & Fratri dulciſſimo: cum tamen nec Amici deeſſent, qui ad hæc edenda animum præcipuè excitaſſent, neque Principes Viri, qui favore ſuo atque gratiâ jam olim aliam atque aliam verſiculorum meorum partem eſſent proſecuti. Verum hæc quidem ſterilis ingenioli mei qualiacunque germina ſub domeſtica & modica umbra rectius nunc adoleſcent, quæ nimia fortaſſis & exotica prorſus extinxiſſet. Quod ſi Deus vires & otium mihi continuaverit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

non deerunt alia quibus & amicos olim honoremus. Interim ſi quis etiam alius præter illos hæc nugamenta mea ſibi commendari patiatur, illi vix habeo præter brevitatem & varietatem quod promittam. Si quid præterea in iis non illaudabile invenerit, ipſe viderit, & in lucro hoc reputet. Ad minimum non hic.

Oblita modi milleſima pagina ſurgit,
Et creſcit multa nimium damnoſa papyro.

Etenim ne magnum malum darem, parvum libellum dandum cenſui, & tantundem ferè verſuum blattis ac tineis, quantum prælo commiſi. Varietatem & in argumento & in metro ipſe B. L. agnoſcet, quam ipſam & in ordine obſervavi: cum alias ſi compoſitionis ſeriem retinendam putaſſem, Primitiæ ſacræ, ultima libelli ſecundi pars principium operis conſtituere debuiſſent. Sed inconſultum duxi maximè incomptâ parte Lectorem ad reliqua ſtatim nauſeabundum efficere. Quare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Epos Ephebicum præmiſi: ſubjeci puerilia. Juvenilia in tertium librum contuli. Denique Epigrammata paucula, & in iis aliqua jocoſa ad levandum ex priori fortaſſis lectione obortum tædium ſuperadjeci, in quibus tamen neque profuſum me neque immodicum fuiſſe exiſtimo. Si cui aliter videbitur, is & hæc, & cœtera ætatis qua hæc ſcripta ſunt lubrico imputare debet, quæ ſi in gravioribus etiam erraſſet reſtitutionem jure ſuo flagitaret. Mihi hoc ſolùm nunc propoſitum fuit, ut ad ſolidiora me impoſterum & digniora ſtudia totum collaturus, privatæ quæ cum Muſis mihi interceſſit hactenus familiaritati publica hac Valedictione ſolenniter renunciarem.

Vale Lector benevole, & vos longum nunc Valete, Salvete.

Dulces Camœnæ. Nam fatebimur verum
Dulces fuiſtis. Et tamen meas chartas
Reviſitate: ſed pudenter, & raro.

SERIES CARMINUM
PUERILIUM
ET
JUVENILIUM.

LIBER I. ATLANTIS RETECTA:

ſive De navigatione prima Chriſtophori Columbi in Americam Poëma. *Pag.* 3
Annotationes Hiſtoricæ in idem Poëma. 53

LIBER. II. CREPUNDIA *inſcriptus, quo continentur;*

Parentatio anniverſaria p. m. Parentis JOHANNIS PLACCII Ph.& Med.D. 89
Lacrumæ in funere Avunculi magni EBERHARDI MOLLERI Canonici Hamburgenſis. 105
Elegidion extemporale in obitum MICHAELIS REISERI J.U.D. 107
Epicedion Heroicum in eundem. 108
Pii queſtus in funere JOACHIMI JUNGII. 117
Strenæ chartaceæ MICHAELI KIRSTENIO Miſſæ. 119
Fauſta VINCENTIO GARMERS Avunculo acclamata cum Syndicus reip. Hamburgenſis crearetur. 122
Propempticum ad Eundem in Angliam ſecundò à Patria ablegatum. 127
URANOGRAPHIA. ſ. Enumeratio Siderum omnium. 133

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Relegatio Invidi ad Invidiæ habitaculum. 137
Propempticum ad Amicum Lugdunum Batavorum abeuntem. 142
Propempticum ad Amicum in Italiam abeuntem. 145
Venus Marina, Epithalamium. 149
PRIMITIÆ SACRÆ *ſive* Paraphraſis Poëtica Pſalmorum Davidis decem. *Videlicet;*
V. *Verba mea auribus accipe, Domine.* 165
VI. *Domine ne in furore tuo arguas me.* 167
VII. *Domine Deus meus in te ſperavi.* 168
XXIV. *Domini eſt terra.* 170
XXXII. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.* 172
XXXVIII. *Domine ne in furore tuo arguas me.* 174
LI. *Miſerere mei Deus.* 176
CII. *Domine exaudi orationem meam.* 179
CIII. *Benedic anima mea Domino.* 182
CXXX. *De profundis clamavi.* *ibid.*

LIBER III. SYLVÆ *inſcriptus, quo continentur;*

Phillis, Ecloga. 191
Propempticum ad JOHANNEM ELERUM. 196
Ovidio-Cento ad eundem. 199
Conjunctio Solis & Veneris. Epithalamium KIRSTENII & PUTSCHIÆ. 206
Laurea Philoſophica SAMUELIS DÖGII. 217

Tu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Tumulus & Epicedium CORONÆ MEGISERÆ. 220
Themis devota GODOFREDO MELMIO Conſiliarii munus Patavii ſuſcipienti. 227
Laurus Philoſophico-Medica FRANCISCI HOPPII. 264
Sententia Apollinis Dicæi, in honorem laureæ Philoſophico-Medicæ GODOFREDI MELMII. 236
Memoria JACOBI TROLLEN Equitis Dani. 266
Amor rationabilis, Epithalamium KIRSTENII & DASSOVIÆ. 278
Propempticum ad THEODORUM ANKELMAN & CHRISTIANUM MARTINUM DORN. 294
Lacrumæ in funere CATHARINÆ MELMIÆ. 297
Prodromus Triumphi famæ GRONOVIANÆ. 300
Pia Vota pro Fratre JOHANNE PLACCIO laurum Medicam acceptante. 303
Soterion votivum DEO dicatum. 314

LIBER IV. EPIGRAMMATA.

Ad Lectorem. 355
In ſenem avarum opes defodientem. 356
Ariſtippus & Euclio. *ibid.*
In diffidentiam hominum erga Deum. *ibid.*
Mortis recordatio. *Græcè.* *ibid.*
Fama poſthuma. *ibid.*
Mercator avarus de ſe ipſo. 357

Som-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Somnia. 357
Differentia amantis & amentis. *ibid.*
Ad Chriſtianum Martinum DORN de Atlantide. *ibid.*
Ad Jonam SCHRIMPFIUM. 358
In albo Chriſtiani Martini DORN. *ibid.*
Ad eundem reducem. 359
Natalis primus & viceſimus. 360
Deſiderium optantis videre Romam in flore, Paulum in ore,& CHRISTUM in carne. 362
Ad Antonium MAGLIABECCI. 363
Ad Johannem MERIANUM Doctorem creatum. 364
Epitaphium Italum. *ibid.*
Ager Mantuanus. *ibid.*
Amor temerarius. 365
Ovidium de remediis amoris legere ſuadenti. *ibid.*
Pugillares amico donati. *ibid.*
Speculum amico donatum. *ibid.*
Vincula Pariſina amico donata. *ibid.*
Denti-& auri-ſcalpium amico donatum. 366
Excuſatio prolixarum litterarum. *ibid.*
Epitaphium Adami KREUTERI. *ibid.*
Ad Amicum in albo cujuſdam eodem folio ſcriptum. 367
Diffidenti ne fidas. *ibid.*
Divitiæ Philoſophicæ. *ibid.*
Victoria Politica. *ibid.*
Avarus hydropicus. *ibid.*
Febricitans Muſam revocat. 368
Preces in morbo chronico. *ibid.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

In Sacras Litteras. 369
Charitas Philoſophica & Chriſtiana. 372
Mortem nec metuas, tibi nec optes. 373
Cur DEUS bonitatis fons paucos bonis abundare patiatur. 374
Votum quotidianum pro morte beata. *ibid.*
Charitas amicitiæ fundatrix. 375
Æquam memento rebus in arduis ſervare mentem. *ibid.*
Vulgus & Rex Philoſophorum. *ibid.*
Philoſophia Stoïca. *ibid.*
Comparatio Philoſophiæ Carteſianæ cum Scholaſtica. 376
Intemperantia linguæ. *ibid.*
Ἐχεμυθία Pythagorica. *ibid.*
In nimiam taciturnitatem. *ibid.*
Poëticæ valedicit. 377
JOCOSA. Ad Lectorem. 379
Excuſatio jocorum juvenilium. 380
Somnium de Amarillide. *ibid.*
Ad Zoilum. 382
Macaronicum. *ibid.*
In ſtultum vacuum negantem. 383
Epicedium vetulæ Xantippes. *ibid.*
Differentia anus & ani. *ibid.*
Epicedium virginis annoſæ. 384
Amor ex ſimulato verus. *ibid.*
In Angelicam. 385
Angelicæ caſtitas. *ibid.*
In Menandrum. 386
Imitatio Martialis. *ibid.*
Muſa reviviſcens. *ibid.*

Cæli-

INDEX.

Cælibatus Philoſophicus. 387
Ad Fratrem de paſſione hyſterica. *ibid.*
Delirium ſeculi ad PAISENIUM. 389
Excuſatio præcedentium. 391
Παιδογαμία *ſive* Encomium Nuptiarum puerilium. 392
Καιρογαμία *ſive* Commendatio Nuptiarum tempeſtivarum. 393
Anacreontica de Amore ad Amaryllidem. 416
1. Omnia amare. *ibid.*
2. Se amare Amaryllidem. 422
3. Amaryllidem ad amorem invitat. 429
Concluſio jocoſorum. 439
Auctarium, *ſive* Epiſtola Poëtica Jocoſa. 440

A T-

ATLANTIS RETECTA

SIVE

De navigatione prima

CHRISTOPHORI COLUMBI

in Americam,

CARMINUM PUERILIUM ET JUVENILIUM

LIBER I.

VINCENTII PLACCII

HAMBURGENSIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

MAGNIFICO
Ampliſſimo & Conſultiſſimo
D. VINCENTIO GARMERS,
JCTO, Comiti Palatino Cæſareo,
inclytæque Reip. Hamburgenſis
Syndico optime merito
avunculo ſuo.

ET

Nobiliſſimo Ampliſſimo &
Conſultiſſimo
D. JOANNI à FELDE JCTO,
Inque inclyta Academia Julia olim Mathem. Prof. P. bene merito.
affini ſuo.

S. P. D.

VINCENTIVS PLACCIVS.

QUod exigui mei ac puerilis olim, laboris dicam an otii, grande pretium ne ſpe quidem ullâ mihi promittere auſus fueram: id Veſtra, VIRI AMPLISSIMI, benignitate factum, atque conſtitutum, eâ qua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

qua ſolemus lætiſſima quæque, memoriâ proſequor ac recognoſco.

Quid enim ego incultis meis atque rudibus verſiculis, quos præcoci audaciâ vobis offerebam, præter veniam atque indulgentiam veſtram polliceri poteram? Vos vero collaudationibus etiam atque remunerationibus, tamquam dignum aliquid atque honorificum Ampliſſimis Nominibus Veſtris inſcribentem excepiſtis. Qua quidem in re vos digniſſimo ſummæ humanitatis exemplo, magnitudinem animi veſtri ad hæc tam exilia demiſiſtis: mihi vero facultatem omnem dignas tam profuſa liberalitate gratias vel animo tantum concipiendi, nedum verbis efferendi hactenus eripuiſtis. Quam ſi umquam olim ullo meo ſtudio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

ſtudio atque induſtriâ conſequi potero, habebitis ſanè præconem Veſtrarum virtutum illum, quem tanta Veſtra erga me, erga litteras, atque litteratos, erga res publicas denique ac Principes Viros, ac Tua imprimis MAGNIFICE DOMINE AVUNCULE erga inclytam patriam communem noſtram præclara merita deſiderant. Interea temporis, dum hæc & alia egregia partim ætatis, partim & peregrinationum continuis impedimentis aggredi prohibeor; hoc quod Veſtrum jam olim fuit Ephebicum Poëma, ſecunda vice cum aliis una nunc editum, ſecuturorum ſi placet, pignus atque arrhabonem acceptate. Nullis equidem illud additamentis aut acceſſionibus auctum, ne novam veteri munuſculo gratiam

au-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

aucupari, aut adultiores curas pro puerilibus venditare viderer: paucis tamen hinc inde mendis, quibus vel operarum Typographicarum incuria, vel propria etiam feſtinatio mea, per ſe ſatis inelegans opuſculum inquinaverat, emendatius. Illi nunc, VIRI AMPLISSIMI, ut eundem quem octennio abhinc vultum commodare, veſtramque nullo meo merito ſuſceptam benevolentiam perpetuam mihi conſervare non dedignemini, quibus poſſum curatiſſimis precibus obnixe contendo. Ego viciſſim quoad potero nihil in me ſtudii, obſervantiæ, ac pietatis deſiderandum Vobis relinquam. Valete.

Dabam,

Lugd. Batav. 1666.

AT-

ATLANTIDIS RETECTÆ

ARGUMENTUM.

INvocatione præmiſſa, deſcribitur ſuccinctè ſyſtema Mundanum, & hinc terra, ubi ad eam deventum eſt, dividitur, ejuſque conſtituuntur partes. Nempe primo Orbis vetus, Europam, Aſiam, & Africam continens, de quarum circumnavigatione à veteribus facta, brevis additur parecbaſis: dein Polares binæ, & ultimo America, de cujus retectione agendum. Hinc tranſitur ad Columbum, & iterata invocatione, per belli Mauruſiaci mentionem Atlantis introducitur. Ea ad Deum accedens, petit ſupplex, ut tandem iterum terras ſuas Europæis retegi patiatur: promiſſa aufert, & redit ad ſedes ſuas, quæ paucis adumbrantur. Poſtea divino inſtinctu Pallas ad Columbum mittitur, quem admonet de perſequendo inſtituto. Eadem & Regem Caſtellæ Ferdinandum adit, cui perſuadet expeditionem, cum ipſa, tum per alios. Columbus itaque vocatus accedit ad Regem, urget conſilium ſuum, & obtinet. Navibus igitur acceptis ſolvit à Gadibus, defertur ad Canarias, rurſuſque abit. Inſeritur hic duplex gratulatio. Interim Vetuſtas, quod ſede ſua Americana pelli debeat, ægrè ferens, ad Diſcordiam, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

una cum domicilio ſuo deſcribitur, ſe confert, rogans, ut ad ſeditionem ſocios Columbi impellat. Neque eventus deeſt. Hinc narratur ſeditio, quæ ſedatur per orationem Columbi. Nocte ſequente Columbo divinitùs ſomnium immittitur, cum quo conjungitur duplex epiſodium. Narratio videlicet de navigationibus Athenienſium, & Carthaginienſium antiquiſſimis ad has oras, & Chorographia compendiaria admodum Americæ: Quorum alterum refert Atlantis ipſa, alterum in ægide depictum monſtrat. Adjicitur promiſſio de terra quæſita, die craſtino videnda. Excuſſus ſomno Columbus, ſigna terræ appropinquantis deprehendit, quam paulo poſt cum ſociis è proximo intuetur. Mox in eam inſilit, lætatuſque ſupra modum, crucem erigit, grateſque reddit DEO.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

ATLANTIDIS RETECTÆ

CARMINUM PUERILIUM ET JUVENILIUM.

LIBER I.

INtentata diu ſulcantes æquora puppes,
Et Typhin cantare novum, terraſque repertas,
Quas alta dudum per ſecula plurima nocte
Texerat, & mundo ſubduxerat atra Vetuſtas,
Caſtalii impellunt ſtimuli. Tu, maxime Rector,
Qui cœlum, terras, naves, maria alta gubernas,
Adfer opem felix: & ſi fas addere, fauſta
Calliope, non dura tuis: tuque optima Pallas
Cœlicolum, primam Æſonidi fabricata carinam,
Exiguam hanc moderare ratem, perque invia primo
Tendentem curſu ſerva, & juvenilibus auſis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Adſpirans cœptum propera deducere carmen.
Sic mihi verborum procedet plenior ordo,
Sic magis ex voto current mea carmina, current.
Vos quoque Caſtaliis undant quibus ora fluentis,
Si modo quem veſtrum juvat hæc pernoſcere, mites
Eſte, Theonino nec rodite dente, tribuſque
Nolite à luſtris fructum ſperare ſenectæ.
Sic frons Aonidum vobis, ſic lætus Apollo
Redeat, & largas Helicon indulgeat undas.
Jam quoniam terraſque; novas, Inventaque nuper
Æquora dicemus, prius admirabile mundi
Adſpicite atque animo mecum comprendite corpus.
Ingens ſtat nullo nitens fundamine moles,
Divinæ rationis opus, compactaque miris
Uſque modis. Summa ſedem ſibi legit in arce
Ipſe opifex rerum, qui quamvis regnet ubique,
Plurimus heic tamen eſt: heic mentibus undique ſanctis
Cingitur, hac orbem totum de ſede gubernat,
Quem penitus ſpatiis complectitur infinitis.
Hæc regio æterna eſt. At quæ ſubjecta videmus,
Uſque caduca, nimis multum per ſecula mutant,
Et tandem extremæ concedent cuncta ruinæ.
Extima pars horum eſt, qua ſummo proxima volvunt
Sidera, diverſis cœlum pingentia formis.
Errantes ſeptem ſubeunt, & tempora certo
Effi-

Efficiunt, ſpatiisque creant æqualibus annos.
Mox tenui puro dirimuntur ab æthere flamma
Nubila, ſubjectam quæ cingunt undique terram.
Hanc etenim poſuit prudentia numinis imam,
Hanc Mundi partem nobis, hæc regna colenda
Dat Deus, has igitur penitus percurrere ſedes
Sufficiat. Quod ſi quem magnæ climata terræ
Non capiunt, age Pontum adeat, monſtroſaque verrat
Æquora, Dædalii fugiens mala fata puelli.
Hæc hominum quo ſe major ſolertia vertat
Rex ſuperum poſuit. Nam cum diſtingueret Orbem,
Quatuor in partes diſpeſcuit æquore terras. (1)
Harum præ reliquis longe celeberrima cunctis
Prima jacet. Plus quam telluris dixeris illam
Dimidium, & trifida eſt. Namque heic te regia cerno
EUROPE, ſeu tu Tyriæ de nomine Nymphæ
Diceris, (2) Himeridæ ſive hæc eſt gloria Regis: (3)
Seu ſic Oceani voluit te filia dici, (4)
Aut dominaturam reliquis ita Teuto vocavit: (5)
Seu, modo quæ retuli, nos fallunt omnia, & ortum
Nominis obſcura condunt oblivia nocte, (6)
Tuque ex Japeti, (7) aut Celtarum nomine dici
Mavis. (8) Imperium meritò tibi fata dederunt.
Digna Diis ſedes, ſedes gratiſſima Muſis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Non rota te Phœbi nimio fervore perurit,
Frigore nec Cauri totam, nec Jupiter imbre
Perpetuo perdit. Clementior undique Titan
Circuit, & puro creſcit prudentia cœlo. (9)
Jungitur huic ortum verſus pars altera, curvus
Qua meat ad Scythicas Tanais Mæotidos undas,
Et linquit dubio Riphæa cacumina flexu.
Hanc ASIAM Japetus chara de conjuge dixit: (10)
Quanquam Aſium heic etiam veterum monumenta loquantur,
Lydorum de gente virum, ne nominis ejus
Te quoque nota palus dicam, reliquosque virorum. (11)
Hinc diſcreta prope, & tenui vix pendet ab Iſthmo
AFRICA: ſive gelu hanc, triſtique rigore carentem
Sic dixit Grajus: (12) ſeu nominis extitit auctor
Ifricus, extremis Arabum qui præfuit oris: (13)
Seu potius tellus illud celeberrima debet
Afre tibi, haud uno generi quem vana vetuſtas
Aſcribit. (14) Terra non hac ferventior ulla
Æſtuat, imprimis duplicem qua contrahit amnem
Nilus, & aſſurgit multis oneroſior undis,
Sacratosque tibi contemnit, Cynthia, montes.
Aut multo quà ſole calens ſe Zangibar arctat,
Et nimium vaſto cedit male prodiga Ponto.
Hic adeò vetus eſt orbis, quem fluctibus altis
Undique circumdat Nereus. Hæc uſque priores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Littora cognorunt, quamvis quoque plurima longo
Secula tranſierint tractu, quo littora & illa
Spreta male, atque hominum nulli luſtrata jacebant.
Auxiliis donec ſuperum deſcendit in undas
Alnus, & in faciem curvæ eſt formata carinæ.
Sive hanc primus Atlas, ſive hanc Tritonia virgo
Æmonio eſt fabricata Duci, Dodonida quercum
Fatidicis raptam ſilvis cui maxima Juno
Intulit, & reduci promiſit ab æquore cœlum:
Sive Promethidæ hæc debetur gloria Regi:
Aut prior his longe puppim Deus æquoris alti
Fecit, (15) & ipſa etiam Mundi primordia circum
Venit ad Eoos miranda Semiramis Indos,
Scaurobatæque feri devicti Marte ſecundo
Fregit arundineas puppes, & fraude probanda
Tentavit vires mulier ſuperare viriles. (16)
Ne memorem magni puppes atque arma Seſoſtris,
Rex Peluſiacus Scythiæ quæ prima rigenti
Intulit, (17) atque alios, quorum facta obruta longis
Uſque latent ſeclis, & opaca nocte premuntur.
Tandem complures ſulcarunt Nerea Reges.
Et pugnaturus Theſeus, & fortis Iaſon
Cærula tranarunt, & qui ſuperavit utrimque
Laudibus Alcides, armataque Græcia, Trojæ
Exitium portans, longisque erroribus actus
Dulichius rector, Romani & ſanguinis autor
Æneas ponto errarunt. Dein Punica claſſis

Atque ingens Hanno, & pelagus penetravit
Imilco
Eudoxuſque ſimul,(18) quosque huc adducere
cunctos
Mœoniæ foret artis opus. Volitâre carinæ
Innumeræ, & ſectum ſpumavit puppibus
æquor.
Et quod ad extremas Scythiæ diffunditur oras,
Atque Britannorum quod cautes alluit albas:
Et quod ad Auſtrales late diſtenditur Afros,
Æthiopaſque nigros, aut fuſcos terminat Indos.
Non tamen huic adeò faverunt fata labori,
Gentibus ut primis totus ſe proderet Orbis,
Et cunctæ pelago perluſtrarentur ut oræ
Abſciſſæ, ut nunquam rurſus tegerentur adem-
ptæ.
Hem quam cuncta ſinu nondum Natura pro-
fudit,
Quanta ſecuturis etiamnum ſervat Eleuſis
Abdita, quæ demum poſt multos ſera labores
Poſteritas, & vix poſt ſecula longa videbit!
Nunc etiam pars magna latet, nondumque ca-
rinæ
Alterutrum tetigere polum, ſeu Parrhaſis urſa
Quem cum prole tenet, nivibuſque & frigore
vexat,
Seu quem ex adverſo lucens circumvolat hydra.
Nox eadem, memoranda, tuas ingloria terras
ATLANTI, oppreſſit, donec de Cecropis arce
Egreſſa, ignotos tetigerunt carbaſa portus,
Et Pœni huc venere Duces. (19) Quos invida
poſtquam

Fata removerunt, latuit ditiſſima longo,
Longo obducta ſitu tellus, quo forte lateret
Nunc etiam, Ligurem (20) niſi numina fauſta
COLUMBUM
Donaſſent Orbi, qui dudum intacta ſecaret
Cærula, qui gemino faceret commercia Mundo
Nunc iterum. O facinus magnum, dignumque
quod ultra
Secula cuncta ferant æterno carmine Muſæ!
O felix tanto, felix Hiſpania, fato;
Felix Italia, & Ligurum celeberrima tellus,
Quæ tanti Herois cunabula prima tuliſti!
Huic igitur dignas mea, ſi potes, edito laudes
Muſa viro, aut quoniam minus hoc potes, edito
cauſſas,
Non clara de gente hominem (21) quæ talibus
auſis
Tot curis, tantiſque parem fecere periclis.
Viderat Omnipotens Hiſpanas ſtrage cruenta
Et Mauruſiaco fœdari ſanguine terras:
Cum FERDINANDUS ſuperatum mœ-
nia ad alta
Granatæ, cingens hoſtem obſidione trementem
Angeret, & celſis adverteret agmina muris (22)
Viderat: Alcidæque trucem defendere gentem
(23)
Noluit. Hinc ſecum: Tandem perſolvere pœnas
Injuſtos æquum eſt. Jam regna amittere rapta,
(24)
Et temere incœpti pœnas mihi reddere belli,
(25)
Et Ferdinando jubeo ſuccumbere Mauros.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Hoc placet. Hæc duro ſignent adamante ſorores
Mandata, & certis juſſa hæc ſcribantur in aſtris.
Sic ait, Hiſpanaſque petit Victoria turmas,
Et Mauruſiacam Granatæ deſtruit arcem. (26)
At Deus hæc ſolio dum cuncta aſpectat ab alto,
En venit ATLANTIS, dudum rariſſima cœlo
ATLANTIS, mœſto viſu, prorſuſque dolenti
Aſſimilis. Vaſtos macies fœdaverat artus,
Interius demerſi oculi fugere, genæque
Squallebant lacrumis, & anilibus undique rugis,
Et pallore novo. Summa cervice capilli
Vix fluitant laceri, raræ ſtant vertice plumæ,
Turbatoque ægrum circumdant ordine corpus,
Nec referunt læto vernantes gramine campos,
Nec referunt Cyprio conſperſos ſanguine flores.
Obſita vix etiam multa rubigine ſecum
Arma trahit, veros dominæ teſtantia luctus.
Lævam onerat corylus fracta, & laxata remiſſo
Tendine, non illi telum mucrone coruſco
Fulminat, aut aurum, vel lucida gemma pharethram,
Condecorat; ſed fœda ſitu, & ſine pondere clava
Dextram onerat. (27) Caſſus mœret fulgore Smaragdus, (28)
Et Thetidos fuſcæ produnt ſuſpiria baccæ (29).
Hac facie, hoc habitu ſedem rectoris ad altam
Provolat ATLANTIS. Sequitur bona turba clientum,
Laudanda pietate Ducem. Prior ecce propinquat
Illa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Illarum præclara manus, queis cura tuendi
Eſt populos, & regna ſuo quæ numine firmant.
Imprimis vero reliquas ſupereminet omnes
Induta oblongam veneranda Peruvia pallam,
(30)
Et frænans homines nimia feritate timendos
Braſilia. (31) Hæ tantum ſublimi vertice Divas
Exuperant comites, quantum Latonia Nymphas
Mænalon, aut gelidi cum luſtrat ſaxa Lycæi,
Aut cum Gargaphiis tingit ſua corpora lymphis. (32)
Ecce etiam celſæ turritis frontibus urbes
Incedunt, quarum turbam prior ordine Cuſco
Ducit, & auguſto præſignis Mexico vultu. (33)
Addunt ſe comites lunato flumina cornu
Conſpicua. Imprimis tum nondum Argenteus amnis (34)
Dictus adeſt, & qui noto nunc nomine vulgo
Fertur Amazonidum: (35) fluvii quos undique cingunt
Innumeri, & largis rorantes Najades undis,
Et campi, nemorumque Deæ, & montana colentes,
Quas ruffa ſenior præcedit fronte Potoſſus,
(36)
Præmonſtratque viam. Jamque alta per atria cœli
Ad ſummum venere Deum, genibuſque ſacratis
Procubuere omnes, cum talia fundit Atlantis
Mœſtior, effuſas rumpunt ſuſpiria voces.
Rex Mundi, Pater, atque Deus, cui cætera parent

Omnia, qui ſolus pedibus ſubjecta, Polique
Interiora regis, quem ſumma potentia rerum
Eſt penes, expoſitas precibus mortalibus aures
Nunc quoque pande Deæ, queſtuſque Atlanti-
dos audi.
Non exoſa meas nunc impia deſero terras,
Nec curas hominum fugiens cœleſtia ſceptra
Affecto, aut ſuperum tento confundere jura.
Largius haud noſtris ſoles mittantur, & imbres
Sedibus exopto: gemmas, aut fulva metalla,
Cæteraque haud paucis, quæ fruſtra optantur
in oris,
Non peto: nec deſunt nobis, ſed munere magno
Larga tuo conceſſa manent. At quid mihi pro-
deſt,
Si ſum dives opum, ſi non mihi deficit aurum,
(37)
Atque mei Scythicos ſuperant ſi luce Smaragdi,
Et picturatæ medicantur Iaſpides ægris, (38)
Noſtraque Idumæo ſi certant balſama ſucco:
(39)
Si tamen hæc neglecta jacent, nulloque labore
Hæ quæruntur opes? Cereris quid munera pro-
ſunt,
Et Bacchi late veſtiti palmite colles, (40)
Quaſque feras aër, tellus, undæque miniſtrant,
Si nemo iſta cupit, vel non his dignus, & o-
mnes,
Si ſunt degeneres: ſi noſtris ſanguine fauces
Undant, & fœdis ſi ſqualent vermibus ora,
Et carbone atro, aut furva complentur arena,
Bufoneſque avidam diri conduntur in alvum,
In-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Invidiæque dapes? (41) Quorſum tot prodiga tellus
Fert herbas, ægro pellentes corpore febres,
Et peſtes alias, ſi noſtris ignis, & unda
Sufficiunt, (42) pecudesque juvant ea munera ſolas,
Non homines? Homines nam forſitan eſſe putatis,
Qui mea regna colunt, queis vaſto pectore prorſus
Humani nihil usque ſedet. Non uſus aratri
Cognitus eſt illis: ſectis de fronte ferarum
Cornibus, aut uncis convellunt unguibus arva. (43)
Ut taceam ſcripturam ignotam, (44) exiſtere gentes,
Quæ nequeant digitos numerando excedere quinos. (45)
Hei quam parva queror, quam multa, & magna premuntur
Nunc etiam. Quam projecti, prorſusque ferarum
More latent. Phœbo, & cunctis impervia ventis
Antra habitat pars magna: alios ex arbore ſumma
Pendentes videas: Nomadum de more vagantes
Conſpicias alios. (46) Raro conſortia tecta,
Raro regna vides. Totius maxima gentis
Pars ſine lege, fide, & penitus ſine Principe degit,
Et pœnæ nocuis, & deſunt præmia juſtis. (47)
Hinc tam larga ſeges ſcelerum eſt, & tanta tyrannis,

Et rabies inſana, & fœda licentia morum.
Mens ſtupet, ima novo conſurgunt viſcera
motu,
Impia barbaricæ gentis dum facta recordor.
O nimium immanes populos, o corda venenis
Perfuſa Eumenidum! Non ſi de ſanguine quon-
dam
Anguipedum, ſævave forent è tigride nati,
Lactative lupis, rigidisve è cautibus orti,
Plus vitii, & diræ tenuiſſent pectora peſtis.
Exulat hic Virtus, nec veri cura pudoris
Ulla manet. Nullo incedunt velamine nudi
Vir mulierque ſimul. (48) Cultæ connubia
gentes
Heic quoque quæ fugere vides, fruſtraque Pla-
toni
Olim laudatos quos riſit Græcia mores. (49)
Vos Superi, & veſtri ſacroſancta palatia cœli
Teſtor, & immenſo radiantia ſidera mundo,
Quæ cernunt ſubjecta ſibi: poſt Punica vela,
Mopſopioque mihi viſas de littore claſſes,
Nondum etiam tacitam me perſenſiſſe quie-
tem,
Perpetuo fera bella tonant, & ſemper Erynnis
Sollicitat mentes, & poſtquam languida Cuſco
Pacata eſt, ſumptis iterum deſudat in armis
Mexico, vel reliqui renovant mala prælia Reges,
Ne deſint fraternæ acies, & civica bella.
Nec tamen his etiam locus eſt virtutis in armis.
Fraudibus incauti cæduntur, (50) & oblita triſti
Tela gerunt ſucco, queis longè gramina cedunt,
Quæ decerpſit Iynx, magno cum ſæva pararet
Phil-

Philtra Jovi, (51) vel quæ, cupiens ſopire draconem
Pervigilem, è variis collegit Phaſias oris:
Quæque ope Nympharum fecit medicamina Circe
Mutatura viros, aut afflictura puellam.
Nondum heic ſubſiſtit rabies, nec ſufficit hoſtem
Perdere: & in manes, defunctaque corpora ſævit.
Semianimes lacerant artus: Hinc alta tropæa
Figuntur, fiuntque dapes, convivia læti
Hinc celebrant conjuncti omnes. Ea ſola voluptas,
Hi fructus dulces, longi hæc ſolatia belli,
Hæc diræ gentis virtus, hæc fortia facta.
Nec vero victos ſolum hæc crudelior hoſtes
Pœna manet. Cives, & quos vicinia jungit,
Innocuos laniant, laniatos ventre recondunt, (52)
Ventre avido, nullæ cui ſuffecere rapinæ,
Humanæve dapes, aut fercula digna Thyeſte,
Quæque Lycaoniis certent convivia menſis.
Quin modo nunc alti dum ſcando palatia cœli,
Quod facinus vidi! ſumma caligine terræ
Excedens, tacito conſcendo per æthera curſu:
Cum ſubito, horrendum dictu, perfertur ad aures
Clamor, & intenſo reſonant mea littora planctu.
Deſcendo, terriſque meis ſtupefacta propinquo,
Dumque hujus quænam ſit motus cauſa requiro;

Ec-

Ecce ingens medio ſeſe offert Inſula ponto
Quisquejam noſtri dicunt. (53) Miſerabile monſtrum
Heic video. Magna Caribum de gente gigantes (54)
Ter deni crebris veniunt ad littora cymbis,
Ut dira hoſpitibus ſedent jejunia noſtris,
Aufugiunt diſperſi illi, fidasque latebras,
Et ſylvas, montesque petunt, & in avia currunt.
Nemo adeo eſt, diræ qui ſeſe opponere genti
Audeat, haud quisquam pro prole, aut conjuge pugnat.
Non aliter, quam cum pavidas volitare columbas
Conſpicit accipiter, ſubitoque per aëra motu
Inſequitur, jamque hanc dubitat comprendat, an illam.
Dum propior volat illa, arridet corpore pingui
Altera: Sic Caribes faciunt. Dux ipſe cohortis
In fulva juvenem telo proſternit arena:
Quem pede mox dextro arripiens, veſtigia cruri
Imponit lævo, & medium diſcerpit, & artus
Spirantes laniat, crudelique ingerit ori,
Collaudatque dapes. Non hæc ſervanda macellis (55)
Eſt præda. Hinc ipſis fient convivia nobis
Inquit, Io ſocii, lacerataque membra relinquit,
Atque alios captat plures. Me luridus horror
Occupat, humana ut cerno fumantia carne
Guttura, & effuſo madidantes ſanguine fauces.
En decus hoc noſtrum eſt, hæc noſtri gloria regni!

An

An quiſquam majora queri me poſſe reatur?
Et tamen his majora queror. Quam nulla colatur
Relligio, pater alme, vides: ſanctiſſima CHRISTI
Numina quis quæſo novit? Quin maxima noſtrûm
Pars penitus ſuperos ignorat, & omnia ridet
Numina, nec templis fert munera larga nec aris (56)
Sunt qui facta manu, qui rauca tonitrua adorant,
Et nimboſque niveſque, & quæ nocitura videntur
Cetera, qui tigres thuris dignantur honore,
Atque lupos, rictuque feros ſpumante leones,
Immaneſque feras alias, quoſque arva ferebant
Niliaca, è ſicco prognatos ſemine Divos. (57)
Ne referam fœdos ritus, & turpia ſacra,
Et quæ famoſas ſuperent Buſiridis aras. (58)
Nec memorem propriæ producere tempora vitę
Tentantes ſævo natorum funere patres. (59)
Omnipotens, juſto tu juſte ignoſce dolori,
Quod nimium tibi nota queror: quemque omnibus auſis
His cupiam finem, placidis nunc auribus hauri.
Non ego, ut ultores extinguant crimina nimbi,
Nec poſco miſeræ redeant mihi ſecula Pyrrhæ.
Tela manu longum valeant fabricata Cyclopum.
Sit mitis medicina precor, nec vulnere vulnus
Sanetur. Quod ſi pars immedicabilis enſe

Forte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Forte recidenda eſt, peto cetera membra relinquas,
Et ſaltem fructus ex patrum funere nati
Percipiant (60). Nec enim Divos ad littora noſtra
Poſtulo dimittas, qui Numina rite colenda
Præcipiant, neglecta illis aut jura miniſtrent:
Edoceatve Ceres frumenta immittere ſulcis,
Apportetve novus medicas Podalirius artes.
Sed magis his conceſſa peto, promiſſus ut olim,
Cum noſtro Pœnos arceret littore Mavors,
Adveniat tandem Typhis, qui detegat orbes,
Et mea regna ſuis. Et, ſi bene dicta recordor,
Hoc Europæi ſpondent oracula vatis.
Nam tibi quid noſtros per ſecula plurima caſus,
Et ſpes eluſas, & tædia longa retexam?
Quartus ab undecimo jam præterlabitur annus,
Cum mihi quærenti, quæ nos tam proſpera tandem
Exſpectanda dies maneat, qua littora noſtra
Reddantur Mundo: volvens tua jura verenda
Atropos, exultanſque, his vocibus ora reſolvit
Fatidica. O gaude multum Regina, nec ultra
Perge animum dubio trepidum confundere luctu:
Jam ridet Fortuna tibi, jam proſpera fata
Invenêre viam. Modo vos perſiſtite, opuſque
Maturate viri, pontoque inducite claſſem.
Veſtra dies hæc eſt: cœlum, pontuſque Columbo
Nunc favet, & magnis magnus Deus annuit auſis.

Atro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Atropos hæc nulla involvens ambage canebat:
Queis animo, quantum dictis lætata receſſi,
Vixque mei compos rurſumque Europa Co-
lumbum
Laudavit mihi cara ſoror. Sed non tamen ille
Hactenus apparet. Tria jam quinquennia Titan
Quadrijugis confecit equis, quibus impiger Or-
bem
Luſtraret, exponit cunctis ſua vota, nec ulli
Perſuadet felix. (61) Patriæ Rectoribus altis,
Primitus, hinc Gallo Regi, magnoque Britanno,
Cuique Tagus rutilas auro ſubmittit arenas,
Jam dudum curaſque ſuas, mentemque retexit,
Infauſto ſucceſſu, & ſpe deluſus inani. (62)
Quid Ferdinandi quod ſummi in Principis aula
Nunc etiam miſero bis tertia ducitur æſtas,
Et nihil effecere preces. Ridetur ab aula,
Jactaturque vagi communis fabula vulgi.
Sic Error vanus, ſic Diffidentia cœca,
Falſaque ſuſpicio magnatum pectora terrent.
Has etenim noſtro, virtuti infenſa, Vetuſtas (63)
Adjunxit comites, qui Regum corda venenis
Inficiant, miſeroque vetent accredere quen-
quam.
Huic precor, huic tandem, Mundi juſtiſſime
Rector,
Auxiliare viro: tandem regalia verte
Pectora, ut humanos iterum pateamus in uſus.
Non huic officio [ut noſti cuncta) Columbo
Aptior eſt alter. Nam te indefeſſus adorat,
Atque maris vultus, & claræ ſidera noctis
Novit, & è clauſis Boreamne, Notoſne cavernis
De-

Deſtinet Hippotades. Hunc ſumma potentia cœli
Quanta ſit, Uranie docuit. Quo ſidera motu
Volvantur, ſeptem flammæ queis legibus errent:
Cur ſæpe obnubat radiantia Cynthius ora,
Fraternamque tibi quid demat, Cynthia, lucem,
Quin omnis penitus velis natura reductis
Huic patuit, ſolituſque ſuo decedere Pindo
Sæpius inſpirans avido dictabat Apollo:
Qui nivium, pluviæque ortus, qui grandinis eſſent,
Quidve induratas glacie conſtringeret undas:
Quid pariat ventos, & longo crine cometas. (64)
Ut finem dictis faciam, digniſſimus ille eſt,
Cui primo abſconſæ pateant Atlantidos oræ.
Quid quod fata volunt illum, quodque ipſa probavit
Parca virum. Huic ergo faveas, Pater alme, precamur,
Ut tua fata volunt. Et jam Tritonia Pallas
Magnetis noſtros vires detexit in uſus, (65)
Atque ejus docuit ductu convertere puppes:
Temporaque ipſa monent, & jam modo munere veſtro
Quod Ferdinando felix victoria ceſſit.
Hunc opportunus læta dum mente triumphat,
Mulcebit docto gratans ſermone Columbus.
Tu modo, quod ſpero, tam fortibus annue cœptis,
Continuoque jube fugiant, quas dira Vetuſtas
Miſit, & in media peſtes immiſcuit aula.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Hactenus Atlantis: cui Rex reſpondet Olympi,
Mite ſonans. Bene, cara mones, & fauſta Columbo
Fata favent, aſtra arrident, atque ipſe juvabo:
Et fiet quodcunque petis. Nec menſibus ante
Bis ſenis faciet tranſactis Cynthius annum,(66)
Quam veſtro Hiſpanam videas in littore claſſem,
Detectoſque novos orbes. Hinc tempora Titan
Quinque per Autumnos poſtquam diduxerit: ingens
Accedet veſtras Dux Florentinus ad oras,
Atque ſuo tellurem AMERICAM à nomine dicet, (67)
Hic te perpetuos Europæ oſtendit in uſus,
Atque hinc æternum tua terra patebit: & ante
Ipſe vias linquens ſolitas volvetur in auſtrum
Phœbus, & incenſæ flagrabunt ignibus urſæ,
Quæque meo magni ſtat nutu machina Mundi,
In chaos ante ſuum redeat, quam numine noſtro
Quæ patuit, tenebris iterum condatur Atlantis.
Sic ait Omnipotens, queis dum lætatur, & hæret
Atlantis, prior ecce redit vigor, oraque linquit
Pallor, & accreſcunt crines, ſtant ordine plumæ,
Armaque depurgata novo fulgore coruſcant.
Ergo ſolo ſurgens, proſtratos allevat artus,
Et reddit multas tanto pro munere grates.
Diſpulerat cœlo ſtellas Aurora, novoſque
Phœbus Atlanteis radios ſpargebat ab undis:
Cum Dea flaventi decedens æthere, ad oram
De-

Deſertam, & proprias ſpe plena revertitur arces.
Eſt regio, anguſtam cupiens diſtendere terram,
Qua ſeſe è mediis ſubducit Jucatan undis. (68)
Vallis ibi eſt, in valle locus, quem tangere nulli
Fas hominum. Solam hic admittit Atlantida lucus
Cum ſociis: reliquos ſacrato limine Fauni,
Et Satyri, Nymphæque arcent, atque aurea ſepes.
Intus prata micant vario diverſa colore,
Gramine vernanti, & nunquam marcentibus herbis.
Conſpicua: intacti non uno ceſpite flores
Surgunt, & vario delectant lumina cultu.
Non illos Boreæ, aut crepitantes grandine nimbi,
Non hyemes lædunt. Æterna heic viſitur æſtas;
Usque novo tellus conſpergit gramina rore,
Et Zephyri aſſiduis permulcent flatibus arva.
Ipſum etiam varios cœlum diffundit odores,
Cinnamaque, & caſiam ſpirans, & aromata prodit
Cetera, (69) & Aſſyrios referentia balſama ſuccos.
Nec deſunt vario labentes tramite rivi,
Et claris fulvum volventes fluctibus aurum. (70)
Mille feras, mille hic cernas animalia Divum
Commoda ſervitiis: & apes flaventia mella
Arboribus donant, dulcique per arva ſuſurro
Errantes, nullis minitantur vulnera telis. (71)
Heic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Heic picturatæ pariter virgulta volucres
Complent, & læto recreant ſacra pectora cantu.
In medio Divæ lucent regalia tecta,
Mulciberi ſolertis opus. Vix vincat in illo
Ars pretium. Fulgent amethyſto, & Iaſpide poſtes,
Argentumque ſolo ſpretum calcatur, & auro
Omnis conſurgit paries, trabibuſque ſmaragdis
Fundamenta domus lucent connixa, diemque
Illuſtant patulis cryſtallina tecta feneſtris. (72)
Interiora tenent famulantia numina Nymphæ,
Et ſpargunt meſſos divino pollice flores,
Amplaque odoratis irrorant atria lymphis. (73)
Has læta ad ſedes poſtquam devenit Atlantis,
Continuo plenis fiunt convivia menſis,
Apportantque epulas nudæ veſtigia Nymphæ.
Accumbunt ſociæ, & variis ſermonibus horas
Fallunt. Imprimis tota jam mente Columbus
Volvitur. Huic omnes pariter gratantur, & omnes,
Qua pompa immenſo venientia carbaſa ponto,
Atque adventantem pelago qua fronte Columbum
Excipiant, dicunt: & quæ facienda, quibuſque
Sollicitent reditus per tanta pericula donis.
Interea tacito volvuntur tempora motu:
Jamque aderat promiſſa dies, quam Parca Columbi
Auxilio addictam lana ſignaverat alba,
Extemplo Pallas celſo deſcendit Olympo,
Cui comites ſeſe jungunt Cyllenia proles,
Aonidum genitrix, (74) & Honos, & maxima Virtus,
Sua-

Suadaque mellitas effundens ore loquelas.
Hæ junctæ vacuas ſimul ut cecidere per auras,
Heſperia in magna magnum petiere Columbum.
Quem poſtquam invenere, his verbis maxima Pallas
In ſomnis ſpecie nota, grataque jacentem
Affatur: Curnam hic, ſuperis gratiſſime, pallor
Ora tenet, macies unde hæc, & lumina terræ
Affixa, immenſuſque dolor? Non exigit iſta
Sors tua. Tot vigiles curæ, tantique labores
Jam tandem tetigere vadum. Jam mitior ultrò
Te fortuna vocat, tu ne contemne vocantem.
Craſtina cum primum cœlo proceſſerit Eos:
Accerſet Rex te, Rex Ferdinandus, in aulam,
Auditum tua vota, & quo deducere puppes
Mens ſedeat. Nunc ergo animos tibi ſume viriles,
Nil deſperandum eſt, quod Honos, Tritonia quodque,
Et virtus ſuadet, quod nec Deus improbat ipſe.
Sic ait: ille autem perculſus imagine Divæ
Hæret, & in ſomnis, tandem, Dea, dixit, & ipſa es,
Sis felix, dicam. Dudum, Dea maxima, fruſtra
Fortunam tento, non hanc, non una repulſa
Infregit mentem. Cunctos ex ordine Reges,
Magnateſque adii: cunctis deluſus ab aulis
Diſceſſi, & nunc imprudens tentare quid ultra
Suſtineam, dubitemque animo ſpem ponere totam?
Plura locuturus fuerat, cum talibus illa
Rurſum interpellat. Tu vero fata refutas?
Quin

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Quin tu, quam largos labor hic tibi donet honores,
Aſpice, quæ laudes, & quanta potentia rerum,
Divitiæ hinc quantæ veniant fratrique, tibique,
Gloriaque, ad ſeros latè ventura nepotes. (75)
Fide mihi: quin fide Deo, qui proſpera fata
Te Sperare jubet. Sperantem cuncta juvabunt,
Et Fortuna favens conſtantibus annuet auſis.
His Ligur exultans, toto jam pectore ſumit
Lætitiam, & pura detergit nubila fronte,
Nondum etiam vigilans, & credit. At hinc ubi ſomno
Excuſſus redit ad ſeſe, nil ſomnia rurſus
Eſſe putat: dubiumque tamen clariſſima viſa
Afficiunt, & ſe rebus parat inde futuris.
Hactenus hoc Divæ ſatis eſt: ut cætera fiant,
Ad magnum profert abiens veſtigia Regem, (76)
Et mutat vultus, & fit Mendozius ingens,
His Regem appellans ultro. Rex maxime ſalve,
Cui ſceptra Arragonum pater, & connubia donant
Caſtellam, reliquum felicia prælia jungunt. (77)
O felix, cui quam patribus fortuna negavit
Per tot ſeclorum caſus, victoria ceſſit.
Nonne vides, ad quanta vocent te proſpera fata?
En tibi tot populis jam preſſa, oppreſſaque nulli
Gens ſupplex devicta jacet, relevandaque numquam (78)
Auguſtum diadema ſui victoris adorat.
En tot ſubjecit tibi Mars felicior arva,

Totque urbes, hominesque, & adhuc nova,
pluraque regna
Per Ligurem ſpondere vides Tibi fata Colum-
bum.
Tu modo fortunam fauſtam, ſummoque Deo-
rum
Dilectum ne ſperne caput; ſed fortibus aurem
Da facilem votis, puppes concede, priusquam
Indignata aliis donent hanc numina ſortem.
Hæc animo dum magna ſuo Rex dicta vo-
lutat,
Incedens tacito Regina per atria paſſu
ISABELLA venit. (79) Doctum permulſe-
rat illi
Suada animum, (80) multoque implerat amore
Columbi.
Intrat & hinc verus celſam Mendozius aulam,
In Divæque locum ſubit abſcedentis, & una
It Quintovilius: non illo tempore magno
Pectora bina magis Regi dilecta placebant. (81)
Hos Cylleneus faciles adduxerat ales,
Suaſuros Regi, tandem exaudire Columbum.
Hi vario ſermone diem cum Principe condunt,
Diverſisque movent nutantia pectora dictis.
Imprimis promptum magnis Regina maritum
Admonet, & docta movet auxiliante Minerva.
(82)
Jam Pyrenæis decedens montibus Eos
Prima per Hiſpanas ſpargebat lumina terras:
Cum vigil excutiens dulcem de pectore ſom-
num
Chriſtophorus remeat latam revocatus ad
aulam,
Et

Et Regi oblatus dictis ſpem talibus auget.
O decus Hiſpanæ telluris, maxime Regum:
Haud equidem in tantum prudentibus invida fata,
Infenſamque tibi potui ſperare Minervam,
Eriperet veſtris tam certa ut munera terris.
Tandem igitur venerande meis, Rex, annue votis,
Poſtquam iterum fortuna vocat, felicia poſtquam
Rurſus ſponte monent ſucceſſu fata ſecundo,
Creſcentesque recens auget victoria vires.
Quæſo meas ne ſperne preces: ignobilis ortu
Sim licet, & claros nequeam oſtentare parentes,
Et proavo partis opibus prætendere faſtum.
Talia non poſcit per ſe ſapientia dives,
Nobilis ex ſeſe virtus nil ſtemmata curat,
Quævis corda ſubit. Quin tu mea vota ſecunda,
Sperantemque juva. Vir commendabitur auſis,
Si non auſa viro. Verum admirabile vobis
Forſan opus, penitusque fidem ſuperantia tento.
Scilicet ignotas per tot jam ſecula terras,
Nulli aditas jacuiſſe, atque expectaſſe Columbi
Adventum, Hiſpanoque abituras littore claſſes.
Hæc ſi forte minus vobis ſperanda videntur,
(Quanquam quid ſperare nocet?) centum ante quis annos,
Quis Fortunatas pelago ſperabat in Afro?
Attamen has Gallus detexit claſſe Beranchor. (83)
Quid referam, binas quod tantum vana vetuſtas
Terrarum Zonas concedi munere Divum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Credidit humano generi: mediamque ſub igne
Perpetuo torreri, extremas frigore ſævo,
Et glacie æterna rigidos conſtringere Cauros.
(84)
Scilicet uſque adeo moles vaſtiſſima Mundi,
Naturæ ſolertis opus, ſine mente creata eſt:
Ut nullos hominum pars maxima cedat in uſus,
Et ſolis habitata feris, aut ſqualleat undis.
O tardos hominum ſenſus, o pectora cæca!
En tantis fuſco ſpatiis removemur ab Indo,
Hanc partem num ſola tegent deſerta, feræve
Hanc habitent, Nereuſve undis obduxerit altis?
Rex ſuperum meliora velit, certiſſimus ordo
Cui talis placuit rerum: quo Cynthius aſtra
Certa jubente premit, nec ſe convertit ad
Arctos,
Inceditque polos. Humana hic corpora juſſit
Has tolerare vices, varioque aſſueſcere cœlo.
Hinc ipſo ſub ſole, & ſub frigentibus urſis,
Uſque habitat mortale genus: nec frigora per-
dunt
Hos nimia, aut illos conſumit Solibus æſtas.
Quid quod priſca ſimul veterum monumenta
virorum
Illas commemorant terras, & docta Platonis
Vicinas clara teſtatur voce papyrus.
Hanc magnus Macedo, Pœnis hanc forte re-
pertam
Narravit Siculo Diodorus ſanguine cretus.
Sed quorſum veteres chartas? Non invida certe
Natura, haud dubiis prodit ſua munera ſignis,
Et mittit certos ignoto à littore flatus. (85)
De-

Denique quid multis? unam, Rex maxime, puppim
Concede, & faveat modo Pontus, & Æolus, ingens.
Non ante exactis procedet menſibus annus,
Quam reducem videas Hiſpano in littore lætus,
Detectaſque novas felix tibi nuncius oras
Apportem, & multis præſtantia littora donis.
Hinc tibi quæ laudes, & quanta potentia, quantæ
Hinc fundentur opes! Quin tu, Rex maxime, plaude,
Cui Chriſto lucrari animas tot maximus Orbis
Concedet Rector, qui noſtræ talia menti
(Namque quis hæc audere queat ſine numine?) ſuaſit.
His, aliiſque etiam regalia pectora dictis.
Sollicitat, ſpondetque fidem. Rex talia contra.
Non equidem prærepta velim mihi munera tanta:
Poſtquam adeò ſpes certa ſedet, bona fata ſequamur.
En tibi quæ trinæ Gadum ſtant littore puppes,
Concedam, ſocioſque ſimul, quæque exigit uſus
Cuncta dabo. (86) Tu, chare, fidem ſervare memento,
Et poſtquam optatas fauſto modo numine terras
Attigeris, regnis abiens has adjice noſtris.
Sic Deus, & fauſtis faveant placida æquora cœptis.
Hæc ait. Exultat dictis, imaque triumphat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Mente Ligur, totoque exſolvit pectore grates:
Promiſſaque fide, magna diſcedit ab aula,
Multa animo ſecum meditans, & multa retra-
ctans,
Et quaſi jam præſens Atlantica littora cernit.
Tempus erat, cum Sol Nemeæi terga Leonis
Deſerit, extremiſque ardeſcens Solibus æſtas
Admonet occiduo committere carbaſa ponto:
Continuo poſtquam Regalia tecta Columbus
Rurſum adiit, dixitque vale, & bona fata vo-
cavit,
Advolat ad puppes, pontoque inducere claſſem
Imperat, & fauſtis expandere lintea ventis.
Ergo abeunt læti, & poſtquam de Gadibus imis
Exceſſere, ſuos per talia verba Columbus
Impellit ſocios. Hæc imus in æquora, poſtquam
Fata monent, magniſque data eſt ſpes maxima
cœptis.
Vos modo, vos vires, animoſque adferte paratos,
Poſtquam Eurus, Pontuſque favent. Non ante
coibunt
Orbe ſemel pleno candentis cornua Lunæ,
Quam nobis, modo fata velint, retegatur At-
lantis.
Heic dabitur gemmas, heic auri fulva metalla
Colligere, optatiſque diu diteſcere donis.
Vos fortes eſtote modo, & perſiſtite mecum.
Æterna ingentes comitatur fama labores.
Tu porrò, Deus Omnipotens, his annue cœptis,
Atque tuo fretum auxilio, per vaſta profundi,
Ad nondum notas deduc feliciter oras.
Omnibus his ingens calor additur, uſque per
altum

Ire juvat, vaſtique volare per avia ponti.
Et jam divitias, toto jam pectore verſant
Tellurem, genteſque novas, quæque æquora vaſta
Disjungunt, jam mente tenent, jam viſcera terræ
Scrutantur, gemmiſque animo ditantur, & auro.
Interea tacito properans volat æquore puppis,
Et Fortunatis veniens allabitur oris. (87)
Egreſſi heic, cædunt ſylvas, dulcemque carinis
Important laticem, & quæ cetera poſtulat uſus
Perficiunt, viridique hilares funduntur in alga,
Expediuntque cadis Bacchum, Cereremque caniſtris:
Inſtantemque ſibi vario ſermone laborem
Solantes, certa ſpe tædia longa rependunt.
Imprimis magnum non ſimplex cura Columbum
Sollicitat. Non hunc vernantia gramine largo
Littora, non modicis felicia ſolibus arva:
Incultæve tenent gentes. Atlantica tellus
Huic animum, & vaſti ſubiere pericula ponti.
Jam ſecura dies, & purus nubibus æther,
Et fluctus placidi, & crepitans vocat Eurus in altum:
Continuo æratis greſſum Dux puppibus infert
Chriſtophorus, ſocioſque elata voce morantes
Convocat, & curvo producens littore claſſem,
Pandit iter velis, pelagoque incedit aperto.
O Salve multum cœlo digniſſima claſſis,
Æternum memoranda tuis. O proſpera fata!

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Mortales gaudete animi. Nunc priſtina Mundo
Secla renaſcuntur tandem, promiſſaque regna
Nunc veniunt, Argoque triplex en ivit in
æquor.
Felices nautæ, quos tanti gloria facti,
Et laus perpetua, & decus immortale manebit.
O ſalve nunc, Typhi Ligur, nunc vade per altum,
Extra ſolis iter poſitas, age detege terras, (88)
Atque redi ſoſpes: ſic volvunt fata, cupitque
Europe. Feret illa tuum per ſecula nomen
Poſtera, venturi recinent tua facta nepotes.
Vix bene deſerti portus, terræque relictæ,
Senſit Atlanteum fervere Tridentiger æquor,
Senſit, & admirans imis caput extulit undis.
Utque expectati conſpexit vela Columbi:
Cæruleum Tritona vocans, jubet æquora Divos
Quotquot vaſta tenent inflata arceſſere concha.
Qui poſtquam venere, ruunt ad carbaſa junctim
Expectata diu, & claſſi gratantur eunti,
Optataſque rates vario ſermone ſalutant,
Et placidum ſpondent Pontum, fluctuſque
quietos:
Et pulſant crebris reſonantes fluctibus undas,
Triſtiaque effuſo ſolantur pectora cantu.
Interea infelix cœlo delapſa Vetuſtas,
Sternitur extremis terræ Borealis in oris,
Quo fugit, poſtquam exauditam Atlantida ſenſit.
Heic ſecum indignata jacens, ſimulatque miniſtras
Ad-

Adventare videt, magnaque à Pallade pulſas
Accipit, occiduumque æquor ſulcare Columbum,
Dira recrudeſcit rabies, ſævique furores
Rurſus corda movent. Ergo lymphata per oras
Arctoas ſine mente volat, ſtridenſque ſuſurrat.
Uſque adeone ergo penitus linquemur inultæ?
Non certè patiar. Non tanta impune Columbus
Auſa feret. Dabit hic læſo pro numine pœnas.
Sic abit, Arctoo qua cingitur Inſula Ponto,
Inſula terrificis longè notiſſima monſtris.
Hanc ſæpè aſpiciens, radiantia Cynthius ora
Obduxit pallore novo, totuſque tremiſcens
Horruit, inviſumque rotas deflexit in Auſtrum.
Non Cerere heic undant campi, colleſque Lyæo,
Non decorant denſæ vernantia littora ſylvæ:
Exterior tellus glacie riget horrida, & inde
Inſula nomen habet. (89) Non hanc diſſolvere Phœbus
Igne valet, toto qui fundit lumina mundo.
Uſque adeò tellus riget extima frigore, at intus
Diſtendunt ſteriles flaventia ſulphura venas.
Quid memorem ſcopulis, atque invia rupibus arva,
Et circum Stygias quæ vincant ſtagna paludes,
Atque gelu, & diro fontes fervore timendos,
Fluminaque in rigidum mutantia corpora ſaxum,
Aut diris etiam frangentia corda venenis:
Quid montes crebris lambentes ſidera flammis,

Atque eructantes tetros cum ſulphure fumos?
Quos inter fera tartareo tonat Hecla boatu,
Ferventeiſque undas glomerans, liquefactaque
 ſaxa
In cœlum, picea tellurem contegit umbra.
Ergo nives, montis queis ſumma cacumima ca-
 nent,
Extemplo in liquidas, flammarum ardore ſo-
 lutæ,
Permutantur aquas, fruſtraque extinguere
 flammas
Tentant, atque auctis illis, augentur & ipſæ.
Tœnara nunc valeant. Heic ſunt regna avia
 Ditis,
Heic ſunt Perſephones ſpelæa, Heic panditur
 Orcus.
Quo poſtquam peſtes rurſum eductura Vetu-
 ſtas
Appulit, ecce imis tremuerunt ſedibus antra,
Monſque novas ſubito eructavit in aëra flam-
 mas,
Umbravitque diem ſaxis, atraque favilla.
At Dea, qua fractas per aperta foramina cautes
Mons revomit, patulum ſeſe conjecit in Or-
 cum.
Heic in veſtibulo diras male ſana ſorores
Innumeras inter, ſolio diſcordia fracto
Pendet, & oblongos depectit crinibus angues.
Vipereis dapibus, ſciſſiſque draconibus ora
Squallent: & morſi ſtridunt ſub dentibus hydri.
Lumina cæca rubent, crepitant formidine den-
 tes.

Lam-

Lampadaque undantem conquaſſat ſanguine dextra.
Sic monſtrum deforme jacet. Cui cana Vetuſtas.
Nunc iterum te appello, ſoror, quam triſtia fata,
Chriſtophoruſque Ligur conceſſis ſedibus arcent,
Extremiſque jubent Boreæ frigentis in oris
Degere, & immiti vitam tolerare ſub Arcto.
Tu fer opem verò, precor, & ſi Atlantica regna
Rex cœli, & mala fata volunt detecta Columbo,
Detegat: at dignis conſtet laus tanta periclis,
Et ſolvat meritas ingens audacia pœnas.
Tu potes hæc præſtare, potes tu perdere Mundum,
Et rerum vexare fidem, & pervertere regna.
Ecce tibi Ligurem, qui nunc Atlantica lætus
Findit, & optatis jam ferme allabitur oris.
Huc ſubitò contende, precor, ſegnemque quietem
Rumpe viro, atque odia, & triſtis ſere ſemina belli
Per ſocios, diris fera pollue corda venenis,
Et turbam ſævis incende furoribus omnem:
Ut junctim poſcant reditus, & ſæva minentur
Fata viro, patrias iterum ni ducat ad oras.
His acuit peſtem dictis inſana Vetuſtas,
Quæ diris odiis ardet flammata, caputque
Quaſſat, pugnanteſque movens per colla colubros,
Noxia concuſſo diſpergit crine venena:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Et multum increpitans Divam, conſuetaque jactans
Jurgia, vix ægrè confracta ſedilia linquit:
E tenebriſque atris ſuperas egreſſa ſub auras,
Adjectos ſcopulos, monſtroſaque flumina luſtrat:
Illorumque undas haurit, virideſque cicutas
Colligit, & ſpargit Lernææ virus echidnæ,
Graminaque inviſis nondum tentata novercis,
Et natos illic ſuccos, quæ pectora vertunt
In rabiem, & diris quæ corda furoribus angunt.
Hæc paſſim arripiens manibus contrita nefandis,
Poſtquam diſcerptos adjecit dentibus hydros,
Per cæcas noctis tenebras, & opaca viarum
Errat, & horrendas per inania concutit alas.
Ter decies aurora ſuos renovaverat ortus,
Et toties nox atra polo ſubduxerat umbras,
Exierant Gadum poſtquam de littore claſſes:
Cum primum occiduum tangit Diſcordia pontum,
Et jam ſecuri puppes ingreſſa Columbi,
Per cunctos errat furibunda, & pectora ſomno
Excitat, atque atris perfundit dira venenis.
Imprimis ſi cui præclaro ſtemmate naſci,
Et reliquos anteîre dedit fortuna, nocendi
Aggreditur ſtudio, & virus ſub pectora condit,
Hos inter Rodericus erat, Catalaunia lævo
Impia quem dederat partu. (90) Præclara ferocem
Nobilitas illi, & cónnata ſuperbia mentem
Fœdabat, demenſque animos augebat egeſtas.
Hunc

Hunc Dea dira videns furiali voce laceſſit.
Hem quorſum, Roderice jaces? Quis pectora tantus
Torpor habet, pelagone potes permittere vitam
Ignoto, & tot jam luces parere Columbo,
Et Dominumque Ducemque ſequi: quem nulla parentum
Nobilitas decorat, qui per mendacia puppes,
Conſutoſque dolos, veſtris à Regibus auffert:
Neſcio quos vobis promittens callidus orbes,
Telluremque novam. Nempe huic Hiſpania ſordet,
Imperium heic illi quoniam fortuna negavit:
Hinc ſtolidus tota jam volvit Atlantica mente
Littora, tellureſque novas, queis imperet ipſe
Scilicet, atque auro, & gemmis, & luceat oſtro.
Hæc animo verſat: ſed tu prudentior, illa
Diſturba, & ſociis occultas detege fraudes.
Non cernis, tibi quanta parent felicia fata?
Poſt tot ſervatas puppes, ſocioſque redemptos,
Quas tibi, quas referet gaudens Hiſpania grates,
Quanta ſecuturum portabit fama per ævum!
Hæc dicens grandem de vertice dira colubrum
Eripit, & miſero præcordia ad intima ſubdit.
Sic diris poſtquam complevit corda venenis,
Et ſævis puppes monſtris permiſcuit omnes,
Avolat, & Stygiis Diſcordia redditur umbris.
Continuo ſurgit ſtratis Rodericus, & omnem
Pellit corde metum, nocturnaque viſa retractat
Turbidus: effuſo turgeſcunt pectora tabo.
Jam nova conſueto veniens Aurora labori
Reddiderat ſocios: qui mox ſua ſomnia ſecum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Componunt omnes, & tædia longa viarum
Horreſcunt. At nemo tamen ſua credere cuiquam
Viſa audet, cunctique premunt mala vota ſilentes.
Hinc primus Rodericus iners, nullique labori
Intentus, diro ſuſpiria pectore profert,
Conqueriturque moras nimias, & longa pericla
Incuſans, jam vana vocat promiſſa Columbi:
Jam ſe deluſos ignota per æquora duci,
Servarique neci miſeræ lacrumatur. Adauget
Improba confeſtim repetitas turba querelas,
Ingeminans tacito Roderici dicta ſuſurro.
Qualiter Æoliis cum gens effuſa cavernis
Incubitura mari eſt, leviter ſurgentia nautis
Æquora, denſatæ nubes, nemorumque fragores,
Auditi, & varium ſurgens è littore murmur
Venturam produnt hyemem: mox æthere toto
Agmina concurrunt ventorum, & ſedibus imis
Eruta nigrantes conſurgunt æquora in auras:
Sic comitum heic motus prædicunt vota futuros
Segnia, difficiles animi, & reſponſa maligna.
Qua dum Chriſtophorus rerum novitate movetur,
Aggrediturque animis ſolatia dicere fractis:
Ecce increbeſcit rabies metuenda furentum,
Turbanturque omnes: creſcit veſania vulgi,
Et ſceleris ſortita caput plebs impia ſurgit,
Objugatque Ducem dictis, Heus improbe, clamant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Quo pergis, cum fratre, (91) dolis nil tale merentes
Vexare? En, miſeros jam nos lux tertia portat
Poſt decies trinas, (92) errantes æquora circum
Ignota, atque undæ, & Cerealia munera nobis
Jam deêrunt: adeo te, perfide, noſtra ſecuta eſt
Credulitas. O vane Ligur, ſine littora tandem
Ignota, ut patribus, ſic noſtra Hiſpania nobis
Sufficiet: patrias iterum nos defer ad oras.
Flecte viam velis, vel ſi parere recuſas,
En præſens lethum, vades cum fratre ſub undas,
Queis ſumus expoſiti te propter. Atlantica nobis
Littora ſic melius quæres, quæ merſa profundo,
At non tota tamen, fallax narrare ſolebas. (93)
His dudum preſſas emittunt vocibus iras,
Et pariter poſcunt reditus. Rodericus in omni
Imprimis pernix turba bacchatur, & hujus
Se ſceleris fert ipſe caput, proſcitque Columbum
In pœnas. Qui cum ſemper tranquilla ſuorum
Sic ſtudia immutata videt, ſtupet anxius, & ſe
Vix retinens: poſtquam intentantes undique lethum
Collectos cernit ſocios: vix talibus ægre
Promiſſis turbam valuit ſedare furentem.
Hei mihi, quis tandem, fortiſſima pectora, tantus
Vos inter medius venit furor? Hei mihi, quæſo,
Parcite, dilecti ſocii, & majoribus apti,
Nunc fortes eſtote: dabunt bona numina finem
Hiſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Hiſce brevi. Durate modo, & ſervate ſecundis
Non viles animas. Nec enim mens iſta Columbi
Suaſit, ut ignota hæc penetrarent æquora puppes
Hiſpanæ: Haud equidem tanta me laude, bonoque
Dignabor ſtolidus. Deus hoc, Deus æquor arare
Impulit. Hic gemino voluit commercia Mundo.
Hic feret auxilium, hic monſtrabit Atlantica nobis
Littora, & ignoto ſervabit in æquore claſſem.
Hujus enim munus, qnod nondum nubila, & undas
Permiſcet multa flavens caput Eurus arena,
Nec Boreas ſævo quod concutit æthera flatu.
Uſque adeò bona fata favent, & numina nobis.
Vos faciles eſtote precor: vos ardua mecum
Pertentate viri, dubiiſque evincite rebus:
Quæque olim meminiſſe juvet, ſerique nepotes
Quæ quondam celebrent, mecum, ſocii, edite facta:
Poſtquam huc eſt ventum, dives jam terra propinquat.
Quod ſi tarda nimis ſpes, & mora longa videtur:
Tertia, promitto, ſtellas non ante fugabit
Apportans Aurora diem, quam littora nobis
Tangantur ſperata. Hanc, optima pectora, mecum
Expectate diem, nec tantum in dedecus ite,
Hiſpanam ut penitus deluſam clamitet omnis
Orbis avaritiam, atque incepta audacia culpet.

Interea dulces modico viventibus undæ
Sufficient, pariterque Ceres. Si tertia nondum
Littora grata dies monſtraverit: en age, prorſus
Non moror, ad patrios flectetis carbaſa portus.
His vaga plebs dictis iterum ſedata quieſcit,
Collaudatque Ducis poſito promiſſa furore:
Dum nimia brevitate moræ ſpes pulſa novatur.
Multa licet contra ſtrepitet Rodericus, & uſque
Spes vanas, ſegnemque moram, fraudeſque
queratur.
Interea cœlum denſis obſcura tenebris
Nox tegit, & placidæ reliqui ſua corda quieti
Dant comitum. Aſt gratos curarum examina
ſomnos
Eripuere Duci. Motus namque ille retractat
Nautarum, metuenſque ſibi, jam fata ſiniſtra
Incuſat ſecum, jam prægravat æthera votis,
Sollicitatque Deum precibus Sopor alligat artus
Interea feſſos, & verba precantia rumpit.
Extemplo mœſto auxilium mirabile ſummi
Numinis adfertur. Præſens conſiſtit Atlantis
Ante oculos: Ligurumque inquit, fortiſſime,
ſalve,
Et mecum lætare diu. Tibi proſpera fata,
Et fortuna favent, & Rector maximus Orbis.
Ipſa tui nunquam poſui de pectore curam,
Nec dum etiam pono. Dubitas ſi credere, no-
ſtros
Ecce tibi caſus varios, ſorteſque retexam.
Æquora jam crebræ per ſecula longa carinæ
Tranſierant: lateque legentes littora vaſto
Mutua jam triplici dederant commercia mun-
do,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Europeque Aſieque feros jam noverat Afros.
Indolui, fateor, non cognita ſola relinqui,
Hippotadenque adii, ſubito qui flamine fauſto
Cecropio raptas huc duxit littore claſſes.
Hinc vero poſtquam Deus aſpera bella peroſus,
Noſtrorum, ſævo perdendas fulmine terras
Concutiens, cœlum per vaſta tonitrua movit,
Atque Noti, Boreæque ciens immitia flabra
Neptuno immerſit partem telluris, & alta,
Æquora Colluvie tonſis impervia fecit:
Crebra ſatis longo fluxerunt ſecula tractu,
Littora queis reliquæ gentes Atlantica cunctæ
Neſcivere diu. Donec quoque Punica vela
Non expectatis felicior Æolus Auſtris,
Nautaſque invitos (ſic pectora veſtra quid optent
Sapè fugit) trepidoſque, ignotum ad littus adegit.
Felices equidem, ſi munera tanta tuliſſent
Perpetua. At curæ nimis inſidioſa Vetuſtas
Humanæ, ah miſeris ſubduxit littora Pœnis.
Vix etenim reduces patriæ Rectoribus altis
Hæc ſua rettulerant lætantes gaudia nautæ:
Et nova certatim viſuri littora cives,
Culturique ſolum, ſpumas ſalis ære ruebant:
Cum mox Fama loquax, quæ viderat omnia pandit,
Fictaque cum veris conjungens, ſingula tollit,
Ut ſolet, in majus. Jam ſparſerat undique, terras
Ingentes, longèque alio ſub ſole repoſtas
Inventas nuper Pœnis: queis Itala longe
Littora, & Etruſci concedant Tybridis undæ.
Quæ

Quæ nimio nunquam bruma durante rigeſcant
Frigore, quas nulli lædant æſtate calores.
Ver ubi perpetuum, flores, frumentaque campis (95)
Ter, totieſque anno renoventur in arbore frondes.
Mille alia adjungit. Quæ poſtquam infauſta Vetuſtas
Audiit, & celſi vidit de culmine montis
Æquora Sidonias pulſare Atlantica tonſas:
Invidit rabioſa viris, & pectore prorſus
Indignata imo, crudeles concipit iras,
Triſtibus hinc flammata odiis hæc mente volutat.
Nunc meritos equidem fas eſt mihi rumpere queſtus,
Poſtquam iterum terris reliquis ſe jungit Atlantis.
Siccine felici caſu pars tanta bonorum
Noſtrorum, nullis curis, nulloque reperta
Sudore, æternos fundet mortalibus uſus?
Indignum facinus! Quæ te dementia vertit
Æole, quis vos Eure, Auſterque quis error adegit,
Indignuſve furor, tanta hæc myſteria Pœnis
Detegere, & miſeram conceſſis pellere regnis?
Hæc ait: & lacrumis fœdas, & pulvere malas,
Unguibus oblongis lacerans, ululatibus implet
Omnia. Mox humeros nigranti condita nube,
Conſilii jam certa ſui, mea regna relinquit:
Et poſtquam Hippotadæ, & geminis convitia ventis
Dixit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Dixit, ad armigeros mox Thracas, & arva recedit,
Qua canens Rhodope frigenteis verberat Arctos,
Atque Hæmus contra glacialia culmina tollit.
Huc etenim vix jam cædendo feſſus, & ira,
Venerat, & faciem Mavors nudaverat ære,
Et terræ acclivis, fumanteis fuderat artus
Per glaciem, gelidaſque nives: ardore ſolutæ
Quæ fluitant, lymphiſque implent ſpumantibus Hebrum.
Huic illa improviſa. Mihi gens noxia dudum
Pœnorum longo ſulcavit Nerea tractu,
Atque Hiſpana ſuis implevit littora nautis: (96)
Occiduaſque domos, & nulli cognita regna
Hactenus, invenit, ductus monſtrante ſecundo
Hippotade. Hinc animi nimium crevere feroces,
Jamque Orbi imperium intentant, & Tybridos undis
Tyrrheniſque viris, multum tibi ſemper amatis
Aſpera bella movent. Gentem compeſce ferocem
Nunc igitur, populoque tuo prodeſſe memento.
Annuit, & gelido Mavors deſcendit ab Hæmo,
Italiamque petit. Juxta proſperrima Divum
Accedit manus, at ſcelerum deterrima Pœnos
Turba petit, celſaſque intrat Carthaginis arces.
Dux Timor it: ſubito Rectorum cordibus imis
Qui ſeſe inſpirat, populique in viſcera tranſit.
Hinc

Hinc celeri curſu properant ad littora cives
Ignota, inventæque petunt Atlantidos oras.
Atque hinc Fama, metuſque Ducum compleverat aures,
Tyrrheno armatam pelago deſcendere claſſem,
Dilabique fuga cives. Hinc juſſa feruntur
Rectorum, ut redeant deſerta ad littora cuncti,
Et quicunque iterum votis, vel puppibus oras
Reppetat occiduas, is pœnas ſanguine ſolvat.
Sic iterum inviſa tellus Atlantica nocte
Conditur, & deſerta infelix regna Vetuſtas
Occupat, & gaudens magna cervice triumphat.
Hanc tu iterum pelles: ſic vult Deus, optime, ſic vult,
Ipſaque jam gelidas fugiens conceſſit ad Arctos,
Atque gemit ſubjecta polo. Tu perge Columbe,
Nec curſus inhibe, certus non cedere duris.
Nec te ſæva vagæ moveat veſania turbæ.
Non reſtat mora longa tibi: quin accipe lætus,
Quæ promiſſa fero. Cum primum craſtina cœlum
Inficiet roſeos agitans Aurora jugales:
Grata tibi ante oculos tellus conſpecta jacebit.
Hæc ubi dicta dedit: læva quam forte gerebat
Ægida, ſublato nudam velamine monſtrat.
Hanc Deus ignipotens, Parcarum dicta ſecutus,
Totam fatidicis variaverat uſque figuris,
Cernitur heic longo tellus Atlantica tractu,
In partes diffiſſa duas: divergit in auſtrum
Altera, frigentes aſt altera verberat Arctos.
Utramque in medio porrectam colligat Iſthmus,

Ru-

Rupibus excelſis hinc atque hinc vaſta coërcens
Æquora: (97) quæ ſparſæ diſtinguunt undique terræ,
Diverſique orbes. Mirans hæc cuncta Columbus
Aſpicit, obtutuque hæret defixus in uno:
Quoque videt magis, atque intentius omnia luſtrat,
Hoc magis inſolitæ miratur imaginis umbras.
Singula mox ergo inſpectat. nunc ſedulus herbas,
Et flores, noſtriſque ignota animantia terris,
Fluminaque herboſos inter labentia colles,
Undanteſque auro ripas: Nunc regia tecta,
Et raras urbes, atque antra latentia luſtrat,
Arboreaſque domos. Nunc magna mole gigantes,
Horrendos ſtupet & penitus ſine veſte vagantes,
Et fœdos mores ſimul, & ſacra turpia damnat.
Dumque adeo aſpectans oculos per ſingula verſat
Chriſtophorus, Divamque attentis auribus audit,
Pandentem fines terrarum, & nomina prorſus
Horrida, barbaricas populi teſtantia mentes:
Et Guanahanæ monſtrantem littora, cujus
In portu feſſam poſſit demittere claſſem:
Ecce oritur ſubitum, & viſu mirabile monſtrum.
Omnia commutant faciem: nova ſingula ſurgunt,
Et meliora quidem. Non frondea tecta videntur
Amplius, aut duris horrentia ſentibus antra:
Mæ-

Mænia proſiliunt, & celſis turribus urbes,
Et quondam vacuis emergunt oppida campis.
Quin & quæque ſuis ſpatiis aſſcripta videntur
Nomina, collucentque auratis clara figuris.
Miratur nova tanta Ligur, repetitaque luſtrat
Singula. Jam SERVATORI fæcunda dicata
GUANAHANA jacet. Videt hanc, ſparſaſque LUCAJAS
Chriſtophorus, CARIBUMque horrendos aſpicit orbes:
Inſula JOANNIS quas inter amœna videtur.
Hinc brevibus ſpaciis MINOR eſt HISPANIA, certans
Majori. Heic læto vernantes gramine campi,
Floriferiſque herbis, & dives aromate tellus,
Fluminaque, & multis regio fæcunda metallis.
Hanc juxta tellus JACOBI nomine dicta,
CUBAque, quæ quondam FERDINANDINA vocari
Maluit, & fulvis aurum permiſcet arenis.
Adſunt & reliquæ per cærula vaſta minores,
Copia quas ingens omnes numerare vetabat. (98)
Hæc Ligur ut vidit: ſubito vaga lumina motu
Deflectit, qua læta ſecans ARGENTEUS amnis
Rura meat, geminoque freto qua ſe æquora miſcent
Indica Atlanteo: celebrataque nomine tellus
MAGALLANE tuo nivibus candentia profert
Culmina perpetuis. Tum diræ littora linquit

BRASILIÆ, & variis errantes flexibus angues,
Et magis his ſævos homines, non ulla timentes
Numina, & humanis complentes carnibus ora.
Aſpicit & nimio dictam de frigore CHILEN,
Et ſtupet immiſſas ſtomachis impune ſagitas. (99)
Hinc patet in trinas diſtincta PERUVIA partes,
Et terræ pluviis pariter, nivibuſque carentes,
Et madidi montes, avibuſque loquacibus Andes
Culti, & ridiculis habitati Cercopithecis.
Inde POPAJANÆ fulvo loca grata metallo
Tranſit, GRANATAMque NOVAM, vallemque Smaragdis
Vernantem. Haud procul hinc GUAJANA videtur, & ingens
Flumen AMAZONIDUM, novaque ANDALUSIA juxta
Apparet, VENETIque alii, quos viſcera terræ
Aurea, quos ditant undantia frugibus arva.
Hæc ubi Chriſtophorus pervidit ſedulus: iſthmum
Tranſit, & Arctoas certus percurrere partes.
Quarum prima ſuas aurata VERAGUA gazas
Oſtentat, multaſque tenens GUATIMALA terras,
Et NOVA diverſis HISPANIA nota metallis,
Et ſegnique, vagæque habitata GALÆCIA genti,

Lon-

Longaque pacatum findens CALEFORNIA pontum,
Hinc variis dives poſita eſt NOVA MEXICO donis,
FLORIDAque, & placido gaudens VIRGINIA cælo.
Inde novi BELGÆ degunt, aliique BRITANNI,
Et SCOTI, FRANCIque ſimul, CANADAMque colentes. (100)
Viderat hæc: & quæ ſe littora fata juberent
Viſere, quæ forti Pizarro, quæve Draconi,
Corteſioque duci, & quæ ſervarent Americo, (101)
Aut aliis, Diva audierat memorante Columbus.
Jamque his luſtratis, animo ulteriora requirit.
Hæc male ſublato velamine forte latebant:
Quod miſer erecta dum tentat tollere dextra
Somnus abit ſubito,& cum ſomno Diva recedit.
Ille manum vigilans movet, atque Atlantida primo
Quærit, & effigiem: toto ſed pectore ſomnus
Poſtquam abiit, vacuoque videt ſua corpora lecto,
Exilit, & gaudens monitis, certuſque futuri,
Imperat ejecto fundum cognoſcere plumbo.
Quod poſtquam multo extractum ſordeſcere limo
Senſit. Jo ſecum, non hæc ſine numine viſa
Sunt noſtra, exclamat. Divinus pectora ſomnus
Inſedit. Tu quæſo Deus, tu vota ſecunda.
Hæc animo ingeminans, ſummam conſcendere navim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Approperat: ſimul occiduas conſurgere nubes
Qua propior Ponto eſt aër, ſummoſque ceruchos
Aſpicit adverſa nutantes leniter aura,
Et ſenſim magis atque magis palleſcere marmor. (102)
Jamque animi vix eſt compos, dumque aëra luſtrat
Sæpius, ecce vagæ perſtringunt lumina flammæ,
Et creſcunt ſemper. Tum verò pectore toto
Gaudia percipens Ligur, & jam ſponte laceſſens
Hiſpanum juvenem, juxta qui conſtitit: ecce,
Ecce, inquit, num me penitus mea lumina fallunt,
Dilecte, an verò flagrantem conſpicis ignem
Haud procul hinc? digitoque locumque, ignemque notavit.
Quem poſtquam & juvenis viſum affirmavit, & ipſe
Haud falſum ſenſit, jam ſe putat eſſe beatum.
Nec tamen uſque ſibi credens, oſtendere nautis
Ipſe vetat flammas: rabies ne ſæva reſurgat,
Et redeant diri eluſa ſpe forte furores.
Attamen interea demittere ſuppara juſſit,
Ne ſubito in ſicca naves ſiſtantur arena.
Jam Titan dubiam ſpargebat ab æquore lucem,
Horaque poſt mediam proceſſerat altera noctem:
Cum quidam ex ſociis, (103) quem terras ſumma videndi.
Cura fatigabat, malo deſpexit ab alto,
Et

Et ſubitò : ô ſocii conclamat, cernite flammas,
Cernite, jam gratis cuncti ſiſtemur in oris.
Sic ait. Hinc juvenis profert Hiſpanus & ipſe
Viſa ſua. Extemplo vario certamine clamor
Nauticus exſurgit : pars hæc lætatur, at illa
Perturbata ſilet, motæ ſibi conſcia turbæ.
Nec dum etiam credunt cunctique aſcendere malum
Approperant, certi hæc oculis accredere ſolis
Noncia. Conſpiciunt ergo, & conſpecta ſalutant
Littora : quæ ſenſim interea ſenſimque propinquant,
Vixque oculos implent mirantum. Hinc protinus omnes
Accedunt, laudantque ducem, veniamque precantur
Factorum. Imprimis ſceleris Rodericus iniqui
Ipſe petit ſupplex veniam, poſitoque furore,
Promittit per cuncta fidem. Tunc ergo Columbus
Re vera lætam ſolvens in gaudia mentem,
Noluit hæc ulli comitum ploranda ſuorum
Gaudia : confeſſiſque ſcelus, pœnamque remittens,
Felicem juſſit ventis ſubducere claſſem.
Eſt locus, in longo ad Boreæ convexa receſſu,
Qua curvum objectu laterum ſinuatur in arcum
Inſula, quaſſatis ſtatio bene fida carinis. (104)
Heic ſilet intactum ventis mare : namque minantes
In cœlum ſcopuli, & denſa nemus imminet umbra.

Hos Ligur, hos intrat portus, & littora cymba
Grata petit, Chriſtoque crucem locat arbore
cæſa,
Atque Hiſpanorum jungens inſignia Regum,
Procumbens ſupplex, attollit ad æthera palmas,
Optatumque iſtas effundit in aëra voces.
Vicimus ô ſocii. En, magnum tranavimus
æquor.
Venimus huc. Nemo poſthac mea facta refutet.
Hæc Hiſpanorum tellus addicta Monarchæ eſt.
O ſemper celebranda dies, Atlantidos oris
Quæ tandem ſiſtis lætum! O Rex maxime re-
rum,
Qui terram, & latum imperio moderaris Olym-
pum,
Oceanique undas, quas nunc pro munere tanto,
Quas tibi ſufficiam dignas perſolvere grates.
Hæc equidem poſthac nomen SERVATOR,
habebit
Terra tuum; ſervata tuo nam munere puppis
Noſtrá peregrinis felix conſedit arenis.
Tu porro ignotas nobis qui detegis oras
Haſce tuas, triſtes illis defende tenebras
Perpetuo, & ſi quas, ut ſpero, hæc littora gentes
Forte tenent, tu flecte illas, ut nomina prompti
Accipiant & rite colant tua, donec in omni
CHRISTUS adoretur Mundo. Sic, maxime
Rector,
Sic me, ſic geminus coeat precor auſpice rurſus
Orbis, ut una fides geminos illuminet Indos.

FINIS.

AN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

ANNOTATIONES.

1. QUattuor in partes.) *De ſuperficiei terrenæ diviſione, quam variam varii tradidere, imprimis veteres, ſatis conſtat, & omnes ferè hac de re opiniones recenſet Paulus Merula, Coſmog. Part. 2. lib. 1. cap. 1. Eam verò recentiores, ipſam rerum naturam ſecuti, optimè, quantum ego ſentio, in quatuor partes diviſere: puta in Orbem veterem, ſub quo ſunt Europa, Aſia, & Africa: in Americam, & binas Polares, adhuc fere ignotas.*

2. Tyriæ de nomine Nymphæ) *Inter Poëtarum fabulas hæc notiſſima eſt: cujus jam meminit fabularum parens Batrachomyomachias verſ. 60. & qui præ reliquis fuſe eam exponit, Moſchus, Idyll. 2. Narratio facti hiſtorica extat apud Herod. l. 1. Palæphatus à Rege Tyrrhenorum Tauro raptam vult: alii à navis forma, ſeu tutela, fabulam derivatam maluere, inter quos fuit Agatharcides in Europicis. Tempus facti indicat Euſebius in Chronico, & Sethus Calviſius, qui in annum mundi 2560. rejicit.*

3. Himeridæ) *Europi Regis cujuſdam Europæ meminit Juſt. l. 7. c. 1. cui Euſtath. in Lycophrontem Himerum patrem tribuit. Stephanus, & Thuc. l. 2. ab eo Europam Macedoniæ urbem dictam volunt.*

4. Oceani voluit te filia d.) *Andron Tejus binas nupſiſſe Oceano Nymphas ſcriptum reliquit, quarum una Europam, altera Aſiam &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Africam pepererit. Idem affirmat Scholiaſtes Apollonii l. 2.

5. Teuto vocavit) *Goropius Becanus deducit ab* **Heer**/ *id eſt excellens, & **hoop**/ ſive multitudo, Hieroglyph. l.* 1. *p.* 10. *Idem aliam etiam denominationem affert hujus terrarum partis l.* 4. *rer. Franc. pag.* 104. *&* 150.

6. Condunt oblivia nocte) *Hæc ſententia eſt Herodoti l.* 4.

7. Japeti,) *Japetie commode dicitur ab Japeto, cui primo partem hanc habitatam, patet, ex Gen. c.* 10 *Joſepho Antiq. Jud. l.* 1. *c.* 7. *Sulp. Sev. Hiſt. Sacræ l.* 1. *c.* 6. *horumque commentatoribus, imprimis Parerio in Geneſin.*

8. Celtarum nomine dici m.) *Celtas Europæos omnes dictos, & Celticam Europam dudum docuere veteres Geographi, præterque illos Ariſt. in libello de mundo, & de mirandis, Suidas, Porphyr. in antro Nymph. &c.*

9. Puro creſcit prudentia cœlo) *Pro cælo variare animorum humanorum indolem, vel experientia ſatis comprobat. Cauſſas rei aperuit Hippocr. de aëre, aquis, & locis, & Galenus. Proclus quoque huc Platonem in Timæo, Critia, & Menexeno reſpexiſſe vult, cum aërem Atticum ingeniis accommodatiorem dicit. Licet aliter hæc interpretentur Porphyrius, Jamblichus, Plotinus, &c. qua de re agit Marſil. Fic. Argum. in Critiam. Eandem varietatis ingeniorum cauſſam agnoſcunt Cic. l.* 2. *Nat. Deor. c.* 6. *&* 16. *Seneca Ep.* 51. *&c. Cæl. Rodig. Lect. antiq. l.* 18. *c.* 18. *&* 20. *Jo. Baptiſt. Porta Phyſio. c.* 9. *Idem Ulpia-*

nus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

nus agnovit. l. 31. §. 20. ff. de Ædil. edicto. Ut & Politici, Ariſt. l. 3. Pol. c. 14. & l. 7. c. 7. Ubi multa imprimis Piccartus addit. Machiavell. l. 5. de rep. c. 34. & alii. Omnes vero gentium hujus terræ varietates fere complexus eſt ſingulari hac de re libello, Chr. Beſoldus.

10. Japetus chara de conjuge d.) *Aſia hæc Oceani fuit filia, Japeti conjux. Herod. in Melpomene, Lycophron, & ſupra laudati.*

11. Nota palus d. reliquoſque virorum) *Ab Aſia palude dictam vult Stephanus: Virgil. Georg. 1. v. 384. & Servius aliique in eum locum. Nonnulli Aſium quendam virum afferunt, quem Manei Lydi filium vult Schol. Homeri Il. 2. v. 480. Hippias quoque apud Euſtath. Heroa quendam Aſium memorat, cujus ſepulchrum in Lydia fuiſſe, tradit Strabo l. 4. Joannes vero Antiochenus, apud Nat. Com. l. 4. c. 6. Aſium, unde Aſiæ nomen, Philoſophum fuiſſe, & Palladium fabricatum eſſe Trojanis, ſcriptum reliquit.*

12. Rigore carentem Sic d. Gr.) *Quod φρίκης, id eſt, rigoris expers ſit. Feſtus.*

13. Ifricus) *Ifricum Arabiæ Regem fuiſſe, primumque terras illas coluiſſe: unde etiamnum Ifricia Africa dicatur indigenis, Leo Afer annotavit.*

14. Afre tibi) *Afrum, unde Africæ nomen, Hebræum, & ex Abrahæ poſteris fuiſſe, docet Joſephus Antiq. Jud. l. 1. c. 16. Herculis comitem Nicias, Græcique Mythologi alii tradidere, quorum & quidam filium ipſius fuiſſe addunt.*

15. Deus æquoris alti fecit) *De navium in-*

vento magna apud veteres lis fuit. Clemens l. 1. Strom. c. 7. Atlanti, Plin. l. 7. c. 5. Danao id tribuit. Prometheus idem inventum ſuum gloriatur, apud Æſchylum, de quo Muretus Var. Lect. l. 1. c. 11. Tibullus l. 2. El. 7. Tyriis, & alii Samothracibus, teſte Euſebio, de præparatione Euangel. l. 1. hunc honorem detulerunt. A quibus tamen etiam diſſentit Draco Corcyræus, apud Athenæum l. 15. c. 13. qui Jano defert hanc laudem, & Diod. Sic. l. 6. qui Neptuno. Alii porro Minervam Jaſoni primum navigium fabricatam tradunt, inter quos Ov. l. 3. Triſt. El. 9. Flaccus l. 1. Argon. Quod tamen ſi temporis rationem habere velis, falſitatis arguit Deucalionis, ſeu fabula, ſeu hiſtoria. Qui ſi eſt Noachus noſter, omnino verum dixere veteres. Id autem volunt plerique, & omnium princeps Pererius diſput. in Gen. c. 6.

16. Mulier ſuperare viriles) *De Semiramidis hac expeditione teſtantur Dicæarchus, Juſtin. l. 1. c. 2. Oroſ. l. 1. c. 4. Auguſtinus de Civ. Dei l. 18. c. 2. & fuſe admodum Diod. Sic. l. 2. quorum fidem ſuſpectam facere videtur apud Strabonem l. 15. Megaſthenes.*

17. Rex P. Scythiæ quæ prima) *Seſoſtris hujus, qui Schytis bellum intulit, & Colchis originem dedit, meminit Hiſtoriæ parens, in Euterpe, Diod. Sic. l. 1. num. 55. & ſeqq. Lucanus, Valer. Flaccus l. 5. Argon. verſ. 418. ubi quædam annotat Alardus. Hunc eundem cum Vexore Juſtini, l. 1. c. 1. & l. 2. c. 3. cujus & Iornandes de rebus Get. c. 5. & 11. Oroſius l. 1. c. 14. meminit, contra Calviſium ſtatuunt Iſaacus Voſſius, & Turnebus l. 2. Adverſ. c. 5.*

18. Eu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

18. Eudoxuſque ſimul,) *De his navigationibus, agunt Strab. l.* 1. *&* 2. *& Caſaubonus in notis ad eum, nec non Plin. l.* 2. *c.* 67. *ex recentioribus vero Cl. Barthol. Moriſottus Hiſt. Orbis maritimi l.* 1. *& Pontanus diſcuſſ. Hiſtor. l.* 2. *cap.* 5.

19. Et Pœni huc venere Duces) *Quatuor præcipue gentes cognitam habuiſſe ante Columbum Americam videntur.* I. Hebræi, *ex loco illo de Ophyra.* 1 *Reg. c.* 2. *&* 2. *Paral. c.* 8. *ubi Hiſpaniolam intelligit Fr. Vatablus, Peruviam Poſtellus, Ben. Arias Montanus, & Goropius Becanus l.* 7. *Hiſp. p.* 112. *vid. Caſp. Varreri diſputationem de Ophira, Ortelium in voce Ophir & Uphas, &c.*

II. *Græci, & imprimis* Athenienſes, *ex Platonis Critia, & Timæo, ſeu de Atlantide inſula, quæ non plane eſſe fabuloſa, & ex ipſius verbis patet, & interpretes omnes affirmant. Imprimis Proclus, qui ex Marcelli cujuſdam Æthiopica Hiſtoria, hanc narrationem comprobavit. Unde Marſil. Ficinus, in argumentis horum dialogorum, nimis ſtudioſos allegoriæ interpretes, ipſi Platoni, ſi eos audiret, deriſui futuros autumat.*

III. Carthaginienſes, *ut teſtatur Ariſt.* περὶ θαυμ. ἀκουσμ. *& Diod. Sic. l.* 5. *c.* 19. *&* 20.

IV. Romani *ex M. Manilii l.* 1. *Aſtron. verſ.* 302. *Virgil. Æn.* 6. *v.* 790. *Sen. Medea A.* 2. *v.* 378. *Avito, apud Sen. Rhetorem, Suaſor.* 1. *L. Marin. Sic. de rebus Hiſpaniæ, lib.* 19. *Ex his autem Hebræorum, & Romanorum notitiam, levioribus, firmioribus vero Athenienſium, & Pœnorum niti, facile patet. Quid vero ſingulis*

inſit veri, doctiores judicent. De hoc autem difficillimo argumento, qui nunc occurrunt, præter Coſmographicorum, aut Geographicorum ſyſtematum ſcriptores, egere Ortelius *in Theſauro, locis citatis, & in voce Atlantis. Joſeph. d. Acoſta Hiſtoire Naturelle des Indes l.* 1. *Jo. Metellus Sequanus in Epiſtola ad Antonium Auguſtinum: & Chr. Beſoldus, libello cui titulum fecit, Collectanea de Orbe novo, ubi imbecilliora etiam argumenta alia recenſentur.*

20. Ligurem) *Ortus fuit Columbus Cucurreo Genuenſis civitatis municipio. Majores vero ejus Placentiæ fuere nati, uti tradit imprimis Hier. Benzo. Hiſt. Novi Orbis l.* 1. *c.* 14.

21. Non clara de gente h.) *Diſſenſio eſt inter Hiſtoricos, de genere Columbi. Alii enim ignobilem prorſus, & patre aut piſcatore, aut textore natum volunt, inter quos P. Bizarrus Hiſt. Gen. l.* 16 *initio.*

Alii è contrario ex nobili Piliſtrellorum familia ejus deducunt genus, inter quor eſt Hier. Benzo. l. 1. *c.* 14.

22. Celſis adverteret agmina muris) *Factum hoc Anno Chriſti* 1491. *quo cæſis Mauris, d.* 23. *Jan. obſeſſa Granata eſt, à Ferdinando V. Caſtellæ Rege, uti docent Jo. Marian. l.* 25. *de rebus Hiſpaniæ, L. Marin. Siculus l.* 20 *c.* 1. *Carol. Verard. de expugnatione Granatæ, Anton. Nebriſſ. dec.* 2. *aliique.*

23. Alcidæque trucem d. gentem) *Hercules Mauros duxit in Africam, ſive illi Indi, ut docet Strabo l. ult. ſive Medi fuere, quod placet Saluſtio,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

luſtio, in Bell. Jugurthino. De gentis vero hujus truculentia, innataque diritate, teſtatur Herodianus lib. 3.

24. Regna amittere rapta) *Anno enim ſalutis noſtræ* 1195. *Aben Joſeph, Rex de Maroch, aſſumptis Numidis, & Mauris, in Hiſpaniam irruit, Granatam, & Caſtellam occupavit, ut Wolffgangi Dreſchleri Hiſtor. Arabum in anno dicto, & Zacuthi in anno Hegiræ* 591. *aliique narrant.*

25. Temere incepti) *Anno quippe Chr.* 1481. *Alhoacenus, Rex Maurorum, Aharam oppidum munitum, Arundam inter & Aſſidonem, nocturna invaſione occupavit, & hac ratione bello decennali Granatenſi, & ſuorum exitio anſam præbuit, ut narrant autores n.* 22. *laudati.*

26. Granatæ deſtruit arcem) *Anno redemptionis noſtræ* 1491. *d.* 25. *Nov. dedita eſt Ferdinando per totum ferè annum obſeſſa Granata. Quam ſequenti anno d.* 2. *Jan. ingreſſus eſt, ut autores iidem commemorant.*

27. Clavam dextra gerit) *Americæ forma, ac habitus idem eſt, atque incolarum ejus, eos autem maxima ex parte vaſti corporis, cutiſque candidæ, niſi qui coloribus eam diſſimularunt, fuiſſe, & capillos oblongos, ornatum plumeum, ſagittaſque cum arcubus (quos è corylis Virginianos habuiſſe, Jo. de Laet, l.* 3. *c.* 23. *deſcr. utr. Amer. teſtatur) & clavas portaſſe, paſſim apud earum rerum ſcriptores legitur.*

28. Smaragdus) *Gemmæ in America quamplurimæ, & variæ inventæ fuere, quas deſcribit*

Nicol. Monardes, apud Cluſium in exoticis l. 7. Præcipuæ vero, & pretio, & copia, Smaragdi, qui reperiuntur in Peruvia præcipue, & Granata, ac Braſilia, haud procul à promontorio S. Helenæ, uti patet ex P. Mart. dec. 3. c. 5. Petro Bertio, Jo. de Laet. deſcr. utr. Americ. & l. 1. c. 8. de Lap. & gemmis, ubi Americanos Smaragdos non raro ſuperare Scythicos affirmat.

29. Thetidos baccæ) *Margaritas admodum larga copia ſuppeditat America, imprimis mare ad Cumanam, Pariam, & Cubaguam: Eas tamen præſtantia cedere orientalibus, docet Anſelmus Boëth. de Lap. & gemm. l. 2. c. 138.*

30. Pallam) *Veſtitum Peruvianorum deſcriptum reliquit Benzo l. 3. c. 2. P. Bertius, Jo. de Laet. deſcr. l. 11. c. 21.*

31. Feritate timendos) *Braſiliæ incolas crudelitatis, & feritatis plus quam belluinæ eſſe, fuſe docet Jo. Lerius Navigationis ſuæ cap. 14, & Petrus Bertius ex Jo. Petro Maffeio. mihi pag. 115. 116. ut & Caſpar Barlæus de rebus ſub Mauritio Principe in Braſilia geſtis pag. 22.*

32. Gargaphiis) *De fonte hoc ſcribit Herodotus l. 9. Pauſanias in Bæoticis, & Ov. Met. l. 3. v. 155.*

33. Cuſco, Mexico) *Harum urbium altera Mexicani regni metropolis, quæ & Tuneſtitana dicta eſt, fuit: altera vero Peruvianorum Ingarum, ſive Regum ſedes, quas deſcribunt P. Martyr. dec. 3. c. 7. & dec. 8. c. 2. Herrera. P. Ordonnez. aliique jam ſupra laudati.*

34. Argenteus amnis) *Fluvius hic indigenis Para-*

Paranaguazzu, & Parana, Hiſpanis Rio de la plata vocatus eſt: quoniam flumen hoc primo luſtrantes argenti aliquid, hactenus in America nondum viſi, accepere. Hinc & idem adjacenti regioni nomen datum eſt. Jo. de Laet. l. 14. c. 2. 3. & ſeqq. aliique modo citati.

35. Amazonidum) *Hiſpani quare hunc fluvium Rio de S. Juan de los Amazonas dixerint, & quomodo à fl. Marannon, aliiſque cum quibus ab Acoſta, & reliquis confunditur, ſecerni debeat, luculenter exponit Jo. de Laet. l. 16. c. 9. & l. 17. c. 3.*

36. Potoſſus) *Mons Peruviæ, omniumque totius Americæ clariſſimus, ob argenti fodinas ditiſſimas, Hiſpanis imprimis gratus: totus ruffi eſt coloris, & prolixe deſcribitur à Joſ. Acoſta, & aliis.*

37. Non mihi deficit aurum) *De auri in America abundantia, teſtes ſunt iidem autores, & præter eos Hugo Linſchotanus. Memorabile imprimis eſt, quod Ludovicus Nonius refert, Reges Hiſpaniæ edicto caviſſe, ut Hiſpaniæ aurifodinis parcatur, dum Americanæ aliquid largiantur. Ne ſcilicet occupatis in patria civibus, illis operæ deſint.*

38. Picturatæ, medicantur I.) *De Smaragdo diximus. Jaſpides vero etiam largiri Americam, & imprimis novam Hiſpaniam, multi teſtantur, & præ reliquis P. Martyr, dec. 3. c. 5. & Metellus in epiſtola.*

39. Balſama) *De hujus balſami duplici genere ſcribunt Nicolaus Monardes, de ſimplicibus. Jo. Metellus. De Laet. l. 1. c. 4. l. 5. c. 2. l. 8. c. 15. l. 10. c. 21. Georgius Marggrav. de Liebſtad in Hiſt. Naturali Braſiliæ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

40. Veſtiti palmite colles) *Vites in variis Americæ regionibus ſponte natas, nullo in pretio apud incolas fuiſſe, qui & nulla eas cultura ſint dignati, paſſim Hiſtorici teſtantur. In Virginia equidem abundantes admodum eas inventas eſſe, & arborum altiſſimarum ramos circumdediſſe, uvaſque ſatis largas, juxta domos imprimis barbarorum tuliſſe, unde vinum Britonico non abſimile factum ſit: Joannes Smidt refert, in deſcriptione Batavice edita, A.D. 1651. In eodem commentario & in nova Anglia vites, uvæque repertæ memorantur. In nova Francia quoque neglectas eas jacuiſſe, & Gallis inventas, optimum omphacium præbuiſſe, Jo. de Laet, l. 2. c. 19. autor eſt. Idem l. 1. c. 2. & l. 5. c. 1. & l. 10. c. 11. In Cuba, & nova Hiſpania alicubi, ut & in Peruvia vites pene neglectas, alioqui tamen ſatis fertiles Hiſpanis repertas prodit; addens, adeo illic deſides in quibuſdam locis eſſe incolas, ut totos dies in terra proſtrati dormiendo tranſigant, vix ægre cibos ſponte natos colligere ſibi ſuſtinentes. Idem in nova Hiſpania, non æque, ac in Peruvia, uvas ad maturitatem pervenire ob pluvias, ex Acoſta refert l. 5. c. 1. Quin & terra ad fl. de la plata vites habet. Idem l. 14. cap. 5. & Chilen iis non carere prorſus, Acoſta teſtatur. Jo. Lerius quoque cap. 9. navigationis ſuæ, ſpem propagandarum in Braſilia vitium nobis dedit. Earum quoque meminit P. Martyr. dec. 1. c. 3. Et Georgius Marggravius de Liebſtadt l. 8. c. 8. Hiſt. nat. Braſiliæ ter, & quater quibuſdam in locis eas matureſcere affirmat.*

41. Invidiæque dapes?) *Miris omnino cibis veſci*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

ſci ſolitos Americanos lectitamus. Quivirenſes adipem è ferarum ventre modo ereptum, & calidum etiamnum, avide admodum deglutiebant. Jo. de Laet. deſcr. l. 6. c. 17. Alii eodem teſte, carnibus adhuc crudis famem ſedabant, & ſanguine fumanti etiamnum ſitim reſtinguebant. Quin nonnullos, in bellum euntes, cibo deficiente, carbones comminutos, & arenam pultibus ſuis permiſcere ſolitos, idem auctor perſcripſit. Braſiliæ vero gentes gliribus, buſonibus, vermibus, ranis, aliarumque rerum, haud minus ſpurcarum eſu delectatas, ſerpentes etiam feſtis diebus reſervaſſe, ex ejuſdem l. 14. c. 2. & P. Martyre dec. 1. c. 2. &c. ac Metelli Sequani epiſtola, aliorumque his de rebus commentariis diſcimus.

42. Noſtris ignis & unda ſufficiunt) *De Americæ plantis, præter alios Botanicos, multa refert Cluſius in exoticis: Chr. Acoſta de plantis Americæ, aliique à Cluſio latinitate donati. Tum etiam Gulielmus Piſo Medicinæ Braſilienſis l. 4.* Georg. *Marggr. de Liebſtad. Hiſt. Nat. Braſ. l. 1. 2. 3. Quibus addi poteſt Jo. de Laet, deſcriptio, ubi paſſim multarum vires, iconibus additis explicantur. De modo autem illo curandi ægros, barbaris hiſce recepto, Joſ. Acoſta, & Jo. de Laet, l. 4. c. 14. & l. 5. c. 36. nonnulla annotarunt.*

43. Convellunt unguibus arva) *Hanc arandi rationem Metellus Sequanus, in epiſtola ſæpius laudata, Americanorum quibuſdam receptam fuiſſe teſtatur.*

44. Scripturam ignotam) *Scripturæ, ſi excipias imagines Mexicanorum, & Quippos Peruanos,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

nos, nullam penitus notitiam Americæ gentes habuere. Unde ſupraquam dici poteſt noſtrorum chartas loquentes, (ita epiſtolas vocitabant) ſtupuere: uti pluribus P. Martyr, dec. 3. c. 8. H. Benzo, aliique teſtantur.

45. Nequeant digitos numerando excedere quinos,) *De hac Braſiliæ gente plane plumbea, nihilque hominis habente, Joannes Stadenſis, pag. 122. Hiſtoriæ Antipodum Jo. Lud. Gothofredi, pluſcula refert.*

46. Nomadum de more vagantes c.a.) *Americanorum plerique antris, & gurguſtiis ſubterraneis latitarunt: aut plane ſejuncti, ſinguli cum uxoribus ſuis, & liberis: aut ita, ut antrum quodque integram familiam contineret. In arborum quoque altiſſimarum ramis latiſſimis domos ſuas, Auſtrino mari viciniores, ædificarunt, ut à Met. Sequ. Acoſta, P. Martyre, dec. 2. c. 4. H. Benzone l. 8. c. 17. aliiſque annotatum legimus. Sedes vero ſuas, pro animi lubitu, ſubinde inter alios Quivirenſes, accolæ Rio de la Plata, & Braſiliæ gentes Tapuyæ dictæ, mutarunt. Jo. de Laet. locis pluribus, Marggr. de Liebſtad l. 8.*

47. Sine Principe degit) *Bene multas in America gentes repertas legimus, nullo plane politico imperio in civitatem collectas: niſi quod pleræque in bellum ituræ, quendam ſibi ex ſuis Ducem fecere, qui foris ſummam belli adminiſtraret. Eundem tamen, domum reverſi, illico abdicarunt. Inter hos populos imprimis commemoratos memini Quivirenſes, novi Belgii, & terræ novæ incolas, nec non ad fretum Lemairium habitantes. Unde haud mirum, tantopere*

apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

apud has gentes vitia invaluiſſe, ſiquidem verum eſt, quod Solon, apud Cic. in Bruto, & Stobæum, affirmat. Præmiis videlicet, & pœnis, civitatem contineri. Quorum duorum neceſſitatem jam ipſe Philoſophorum avus Plato agnovit, lib. 5. de rep. & Iſocr. in Orat. Areopagitica, ac ea, quæ de laudibus Buſiridis inſcribitur. Idem ipſe Tullius, Orat. pro Roſc. Am. necnon Off. l. 3. affirmat, qui & l. 3. de Nat. Deor. ne domum quidem ſine his perſiſtere poſſe inquit. In quorum ſententiam certatim omnis recentiorum turba ivit: uti liquet ex Horolog. Princ. l. 2. c. 37. &c. Toloſ. l. 10. de rep. cap. 2. Lipſio Pol. l. 2. c. 12. Keckerm. Syſtem. Pol. l. 1. c. 16. Timpl. Syſt. Eth. l. 10. c. 3. Q. 16. & Pol. l. 4. c. 5. Q. 4. & ſeqq. Neque enim privata ultione, ac talione, quæ ut apud omnes, qui publicis judiciis caruere, ita apud hos etiam in uſu fuit, civitatem conſervari poſſe, putandum eſt. Quippe, quæ neque gravis ſatis eſt, omnem gentem lædentibus flagitiis: neque æquitatis normam, quæ unice heic Philoſopho teſte, attendenda eſt, fere unquam ſequitur. Unde publicas pœnas, cum privatis commune nihil habere debere, jam Bodinus l. 5. de rep. c. 1. judicavit, &c.

48. Nudi vir mulierque ſimul,) *Gentes Americæ fere nullæ veſtibus ante Hiſpanorum adventum uſæ ſunt, niſi quas frigora cogebant. Hinc nudi vixiſſe Cibolenſes leguntur, ut & Granatæ novæ, & inſularum in freto Magallanico incolæ: Item circa flumen Argenteum degentes, Chilenſes quoque & inſulam S. Trinitatis, & Cumanam habitantes. Veraguenſes præterea, & Braſiliæ indigenæ, aliique complures, quorum fœminæ non pudoris, ſed ornatus gra-*

tia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

tia leviter tegebantur. Reliqui veſtes, etiam ultro ſibi ab advenis oblatas, ut induerent, nullo modo animum inducere potuerunt. Quemadmodum una cum Lerio cap. 8. harum rerum ſcriptores alii teſtantur.

49. Quos riſit Græcia mores.) *De Polygamia, Americanorum pleriſque recepta, deque nuptiis inceſtis, Regibus imprimis, & primoribus aulicorum Peruanorum frequentatis: ſicut & de communione uxorum, Novæ Franciæ imprimis gentibus, aliiſque probata, ſatius hic tacere, quam cum faſtidio a memoratis auctoribus ſæpius tradita repetere.*

50. Fraudibus incauti cæduntur.) *Rarò pleroſque barbarorum manum cum hoſte aperto Marte conſeruiſſe: ſæpiſſime vero eundem nocturnis invaſionibus, variiſque dolis, & armis venenatis, perdere ſolitos, præter alios, P. Martyr. dec. 3. c. 3. & dec. 4. c. 3. ſcriptum reliquit.*

51, Yinx,) *Fuit hæc ut Nat. Com. l. 6. c. 6. Suadelæ, ut vero Callimachus, apud Schol. Theocr. Idyll. 2. v. 17. refert, Echus filia. In avem à Junone, quod philtris Jovem tentaſſet, converſa fingitur, quæ alias etiam* σεισοπυγὶς, *Gazæ torquilla non inepte vocatur, teſte Voſſio, Inſtitut. Poët. l. 1. c. 3. Avem ipſam deſcriptam reliquit Ariſt. l. 2. Anim. c. 12. quam amores conciliare, Venerique propterea ſacram, Pindarus Pyth. Od. 4. aliique veterum docuere.*

52. Laniatos ventre recondunt) *De ſævitia Americanorum in hoſtes, horrenda plane ſcriptores referunt. Jo. Stadenſis imprimis Braſilienſium fœdas lanienas, & quomodo hoſtes captos occidere, è cal-*

è calvariis tropæa erigere, & ipſa cadavera comedere ſoliti ſint, fuſe commemorat, cumque ipſo Lerius c. 14. & 15. Alii aliorum facinora enarrant. Hinc igitur plane efferatis animis, & cædibus quotidianis aſſueti, hoſtibus tandem deficientibus, in ſuos ſævire cœperunt. Quod quidem tanta rabie factum eſt à Tlaſcalenſibus, ut & macella vendendis ſuorum carnibus erigerent, ſicuti cum aliis una Jo. de Laet, l. 15. c. 19. annotavit. Nec mitiores etiam Caribes Cajanæ, & Waytaquaſes Braſiliæ fuiſſe, ex ejuſdem l. 12. c. 10. & l. 15. c. 4. diſcimus.

53. Quiſquejam n. d.) *Ayti, & Quiſqueja olim dicta fuit incolis inſula, quam poſtea Hiſpaniolam vocari Columbus voluit. Herrera, Bertius, &c.*

54. Caribum de gente) *Horum Caribum, vel ut aliis vocantur, Canibalum teterrima crudelitate, omnis harum gentium barbaria ſuperata eſt. Eam, vivis omnino coloribus depictam, cernere licet apud P. Martyrem, dec. 1. c. 1 & Dec. 3. c. 3. Ut & in navigatione Columbi, quam latinitate Archangelus Mariana donavit, hiſtoriæ vero Novi Orbis inſertam edidit Grynæus Baſil. A. 1555.*

55. Servanda macellis.) *De hac diritate, & horrenda plane, vixque credenda in hominibus immanitate, ſatis ſuperius dictum habeo.*

56. Omnia rident numina,) *Deorum, quod fieri poſſe non putabat Vellejus, apud Cic. l. 1. Nat. Deor. anticipationem aut nullam, aut certe perexiguam, pleræque, proh dolor, Americæ gentes (ſiquidem vera nobis auctores tradidere) cum ab Hiſpanis primo adirentur, habuerunt. Præcipuæ autem harum, quantum memini, fuere.*

Cubæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Cubæ incolæ, Jo. de Laet. l. 2. c. 2. P. Martyr, dec. 1. c. 1. Terram novam inhabitantes, Jo. de Laet. l. 1. c. 12. Attingovautani novæ Franciæ, ib. c. 13. Novi Belgii indigenæ. ib. l. 3. c. 11. Jo. Smith. p. 22. ad fretum Lemairium poſiti. J. de Laet. l. 13. cap. 14. Braſiliani. ib. l. 14. c. 2. Jo. Lerius. Georg. Marggr. de Liebſtad, Hiſt. Nat. Braſ. l. 7. c. 11. Caſp. Barlæus de rebus ſub Mauritio ibi geſtis. Chilenſes præterea, teſte Jo. de Laet. append. ad Hiſt. Nat. Braſ. Marggr. de Liebſtad. c. 3. Cajanæ denique incolæ, qui ſolem, ac lunam animantia credentes, leviter citra aras tamen, & templa venerabantur, &c.

57. Prognatos ſemine Divos) *De Diis ceterorum variis, ac ridiculis, miroque eorundem cultu, Acoſta, Benzo, Sequanus, & reliqui abunde multa narrant. Inter alia mirandum quam maxime eſt, tantam torpedinem, tantamque amentiam quorundam invaſiſſe animos, ut aquam, ignem, plantas, tonitrua, equos, tormenta bellica, dæmones, & dilecta, aut metuenda omnia, divino cultu proſequerentur, In quorum adeo fatuorum hominum numerum, Peruani imprimis, cum Virginianis una, & Floridanis referuntur à Jo. Laet. l. 3. c. 19. & l. 9. c. 1.*

58. Superant Buſiridis aras) *De ſacrificiis miris, & humanis: infantum nempe, hoſtium, & captivorum, quibus Mexicani infames maxime fuere, incredibilia commemorat præter Acoſtam. P. Martyr, dec. 5. c. 3. aliique, qui hæc attigere.*

59. Natorum funere patres) *Hoc de Peruanis idem refert Acoſta. Apud quos quotiens nobilis unus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

unus graviter decumberet, aut ſervorum, aut liberorum aliquis Diis manibus mactabatur, adjectis precibus, ut hujus nece contenti, ægro ſanitatem reſtituerent.

60. Fructus ex patrum funere nati percipiant.) *Hiſpanorum ſævitia in Americanos, ſatis nota, & ab omnibus, qui has res litteris conſignarunt, perſcripta eſt, quorum dicta hic repetere, ſupervacaneum puto. Inter alios tamen multi hac in re ſunt Sequanus, & Benzo. l. 2. c. 19. & l. 3. c. 5. & 16. P. Martyr, &c.*

61. Quibus impiger orbem luſtrat, & exponit cunctis ſua vota,) *Credibile omnino eſt, annos aliquammultos elapſos eſſe, ex quo primum de quærendis hiſce terris conſilium Columbus cœpit, uſque dum eas adiit. Quippe tot Principibus fruſtra vota ſua aperuit, & in ſola Ferdinandi V. aula annos VII. integros conſumpſit, uti Bembus Hiſt. Ven. l. 6. affirmat. Quanquam ipſum non equidem tanto in ejus aula tempore fuiſſe: ſed poſt acceptam à Rege Luſitaniæ repulſam, ubique oberraſſe, P. Bizarrus Hiſt. Gen. l. 16. ſcribat.*

62. Curaſque ſuas, m. retexit,) *Patriæ primo ſuæ, Genuenſi civitati, dein Joanni Portugalliæ Regi, & Henrico VII, qui Britanniæ imperabat, conſilia ſua indicavit: Gallorum quoque Regem adiit, & magnates fere omnes, quos eo tempore honore, aut opibus eminere videbat. A nullo tamen horum exauditus eſt, niſi à Ferdinando, quod fuſius narrant Met. Sequ. P. Martyr dec. 1. c. 1. H. Benzo. l. 1. Jo. Mariana de rebus Hiſpaniæ l. 26. c. 3.*

63. Ve-

63. Vetuſtas,) *Dea qualis Heſiodi* ἀχλὺς, ἀσπ. *verſ.* 264.

64. Quid pariat ventos, *Inter virtutes Columbi juſtitia præcipue, & pietas deprædicantur. Ceteroquin nec à litteris alienus plane fuit. Matheſεως certe ſtudium eum attigiſſe, ſatis magno prænunciata Cubæ incolis Eclipſis argumento eſt. Neque etiam, naturalis ſcientiæ expers fuerit oportet, ſi è ventis, ſtato anni tempore ab occidente flantibus, terram illic aliquam latitare collegit, uti P. Martyr. dec.* 1. *c.* 1. *Bertius in initio, aliique perſeverant.*

65. Magnetis n. vires detexit i. u.) *Magnetis converſio ſub initium ſeculi illius, quo America detecta eſt, primum patuit. Uti liquet, ex Jo. Cabei Philoſ. magn. Athan. Kircheri Arte magn. & Barthol. Keckerm. Probl. Naut. part.* 2. *probl.* 7. *qui multa de mirando hoc naturæ myſterio, & pyxidis, ut vocant, nauticæ uſu, & forma afferunt. Quam prolixe imprimis, & diligenter, Oſorius de rebus Eman. l.* 1. *deſcriptam reliquit. Varia vero circa ejus uſum monet P. de Medina l.* 6. *rei naut. cap.* 1. *&c.*

66. Faciet t. Cynthius annum,) *Anno Chr. ut ſuperius dictum MCCCCXCII d.* 2. *Jan. Rex ingreſſus eſt Granatam ſibi deditam. Eodem Columbus ſolvit ab Hiſpania. Sive autem id factum ſit Cal. Septembr. ut præter Bembum l. c. & Navigationem Columbi ab Archang. Mariano verſam, ipſe Columbus in epiſtola ſua, ad Raphaelem Sanxium ſcripta teſtatur: ſive id in III. Non. Aug. ut vult Bizarrus, & Mariana, ſive denique in ex-*

eun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

euntem Auguſtum inciderit, quod Benzoni l. c. 6. placet, tempora parum diſtant.

67. Suo tellurem Americam à nomine dicet.) *Americus Veſputius, nobilis Florentinus, ſecutus Columbum, continentem Americæ, ita poſt à ſe dictæ, detexit, teſte P. Bertio, Jo. Marianá l. 26. c. 3. de rebus Hiſpaniæ, aliiſque.*

68. Jucatan) *De hac peninſula, præter Herreram, Bertium, & P. Martyrem, multis egit Jo. de Laet, l. 5. c. 26.*

69, Aromata prodit cetera) *De aromatibus Americæ, præter alios Nicol. Monardes Hiſt. Simplic. c. 25. & ſeqq. quædam annotavit.*

70. Volventes fluctibus aurum) *Cum omnis America, ut jam ſupra dictum, auro ſcatere perhibetur: tum imprimis Guaxaca vallis, in qua ſedem Atlantidis noſtræ poſitam volumus, nullos niſi auriferos fluvios habet. Herrer. p. 37. Jo. de Laet, l. 5. cap. 20.*

71. Nullis minitantur vulnera telis.) *De animalibus Americæ propriis, imprimis Cluſius, Jo. de Laet, Gulielmus Piſo, Med. Braſ. l. ult. & Georg. Margg. de Liebſtad. multa annotarunt. Mirum vero, apes quoque ibidem aculeis plane deſtitutas inveniri.*

72. Cryſtallina tecta) *De Smaragdo equidem, & Jaſpide Americana, ſuperius dictum habeo. Alias vero inſuper gemmas hanc terram largiri auctores teſtantur. Imprimis amethyſtos quibuſdam in locis reperiri, ex Herrera, P. Ordonn. & Jo. de Laet, l. 14. cap. 1. conſtat. Turcoides quoque Chile fert, ut idem Laet, lib. 2. cap. 4.*

de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

deſcriptionis ſuæ, & append. ad Marggr. de Liebſtad c. 2. affirmat. De ſapphiris etiam, & chalcedoniis P. Mart. dec. 3. c. 5. & de cryſtallo Jo. de Laet l. 5. c. 20. & l. 16. c. 10. teſtes habeo.

73. Odoratis irrorant atria lymphis] *Floribus delectari admodum Americanos, iiſque, ut & liquoribus odoratis, templa ſua, feſtis imprimis diebus conſpergere, auctor eſt Acoſta.*

74. Aonidum genitrix,] *Mnemoſyne. Ex ea enim, & Jove, Muſas prognatas, Heſiodus, Orpheus, Plato, in Theæteto, & Critia, Athenæus l. 11. c. 10. & Pauſanias in Bæoticis, veterumque qui fabulas attigere reliqui docent.*

75. Gloriaque ad ſeros latè ventura nepotes.] *Multi poſt primam navigationem feliciter peractam, Columbo honores, multa præmia à Ferdinando ſunt conceſſa. Quippe & nobilitati Hiſpanicæ aſcriptus, & Don ut appellaretur, (quo illuſtres Hiſpanorum titulo ſoli utuntur,) ei conceſſum eſt. Præterea Admiralis, ſive Thalaſſiarchæ Oceani Atlantici munus obtinuit. Omnia hæc hæreditaria. Quin etiam menſa, & uſu quotidiano ipſum Rex dignatus eſt, qui honor ſicubi alias, certe in Hiſpania omnium ſummus reputatur. Frater præterea Bartholomæus Hiſpaniolæ præfectus eſt: & ipſi inſuper Chriſtophoro omnium ex America proventuum decimæ decretæ, uti locis citatis Mariana, Bizarrus, & reliqui tradunt.*

76. Magnum,] *Cognominatus eſt Ferdinandus V. magnus, ob devictos Mauros, ut & Catholicus, ſummi Pontificis, & Patrum decreto. Quemadmodum docent L. Mar. Siculus. l. 25. de rebus Hiſp.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Jo. Mar. Duardus Noninus Cenſ. 65. in Joſ. Teixeræ libr. de Reg. Portugalliæ orgine &c.

77. Connubia donant Caſtellam,) *Anno nempe Chr.* cIↃ CCCC LXXIV. *Regnum Caſtellæ adeptus eſt, Henrico conjugis ſuæ Iſabellæ fratre defuncto. In Arragoniæ deinde imperio patri ſucceſſit. A. Chriſti M. CCCC. LXXIX. & poſt A. MDV. Frederico mortuo, Regnum Neapolis, & Siciliæ ceteris conjunxit, quæ etiam ita juncta ad ſucceſſores ipſius Auſtriæ Archiduces devoluta ſunt. uti pluribus ex Alonſi Lopez de Haro Nobilitario genealogico: L. Marin. de rebus Hiſp. l. 19. Jo. Mar. l. 29. Æl. Ant. Nebriſſ. Tarapha, Vaſæo, aliiſque diſcimus. Quomodo vero erepta ſibi olim repetierit, & reliquis adjecerit Ferdinandus, cum aliis L. Mar. Sic. l. 20. cap. 21. oſtendit.*

78. Tot populis jam preſſa, oppreſſaque nulli gens ſupplex devicta jacet,) *Mauri cum Saracenis ejecti ſunt ex Hiſpania,* DCCLXXX. *circiter annis, poſt primum in eam ingreſſum. Quomodo autem primo eam Saraceni, a Juliano, cujus in Africam legati filiam Rex Rodericus vitiaverat, excitati invaſerint, & Rodericum in fugam actum occiderint, multis Rodericus Toletanus, Jo. Mar. l. 6. c. 21. & 27. Rodericus Sanctus Hiſt. Hiſp. Part. 2. c. 37. Ritius l. 2. Alfonſus à Carthagena c. 44. Vaſæus, Tarapha, alijque exponunt. Varia vero & antehac Maurorum ſemper fortuna fuit. Vexati ſunt à Pœnis, & imprimis Amilcare; à Romanis ſubacti ſunt poſt obitum Jubæ, qui eos donum populi Romani, ut ait Tacitus, acceperat. Hiſpaniam*

poſt, ut dictum, occuparunt. In qua à Gothis, & Hiſpanis vario marte ſæpe oppugnati, ab his tandem protriti, & ejecti ſunt, ut modo memorati auctores teſtantur. Inter reliquas clades, quas ante poſtremam illam ab Hiſpanorum Regibus accepere, celebris eſt, quam A. Chr. cIↃ CCC XLVI. *bini Alphonſi Caſtellæ alter, alter vero Luſitaniæ Rex unitis viribus ipſis intulere, uti narrant P. Æm. l. 9. Henr. Rebdorf. in anno dicto. Rod. Sanct. Part. 4. rex, Hiſp. c.* 12. *&c.*

79. Iſabella) *Fuit hæc Joanis II. Regis Caſtellæ, & Legionis filia, Henrici IV. ſoror, cui & in regno ſucceſſit. Luc. Mar. l.* 19. *Nebriſſ. dec.* 1. *& 2. Jo. Mar. aliijque ſubinde memorati.*

80. Doctum p. i. S. animum) *Fuit hæc Iſabella mulier ſingularis exempli, & Regem non formæ tantum pulchritudine, ſed animi quoque prudentia longe vicit. Confectis etiam in Hiſpania bellis, Grammaticæ, licet multis aliis negotiis, & gravioribus implicata, operam ſatis ſedulam dedit: tantumque profecit, ut oratores, ſcriptoreſque latinos, quibus mire delectabatur, utcunque intelligeret. Siquidem* L. *Mar. Siculo, qui l.* 21. *de rebus Hiſpaniæ hæc annotata reliquit, fides habenda eſt.*

81. Regi dilecta placebant) *Mendozium hunc, & Quintovilium, purpuratos Columbi tempore in aula Ferdinandi, ipſique eximie dilectos fuiſſe, & Columbo auxiliatos eſſe, Bizarrus l.* 16. *Hiſt. Gen. auctor eſt.*

82. Regina maritum admonet, & d. movet a. M.) *Hoc ita accidiſſe, ex ſæpius laudatis hiſtoricis diſcimus.*

83.

83. Has Gallus detexit claſſe Betanchor.) *Fortunatarum inſularum etiam veteres meminere Geographi. Poëtæ vero, una cum ſuis principibus Homero Odyſſ. 4. v. 610. & Heſiodo* ἔργων *v. 170. Elyſios ibi campos, & animarum beatarum ſedem poſuere. Eædem tamen poſtea, æque propemodum, ac Atlantis noſtra, latere cœperunt. Donec tandem per Betanchorem Gallum, ſub initium Joannis II. qui Anno Chr. MCCCCVI. ſub Catharina matre & Ferdinando patruo tutoribus regnare cœpit, detectæ rurſus ſunt, de qua detectione pluribus P. Martyr. dec. 1. cap. 1. Nebriſſ. dec. 2. l. 2. c. 1. & H. Benzo in deſcriptione Canariarum egit.*

84. Rigidos conſtringere Cauros.) *Temperatas Zonas binas ſolummodo habitabiles eſſe, reliquas minus, omnis cum Ariſtotele erudita antiquitas perſuaſum habuit. Quid vero experientia poſteriores docuerit, ſimiliter jam innotuit, & auctores fere omnes teſtantur.*

85. Mittit certos ignoto à littore flatus) *Cauſſas, quæ Columbum, ad quærendam tantis periculis terram novam permovere, diverſas afferunt auctores, Alii videlicet ipſi Columbo ſuam laudem relinquentes, triplicem annotarunt. Ajunt nempe Columbum navigationibus operam dantem, ventos anniverſarios, ab occidente longo tempore ſpirantes animadvertiſſe, quos è terra oriri crediderit. Dein loca auctorum à nobis ſuperius adducta lectitaſſe: & denique, ut erat acerrimi ingenii, non putaſſe improvidam uſque adeo naturam, ut tantum terræ ſpatium hominibus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

vacuum, iisque ſuſtentandis ineptum eſſe velit. Et hæc quidem illi ſatis probabiliter. Non defuere tamen, qui decus hoc Columbo noſtro figmento quodam, de nauta Luſitano, ventis huc acto, qui cum noſtro ſermones habuerit, allato, ereptum, & Hiſpanis vindicatum voluere. Quorum Principes Fr. Lopez de Gomara, Jo. Mariana, & Metellus fuere. Qui quam minime veroſimilia contexuerint, dudum Hier. Benzo. l. 1. c. 6. cuivis ob oculos poſuit.

86. Quæque exigit uſus cuncta dabo.) *Egreſſus eſt è Gadibus Columbus, ut ipſe in epiſtola ſua, & præterea Martyr, Benzo, Metellus, & Bizarrus teſtantur, & ab Arch. Mariano verſa navigatio: repugnante licet Mariana l. 26. c. 3. Naves ei fuere tres, major una, duæ minores: ſocii CXX. Pecuniam, quæ ſeptendecim millium aureorum fuit, Ludovicus Sanctangelus regiarum rationum ſcriba Regi ſuppeditavit. Illius enim ſumptibus res peracta eſt, uti pluribus Jo. Mariana l. c. Metellus Sequanus, & reliqui affirmant.*

87. Fortunatis v. allabitur oris.) *Ad Gomaram Fortunatarum unam appuliſſe Columbum, ibique de ligno, & aqua, ſibi proſpexiſſe, Benzo. l. 1. c. 6. perſcripſit.*

88. Extra ſolis iter poſitas,) *Puta in altero, nobiſque oppoſito Hæmiſphaerio. Poëtæ enim omnes, uti notum eſt, ſolem Oceano Indico ortum, Atlantico mergi dixere. Quod & vulgus credulum pro vero habuit. Unde ſtrepitum ſolis illabentis in mare accolis Oceani hujus audiri crediderunt: uti*

patet

patet ex Gemini Iſagoge εἰς φαινόμενα, *Strab. lib.* 3. *Tac. de mor. Germ. c.* 45. *Lipſiique, & aliorum, in hunc locum commentariis.*

89. Inde inſula nomen habet) *Iſlandia, à glacie dicta, de cujus miris monſtris multa Peucerus, Agricola, Munſterus, Jac Zieglerus, & oculatus teſtis Dithmarus Blefkenius retulere. Quæ magna ex parte illic exiſtere negat Jonas Arngrimus Iſlandus.*

90. Catalaunia l. impia q. d. p.) *Catalauni, peſſima Hiſpaniæ gens, à Botero dicuntur natura eſſe vehementes, iracundi, laborum impatientes, latrociniis dediti, & factioſi.*

91. Cum fratre) *Bartholomæum enim fratrem, ſocium hujus itineris fuiſſe, Benzo, Martyr, & reliqui unanimi conſenſu teſtantur.*

92. Jam nos lux tertia portat, poſt decies trinas) *XXXIII. tantum dies ſe poſtquam à Gadibus ſolviſſet, navigaſſe, priusquam ad inſulas Americanas deveniret, ipſe Columbus in epiſtola ſæpius laudata teſtatur: cumque ipſo P. Martyr, & reliqui contra Benzonem, & L. Marin. Sic. Dies vero ſeditionis hujus, & motus acerrimi, illum, quo tellurem primam conſpexere, proxime anteceſſit.*

93. Olim æquore merſa) *Diluvium hoc intellige, cujus in Critia, & Timæo, meminit Plato, & ab illo hæc edoctus Plin: lib.* 2. *cap.* 90. *Atque huc etiam ſubobſcuram illam inundationis maximæ alicujus mentionem trahere poſſem, quam apud Americanorum complures Hiſpani invenere: niſi eam ad univerſale diluvium revocare mal-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

lem, cum reliquis, qui hæc narrarunt. Inter quos præcipui ſunt Jo. Lerius cap. 16. Jo. de Laet, lib. 8. cap. 11. deſcr. ſuæ, & annot. ad Marggravii de Liebſtat Hiſtor. Nat. Braſil. lib. 3. cap. 20.

94. Hiſpanam c. o. O. avaritiam, atque incepta audacia culpet.) *Hiſpanos natura propenſos ad avaritiam Guicciardinus lib. 16. Hiſtoriæ Ital. teſtatur. Quos tamen Boterus, neque de acquirendis, neque de conſervandis bonis magnopere ſollicitos eſſe affirmat. Eoſdem præterea animo parum quieto, ſemperque magna agitanti eſſe, P. Martyr dec. 4. cap. 1. Barclajus. Ic Anim. cap. 7. aliique teſtantur.*

95. Frumentaque campis ter. t. a. renoventur. 1. a. f.) *In pleriſque Americæ regionibus, bis anno triticum noſtrum, & ipſorum etiam Mayzium maturitatem aſſequi, auctor eſt Jo. de Laet, lib. 4. cap. 14. lib. 5. cap. 30. & lib. 10. cap. 21. In multis vero etiam locis ter idem fieri, lib. 16. cap. 10. ſcriptum reliquit. Idem lib. 18. cap. 12. in regionibus pleriſque Mayzium trimeſtri, in aliis XL. dierum etiam ſpatio matureſcere teſtatur. Uvas vero, quater in Braſilia, à ſole percoqui, & miteſcere, Georgius Marggravius de Liebſtadt, Hiſt. Nat. Braſ. lib. 8. cap. 8. annotatum reliquit.*

96. Hiſpana ſuis implevit littora nautis.) *Qui Gadiram urbem condidere, quæ nunc Cadiz, vel corrupte etiam Caliz appellatur. Olim Tarteſſus. & Cotenuſa dicta, uti liquet ex Hiſpania Lud. Nonii, cap. 9. & ſi antiquiores quæris, ex*

Ru-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Rufi Feſti Avieni deſcr. Orbis, Plinio. lib. 4. cap. 22. & lib. 5. cap. 19. Curtio lib. 4. cap. 4. Vellejo Paterc. lib. 1. cap. 2. & ex Græcis Diod. Sic. lib. 5. cap. 20. & Strabone lib. 3. Incidit hæc res in Ann. Mundi. 2960. ſi Calviſii calculum non rejicimus.

97. Iſthmus, rupibus excelſis h. a. h. vaſta coercens æquora,) *Iſthmum hunc Acoſta fuſe ſatis deſcribit, quem VII. tantum milliaria latum fore putat, ſi anfractus nullus intercederet: cum tamen nunc propter montana, præruptaque, & ambagibus multis perplexa itinera, ultra XVIII. æſtimetur. Idem aliquos propterea, ut perfoderetur, Regi Hiſpaniarum perſuadere conatos memorat.*

98. Copia quas ingens omnes numerare vetabat.) *Perhibent enim auctores, qui his de rebus litteris aliqua mandarunt, ultra C. inſulas ſuis nominibus inſignitas, in Oceano hoc poſitas eſſe. Quod ſi nominibus etiamnum deſtitutas accenſere velis, CCC, & plures eas fore.*

99. Stupet immiſſas ſtomachis impune ſagittas.) *Enormi plane corporis proceritate fuiſſe oportet Chicam, regionem Chilenſibus adjunctam habitantes. Quippe qui Magallano ad ſe A. CH. M. D. LXXXVIII. adventanti, haſtas ſeſquicubitales, ad ſtomachi uſque fundum, citra nauſeam adegere, ſiquidem vera Bertius perſcripſit. Quæ relatio difficilius haud dubie fidem inveniret, niſi omnes fere Americæ incolas, paucis, quibus cælum admodum inſalubre, exceptis], proceriſſimos eſſe unanimi con-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

ſenſu, qui hæc litteris tradidere, confirmarent. Quippe & Floridanos, & Cinaloënſes, & Novæ Albionis, & Hiſpaniæ indigenas; quique trans Amazonum, & Argenteum flumen incolunt, ut & Braſilianos Septentrioni propiores, noſtros corporum vaſtitate longe ſuperaſſe, Joan. de Laet, aliique complures annotarunt. Huc etiam referendi ſuper fretum Magellanicum colentes. Qui Belgas ad ſe Anno Chriſt. cIↃ D. XCIX. *adventantes, confractis rupibus, & craſſiſſimarum arborum truncis, nullo negotio è terra evulſis abegere, Joan. de Laet, l. 13. c. 7. Verum hæc etiam omnia novitate, & mirabilitate vincit, quod Acoſta commemorat. In Peruvia videlicet, prope* Cap. S. *Helenæ, gigantes aliquot longe proceriſſimos olim fuiſſe, qui, ut incolæ ejus loci narrarunt, ob vitam probroſam admodum, à juvene quodam è cœlo delapſo ſint perempti. Idem quoque Anno Chriſti* M.D.LXXXIII. *coſtas, atque oſſa alia ſtupendæ magnitudinis, & dentes, digitos transverſos tres latitudine, quatuor vero longitudine æquantes, effoſos eſſe; & cum illo Bertius, Herrera, Sequanus, aliique memoriæ prodidere.*

100. Canadamque colentes.) *De gentibus his omnibus, earumque ditionibus, moribuſque, prolixos multi qui eo pervenere, commentarios edidere. E quibus notatu digniſſima quæque excerpta ordine digeſſit, Joan. de Laet, & inde Deſcriptionem ſuam Americæ utriuſque compoſuit.*

101. Corteſioque Duci,) *De Pizarro illo, qui Peruvianum, & Corteſio, qui Mexicanum* Re-

Regnum detexit : ut & de Anglo illo Fr. Dracone, qui ad Auſtrum remota, & ad Magallanicum fretum ſita luſtravit, plura P. Martyr, Benzo, Joan. de Laet, l. 6. c. 11. & l. 13. c. 5. & complures alii annotarunt.

102. Palleſcere marmor.) *Inter ſigna telluris appropinquantis, & quæ Columbo apparuiſſe diſerte affirmant auctores, & quæ non, hæc potiſſimum referuntur. 1. Horizon nubilus, 2. Venti leviter ab occaſu, ſeu regione ubi terra ſita eſt, ſpirantes, 3. Bolis limoſa, & 4. aqua palleſcens, uti liquet ex P. Martyris, Benzoniſque locis ſuperius laudatis, & Joan. de Laet, l. 13. c. 11.*

103. Quidam ex ſociis,) *Nautam hunc Lepienſem fuiſſe, cumque ſperatum, pro fauſto viſæ telluris nuntio præmium haud accepiſſet: in Africam abiiſſe, & Chriſti fidem exuiſſe, H. Benzo, l. 1. c. 6. refert.*

104. Statio bene fida carinis,) *Portum hunc una cum inſula deſcripſit optime Joan. de Laet, l. 1. cap. 6. Reliqua hujus navigationis, P. Martyr, H. Benzo, aliique ſæpius citati exponunt.*

SEd & obſervationum qualiumcunque finem hic facio. Quæ fortaſſis etiam nimiæ forent, ſi eſſent longe pauciores: imo ſi ſaltim aliquæ. Cum autem omnia hæc non niſi mei exercendi cauſa tentata ſint, & ſcripta: vel eo nomine veniam mihi datum iri confido. Quod ſi commendationem meæ voluntatis, meorumque conatuum etiam ali-

quam hinc aufferre poſſem : operæ profectò pretium me feciſſe crederem. Id vero ſi negatur, Euripidem ſaltim (*Hippol. verſ.* 118.) aut non abſimiles judices optabo : qui cum illo una ita cenſeant.

Χρὴ δὲ συγγνώμην ἔχειν,
Εἴ τις γὰρ ἥβης σπλάγχνον ἔντονον φέρων,
Μάταια βάζει.

F I N I S.

CREPUNDIA,
SIVE
CARMINUM
PUERILIUM
ET
JUVENILIUM
LIBER II.

VINCENTII PLACCII
HAMBURGENSIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Nobiliſſimo, Excellentiſſimo & Experientiſſimo

D. JOHANNI GARMERS.

Ph. & Med. D. Inclytæ Civitatis Hamburgenſis Phyſico Ordinario, & Polyhiatro feliciſſimo,

Avunculo meo obſervantia perpetua colendo.

S. P. D.

P*Arum fortaſſis memor vel Tuorum in me meritorum, quæ longè maxima agnoſco, vel meæ in Te obſervantiæ, quam perpetuam profiteor, alicui videri poſſem, Excellentiſſime Domine* Avuncule, *qui viliſſimam Carminum meorum partem, prima videlicet artis inexcultæ rudimenta, imo leviſſimas ætatis ineptias, & faſtidioſos adultioribus pueritiæ luſus, ac verbo dicam, crepundia Tibi offeram: cui accuratiſſimum quodque & maxime honorificum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

monumentum merito debebam, verum enim vero quemadmodum ſpecimina hæcce mea leviora non diffiteor, quam quæ graviſſimis tuis curis atque occupationibus interponi mereantur, neque ſumma Tibi quæque à me deberi ullus inficior: ita ſi quam hæc toto ſui genere contemptibilia, comparationem tamen æſtimationis ſuæ invicem admittunt, non videor mihi male adeo honori vel Tuo, vel meo, adſpernando præ cæteris munuſculo conſuluiſſe. Neque enim alia ad Te nunc defero, quam quæ Dii omnes & ſacri ipſorum Antiſtites omni ævo tamquam honoriſſima & præcipua ſibi expetivere. Primitias dico, ac dedico, quales ſterilis ingenioli mei fundus tulit. Acerbas fortaſſis, ac inſipidas: primas tamen &, ni fallor, ſatis præcoces. Et vero uti ſolet, ita debet hoc fructuum genus non tam maturitate ſua, quam novitate, & ſpe ſecuturæ perfectioris abundantiæ commendari. Vides, Excellentiſſime Domine Avuncule, *quam honorabili titulo hæc à me dimitti poſſent, ſi alii quam Tibi deſtinarentur, ad quem nullo magis quam crepundiorum nomine pertinebant. Siquidem non ſolent ea lubentius alibi quam in parentum, cognatorumque ſinum pueri ludentes deponere. Hæc vero eo etiam magis ad Te ſpectare videbantur, quod pleraque illorum domeſtico olim Tuæ, non vulgaris in omni ſtudiorum genere diligentiæ (cujus etiam publica aliquot egregia documenta, magno eruditorum applauſu excepta dediſti) exemplo incitatus compoſueram. Ut adeo vel hoc nomine non ingrata tibi eſſe debeant, quorum cauſſam*

ipſe olim potiſſimam ſubminiſtraſti. Neque tamen hæc eo nunc dico, ut quæ puerum me quondam, quemadmodum ſolent ludicra, quando ſeria nondum capimus intimè oblectarunt, eadem Tibi jam quoque ſerio collaudes atque approbes perſuadeam. Non ſane tantum adultiores puerilibus nugamentis debere puto. Quos ſi non nimis importune obrepentes inurbana moroſitate non repellant, ſi feſtive abblandientes incivili faſtu non deterreant, ſi denique modeſte jocantes tetricâ ſeveritate non increpent; ſed tædioſam nugacitatem ſtrenuè diſſimulent, ad nihil ultra teneri putaverim. Quod ſi præterea amplexu etiam & riſu molliore accurrentes excipiant, & emendicato licet applauſu, exſerentis ſe in minimis ingenii vigilacis primordia collaudent, ac ad majora excitent: nihil eos plane facilitatis ac indulgentiæ reliquum feciſſe crediderim: niſi forte ad inclyti illius Ageſilai non inimitabile exemplum colluſores ſe etiam præbere parvulis non dedignentur. Sed vereor jam, ne τὸ πρέπον, quod ætatis imprudentiâ nuſquam fere in tota hac ſcriptione noſtra ſatis obſervari potuit, etiam hic conſulto neglexiſſe videar. Quare religio mihi ſit Excellentiſſime Domine Avuncule *ullos hac in parte humanitati tuæ atque comitati limites præfigere. Quippe quæ jam alias tot argumentis mihi perſpecta eſt ac probata, ut injurius omnino ſim, ſi de venia imo de collaudatione tua, ullam in animo meo dubitationem reſidere patiar. Interim hanc conatibus noſtris benignitatem dum præſtas Excellentiſſime Domine* A-

yun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

vuncule, *Tu quidem pro ſolita tua in me benevolentia feceris: nobis vero novam etiam demerendi hunc tuum in nos affectum diligentiam atque curam injeceris, qui quantum licuit,*

Nunc Te marmoreum pro tempore
fecimus: at Tu
Si fœtura gregem ſuppleverit, aureus eſto.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

CREPUNDIA, CARMINUM PUERILIUM ET JUVENILIUM

LIBER II.

PARENTATIO ANNIVERSARIA

In piam & luctuoſam memoriam

Optimi, & cariſſimi, nec non clariſſimi
olim Domini Parentis

JOHANNIS PLACCII. THURINGI
Philoſ. & Med. Doctoris, dum viveret excellentiſſimi, Inclytæque Civitatis Hamburgenſis Phyſici digniſſimi

è vivis à Deo placide evocati. A. D. 1656.
d. 7. *Octobr. Julian. anno ætatis ſuæ* 52.
Inſtituta à filio mœſtiſſimo.

Virgil. 5. Æneid. v. 46.

Annuus exactis completur menſibus orbis,
Ex quo relliquias, divinique oſſa parentis
Condidimus terra, mœſtaſque ſacravimus aras.
Jamque dies, ni fallor, adeſt, quem ſemper acerbum,
Semper honoratum, ſic Dî voluiſtis, habebo.

E p i-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

EPICEDIUM.

ET tandem reſides nimium mens excute luctus,
Sat lacrumis, gemituque pio, planctuque ſonoro,
Delaſſata pii quondam fuit umbra Parentis,
Jam valeant nimium puerilia munera fletus,
Et muliebre nimis planctus, & inutile donum
Defunctis, vitaque bonis & morte probatis.
Inveniant hæc vana modum. Sat flevimus anno
Integro : nil ultra expoſcent oſſa parentis
Lurida, nec furvo lacrumis animanda ſepulchro.
Lucibus, en, juſtiſque ſuis jam menſibus almo
Irrequietus adeſt confecto Cynthius anno,
Jamque pios luctus nobis, queſtus decoros
Imperat, atque viris dignos agitare dolores.
Ergo nimis ſancte longum ſervata per annum
Finiat & tandem mea Muſa ſilentia rumpat:
Præcluſo reſerata viam dent ora dolori,
Qui nunc interno pulſans præcordia motu,
Æſtuat, & vacuas ſponte eluctatur in auras.
Muſa veni, longoque recens excuſſa veterno
Triſte miniſterium condignaque juſta Parenti
Redde pio, placidâque, citâ ſed morte perempto.
Redde, precor, nec jam dilatos differ honores
Ulterius, plenas ferali carmine laudes
Concine, ſed non vulgares, operoſaque dudum,
Quæ multis querulas extendens nœnia chartas,
Cognatis lacrumaſque piis cumulavit amicis,
Non ea tot verſata aliis, exhauſtaque ferme
Ma-

Materies te poſcit, ad altos carmina ſenſus
Attolle, & reliquis intactos confer honores.
Pirrenen calidam,& fumantem vertice Pindum
Aſpice. Mortales nobis expendere curas
Non vacat: hæc alios maneant, nos poſcimus ultra,
Æternaſque Deûm Lacrumas, luctuſque ciemus
Sollicitos, & quæ totum querimonia Pindum
Implevit. Juvat hic Epidaurum audire gementem,
Luctificoque diu turbatam murmure Cirrham,
Dictaque Commoto Phœbi convitia cœlo;
Et Superis injuſta nimis violentaque damna
Exprobrata, necemque beati ſæpe Parentis
Objectam ſtygiis magno fervore deabus.
Tum laudes immortales, feſtoſque Triumphos
Anguigero, Phœboque aliiſque auctoribus alta
E Superum turba decretos ordine longo
Enumerare lubet, duri ſolatia fati
Quæ maneant, decorentque Patrem tellure repoſtum,
Noſtræ olim Pietatis, & arcti pignus amoris.
Forte, Pater, ſuperis dudum ceſſavimus oris
Dixerat ex Phœbo Nymphaque Coronide natus,
Sat cœlo Superiſque datum eſt. Tandem æthere miſſo
Neglectas mecum placeat tibi viſere terras:
An nondum veteres aras, deſertaque templa
Cultoreſque pios iterum vidiſſe juvabit?
Sic ait. Arridens Phœbus, gratiſſima, Nate,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Dicta refers, inquit: dudum mihi ſordet O-
lympus,
Et ſedes remeem Domino regnata potenti:
Sæpe recordatus Mycone Gyaroque revinctam
Ortygiam, Tenedonque fui, Paternaque regna
Nunc etiam memini. Jam munera, vota, pre-
ceſque
Compenſare lubet, miſeraſque audire querelas,
Hæc fatus viridi præcingit tempora lauro
Atque humeris Tyrio ſaturatam murice pallam
Injicit, auratus quam circuit undique limbus,
Cumque ſonatura ſumit teſtudine plectrum,
Cæſariemque ornat dignum, peplumque rela-
pſum
Allevat, è ſolidoque aptatur calceus auro.
Sic exornatus celſo deſcendit Olympo
Cum nato: Divæ quem pone ſequantur euntem
Perpetuæ comites: præcedunt, Vita, Saluſque
Lampada portantes: legit his veſtigia Jaſon
Atque Hygiæa ſoror, volitantque per aëra
juncti.
Sic iter ingreſſi ſtudio creſcente per auras,
Præcipitant, donec tangentibus ima volatu,
Conſpicitur tandem demiſſo lumine tellus.
Jamque fatigatis Epidauria terra patebat,
Quæque olim ſummo Medicorum principe
Coa
Floruit, & multis produxit ſtamina vitæ,
Et deſperatos primis dedit addere ſoles.
Heic ſimul unanimi figunt veſtigia greſſu
Et veteres aras, neglectaque templa ſalutant.
Vix fuerant tacti poſtes: cum limine primo
Vox

Vox ingrata ſonans, fractuſque ululatus ad
aures
Protinus accedit, gemitus fletuſque redundat,
Turbantes hinc inde fatigant pectora queſtus,
Et mœſtos geminat planctus miſerabilis Echo.
Nondum hæc ſufficiunt: flammæ moriuntur
in aris
Extinctæ, & tetro ſquallent altaria fumo.
Munera donatæ palleſcunt ſerta ſalutis,
Æraque ſanguineæ fœdant ſuſpenſa lituræ.
Quæ dum miratur triſtis Phœbëius Heros,
Ecce novum monſtrum: baculo pugnare co-
lubros
Conſpicit affixos, tremulamque areſcene lau-
rum
Et ſubito fronti funeſtam irrepere taxum
Fraternæ ſimul atque ſuæ: quæ dum omnia
cernit
Anguiger his trepidans vix queſtibus ora re-
ſolvit.
Me miſerum! quæ tanta fuit mihi cura videndi
Has ſedes, dudum deſerta reviſere regna.
Cui placuit: quo nempe redux nova monſtra
viderem.
Sed quid monſtra volunt, quove hæc mutatio
tendit?
Qui ſunt, qui fracta non æquas voce querelas
Ingeminant, tantoque cient plangore lacertos?
Ergo iterum in luctu eſt Helicon, nova vulnera
Pindus
Deflet, & irrorant lacrumatæ Phocida limphæ?
Porrigiturque ad nos dolor, atque Epidaurus eo-
dem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Fulmine percutitur, ſimilique tremiſcit ab ictu?
Quis, precor, ô Divi, quis tantus, dicite, luctus?
Cur deplorata fœdantur tempora taxo
Chare pater, cur plectra cadunt, ebur unde canorum
Projicis: & baculo pugnantes ecce colubros
Cur ægrè dextrâ valeo retinere labanti?
Quis vapor hoc templum & ſqualentes imbuit aras,
Grataque inodoris permutat ſerta corollis?
An pœnas iterum ſæva mihi morte parabit,
Hyppolitus, Stygias ne iterum detruſus ad umbras,
Exangues manes, & corpora functa ſepulcris,
Cocytumque atrum, fuſcumque Acheronta videbo?
Plura locuturum celeri vaga Fama volatu
Impedit adveniens. Non hanc temerarius Error
Vanaque Credulitas, non Gaudia falſa ſequuntur,
Seditiove recens, dubiove auctore Suſurrus:
Sed miſeri Luctus, conſternatique Timores,
Et Fletus, dubiiſque Tremor circumſtrepit alis,
Et Verum, triſtique gravis Conſtantia vultu.
Hæ miſtis ſecum ſermonibus aëra complent.
Namque quot ingenti ſunt cuique in corpore plumæ
Tot vigiles oculi, linquiſque ſonantibus ora
Infra occulta manent, confuſaque verba volutant:
Ipſa celer reliquas prævertens ocyus omnes,
Talia ſubjectum declamat Fama per orbem.
Nunc

Nunc omnes lugete boni, lugete, moduſque
Queſtibus & lacrumis deſit, ſuſpiria finem
Non habeant; Vobis ſpes lucis, vita ſaluſque
Occidit. Hiſce comes gelidas, deſcendit ad umbras
PLACCIUS, & Medicina ſimul, virtuſque medendi
Solamen quondam præſens mortalibus ægris.
Hunc multi lugent, hunc Urbs Hammonia, mœſtis
Proſequitur lacrumis & civem plorat ademptum.
Ergo tuo tanto rurſus cultore perempto
Quin propera merito linquendum claudere templum
Anguiger, & nullas aris promitte corollas,
Non tibi nunc avido tondentis paſcua morſu
Poſthac votivæ cædetur victima capræ,
Nec vigil auratus criſtati cantibus oris
Qui vocat Auroram, flagrantes imbuet aras;
Et fruſtra tauros Phœbus ſperabit & agnos.
Sic Dea conclamans vacuas furioſa per auras
Fertur & Eoas linquens velocior oras,
Mox Boreæ ſedes, Zephyrique Auſtrique perrerat.
Hactenus attonitus querulam Corylëius Heros
Audierat Divam: hinc agitato pectore tales
Effundit queſtus. Heu quorſum immitia fata
Tenditis, ô nimium crudelia Numina Parcæ!
O miſerum mortale genus, cui tempora vitæ
Parva adeo Natura ſinit: quos lege ſine ulla
Invida Parca necat: quæ te chariſſime PLACCI
Com-

Communi nunc jure premens, tua licia rupit,
Rupit, ut in reliquos manibus ſævire cruentis
Mox queat, & nullo poſſit prohibente ſecare
Stamina, non paucis quæ continuare coëgit
Tradita me Doctore tibi Lex certa medendi.
At nunc ipſe jaces, nulli medicabilis herbæ,
Laudatamque olim condamnas inſcius artem.
Hoc fuit, Uranie, quod Pindo triſte minari
Sidera, quod radios cœlum confundere diros
Dicebas; fuit hoc noſtras quod protinus aras
Fœdarunt ſubitæ, flamma moriente, tenebræ,
Sopitoſque ignes tepidis texere favillis:
Et modo quod tacitæ per opaca ſilentia noctis
Auditus noſtra ferus eſt ululatus in æde,
Totaque continuis reſonarunt templa querelis.
Et modo cum croceas ageret Dea lutea bigas
Lucis avis Phæbum ſolita non voce vocavit,
Nec ſua conſueto demulſit pectore plauſu.
Ergo jaces, dilecte mihi, dilecte Parenti,
Aonidumque choro: certe tibi parcere fata
Aſpera debuerant, noſſent ſi parcere fata,
Pro meritis. Sed quid multum miſeranda querelis
Fata onerare juvat? Defunctum cernere corpus
Jamductum cupio, & miſerabile ducere funus.
Ergo, Pater, dixit, demiſſo lumine Phœbum
Adſpiciens, ſi cura tibi PLACCIque meique
Ulla fuit, magnam placeat tibi viſere mecum
Gambriviam, PLACCIque mei decorare ſepulchrum.
Huic Genitor. Conceſſa tibi, curandaque nobis
Nate, petis. Tecum quàm late ſpumiger Albis
Ma-

Manat, & optatum ſeſe diffundit in æquor,
Contendam, & ſeſe qua turribus ardua celſis
Hammopolis tollens vicinas deſpicit urbes.
Heic PLACCI noſtri lugentes triſtia fata
Ad dignum mœſti comitabimur oſſa ſepulchrum.
Jamque iter ingrediamur, ait: ſeque ipſus in auras
Allevat, & pennis pernicibus aëra ſulcat.
Anguiger inſequitur: pariter ſe cœtera turba
Attollens crebris acuit clangoribus alas.
Jamque diu fuerant excelſa per æthera vecti,
Nec poterant Pelopis, nec Ceropis arva videri.
Aſtuto tellus quondam regnata Philippo,
Et nato,quem Pella dedit cognomine Magnum,
Illyricumque ſolum, & ſeptemplicis ora Timavi
Amplius haud poterant deflexo lumine cerni:
Jamque relictus erat limphis flaventibus Iſter,
Iſter in Abnobiis longè qui montibus ortus
Tendit in Exinum variis oneroſior undis,
Olim Alemannorum populis potatus amicis
Et Framus dextras oneranti in prœlia Suevo,
Qua nunc Barbaricas Turcarum perfluit Urbes.
Carpathiis quoque terra jugis, ſubjecta, feræque
Sarmatiæ montes, à dextra parte relicti
Jamdudum fuerant; extenſos læva tenebat
Hercynios colles, ac ardua culmina celſi
Meliboei: pedibuſque Deum ſubjectus ubique
Cœrulus Albis, en ipſe viam ſignaverat undis,
Demonſtrans turres, quas Urbs Hammonia celſis

Mœnibus impoſuit, ſedes optata deorum.
Vix benè contigerant Divi, taciturna recenti
Mœnia mirantes luctu, cum flebile funus
Cernitur extemplo triſti procedere pompâ.
Lurida velato portantur membra feretro,
Ad tumulum mœſti funus comitantur amici,
Et lugent omnes induti veſtibus atris,
Verrentes multam prolixo ſyrmate terram.
Jamque aderant omnes tumbæ, ſtabatque feretrum,
Expoſitumque ſibi depoſcens horrida corpus
Terrifico Libitina fores pandebat hiatu:
Extremo venit ecce cohors mœſtiſſima Divûm
Officio, juſtas cultori reddere laudes
Prompta ſuo: primuſque ſuas agnoſcere Muſas
Cœperat Arcitenens, collaudatiſque ſalutem
Dixerat, & cantaturis ſe junxerat ipſe
Cum Nato, ſociiſque piis. Mœſtiſſima juxta
Jamque carens riſu Charitum ſtat turba ſilentum,
Et ne defectum cultoris ſanguine corpus
Aſpiciat, vultum tota tegit ægide Pallas,
Humida ſubjectis defigens lumina terris.
Tum Pæan avidus cultori reddere laudes
Promeritas, verbiſque bonis ornare ſepulchrum,
Præcinit hæc, repetunt Carmen ferale Sorores.
Ergo jaces PLACCI, fatiſque abreptus iniquis,
Mature nimirum gelidas concedis ad Umbras.
O juſtos luctus, ô lamentabile fatum!
Hunc præmaturâ nimirum nunc morte peremptum
Lu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Lugemus, queis cura manet mortalibus ægris
Jam deſperatam vitæ revocare ſalutem.
Hunc veſtri cauſſa, nondum adventante ſenecta
Vi tot curarum fractum, aſſiduoque labore,
Cognati, meritoque pii lugetis amici,
Et cives, cunctique bonique, boniſque faventes.
Et vos cum primis, olim quos ille faſelo
Subductos ſtygio ſuperis indulſerat auris
Longius, & ſeræ dederat ſupereſſe ſenectæ.
Vos date promeritæ lacrumas, date carmina tumbæ,
Et Parcas damnate odiis, lacerate querelis.
Multorum hanc mortem immaturam credite veſtrum,
Jamque ſecuturam præmiſſa hæc funera cladem
Vobiſcum numerate omnes: ſtragemque futuram
In præcedentis nunc plangite funere PLACCI.
Hunc rapuit mors atra virum, ne vita noceret
Illius, & vivos ſervans ars certa medendi.
Scilicet ille fuit, quem ſi modo fata dediſſent
Annos virtuti, doctrinæ jungere famam,
Non poſthac, Hamburga foret cur cive Stagira
Se tibi præferret, jam tolleret æmula faſtum
Majorem Græco Germania nacta Platonem.
His etenim conceſſa ſibi majora tenebat
Munera larga Deum: majores pectoris ignes
Ingenii vires, & puræ lumina mentis,
Naſcenti dederat non illætabile fatum.
Facundique favens donum Cyllenius oris,

Et morum Charites, & blandimenta leporum,
Et ſuavi addiderant medicantia lumina nutu,
Indelaſſata cum ſedulitate, perenne
Et pernox ſtudium, pietaſque intenſa, fideſque
Tollebant altè, commendabantque remotam
A Vulgo, & variis ſubjectam caſibus artem.
Moribus his, animoque virum, ſtudioque va-
lentem,
Longius in ſanctos templi Natura receſſus
Duxerat, attentoque abſcondita multa revelans
Tradiderat miranda, ſuis ſine cognita cauſis,
Cauſſis, quas ſolus noſſet, cupidoſque doceret
PLACCIUS, eloquio monſtrans & acumine
docto,
Qua fluitans infuſus humo meet humor aqua-
rum,
Cur his conjunctus ſuccedat lucidus aër,
Extremi ſibi jura loci ſubtilior ignis
Vindicet, & fundo tellus ſubſidat in imo.
Qua ratione etiam Ponto firmetur in alto
Inſula; num terræ ſit copia major an undæ.
Flumina num Nereus ima tellure receptus
Gignat, & hæc repetant, undoſi regna parentis
Qui rurſum ad magnam matrem cribrata re-
mittat:
Incluſum an potius ſibi tellus aëra cogat,
Eque ſinu ſuperas ſpiſſatum expellat in auras.
Cur quædam fugiant amnes loca, viſcera terræ
Et repetant potius, juſto quam tramite currant,
Seque alibi properent deſueto reddere cœlo.
Cur magis hic refluum mare ſæviat, & minus
illic,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

An globus hic terræ commotus miſceat undas,
An potius denſos tenues, tu Cynthia, fluctus.
Unde fluens aër perfundat corda rigore,
Mutet & in durum viventia corpora ſaxum.
Suggerat Ætnæis quid pabula larga caminis,
Sæpe repentino cur fulminet igne Veſevus,
Heclaque ſulphureas eructet ad aſtra favillas,
Peſtiferi radient qua cœli parte Cometæ
Horridaque attonito quæ portent nuncia mundo.
Quid memorem lapides ſcrutantem, & dura metalla,
Et plantas mire genetrix queis magna ſuperbit,
Aut quæ diverſæ gignunt animantia terræ,
Aut quæ cœruleo nutrit ſub gurgite Protheus,
Aut varie tinctis quæ pingunt aëra pennis.
Si porro vaſti miracula linquere mundi
Mens fuerat, parvo ſeſe quærebat in orbe,
Et quam ſe noſſet, ſcitè monſtrabit amicis.
Intima detecti perſcrutans vaſcula cordis,
Et circumpoſitus ſpatium quod pulmo requirit,
Hinc jecur innumeras extendens ſanguine venas
Inſpicit, hærentemque illo, ſimilemque referto
Folliculum fiſco, & quæ plura minoraque reſtant
Viſcera. Nunc reſerans penetralia clauſa cerebri,
Doctus erat monſtrare locum, quem ſenſus in illo
Quem vigil effingens ſimulacra & ſomnia frater

Occupet, aut ubi Mnemoſyne ſibi tradita condat.
Nec geſtus vultum tunc defecere decori,
Herophili cum dextra perito corpora cultro
Solveret, & dubio nexas diſcrimine partes
Officiiſque ſuis variantia membra notaret.
Jam quid opem vireſque canam quas ſenſerit æger,
Invitus noſtræ laudator ſæpius artis,
Hi quorum ſævi vexarunt corpora morbi,
Si nunc ad meritam canerent Soteria tumbam,
Jam vix Hammopolis clamantes mœnia ferrent,
Voxque tuos ultra rueret, Germania, fines.
Cautior haud illo certe aut prudentior alter
Morborum potuit varias exponere cauſſas.
Paucaque de multis quæ gratia noſtra medelis
Indulſit generi nondum majora merenti,
Omnia pernorat, virtus inſignior herbæ
Seu daret has, clauſove ſolutum vaſe metallum,
Sive pecus vita poterat, ſeu morte juvare,
Seu quidvis alias. Non hunc me judice Chiron
Vicerit, aut illo longe præſtantior Hermes,
Quorum, ſi veteri vixiſſet PLACCIUS ævo,
Livor edax certo vitiaſſet corde veneno:
Non ſecus ac pleno cum ſplendet clarior orbe
Cynthia, vicino lucentia ſydera Cœlo
Imminuunt radios, Tuque indignaris Orion
Quod tibi palleſcant hebetatis cingula gemmis,
Atque impune tibi ſæva quod fronte minetur
Taurus, & armatæ decreſcat gloria dextræ,
Quod-

Quodque ſuum attentus non cernat nauta laborem
Frigida convertens ægre fert plauſtra Boötes,
Non ſecus invidit tibi mors quoque pallida, PLACCI,
Invidit mala Parca Tibi, & mortalibus ægris
Te rapuit. Lugent fatum, Prudentia, Virtus,
Ars, Pietas, & pura Fides; lugemus amica
Numina, jamque preces, atque averſamur acerras,
Cum Nato, & nullam poſthac ſperare ſalutem
A nobis noſtriſque miſellos juſſimus ægros.
Poſtquam Tu PLACCI cadis, & crudelia fata
De Te, de noſtra nec ſegnius arte triumphant.
Nunc tamen hæc etiam revocamus & omina nulla . .
Has voces, promiſſa fidem nec habere, voluntas
Rectior una manet. Nec Spes intercidit omnis
Nunc etiam: pejora timent præcordia luctu
Territa, ſed meliora manent. Stant omnia ſalva
Et voto meliora cadunt, Mutatio mentem
Conſuetâ major, vel feliciſſima turbat,
Non periit, verum divinis PLACCIUS umbris
Nunc habitat permixtus, & alta excelſior aſtra
Deſpicit, & pura detergens nubila fronte,
Degit, ubi nec morbus abeſt, nec ſæva timores
Antiquos renovant ægris minitantia fata.
Illic certa Salus Medica non indiget arte,
Quæ ſola famâ & meritorum nomine regnat
Quæſito, digniſque ſuas dat ferre corollas.
At mens æterna gaudet tutiſſima Vitâ

Fatorumque vices, horrendaque nomina nobis
Morborum, & ſortis leges contemnit, & aſtra,
Et ſecura mali, devictâ morte triumphat.
Interea totum ſe ſpargens Fama per orbem
Qua tellus, quaque unda patet, Tua nomina, PLACCI,
Portabit, laudeſque tuas, & facta tenebunt
Quos oriens luſtrat Phœbus mediuſque, cadenſque,
Dum vehet Albis aquas, & dum Germania mundo
Durabit, dumque urbs Hammonis magna manebit.
Et nos in ſummo monumenta perennia Pindo
Ponemus; Pavo niveum de marmore ſaxum,
Æternis PLACCI deſignans nomina ſulcis,
Et non mortali circumdans undique lauro,
Et meritis titulos æquans, encomia factis:
Oſtendenſque ſuis donaria mixta corollis
Longaque concludens tali præconia verſu.

PLACCIUS. HEIC. SITUS. EST, PARCAM. QUI. SÆPE. SECANTEM.
CONTINUIT. TANDEM. ULTERIUS. QUÆ NESCIA. TEMNI,
FILA. VIRO. MEDIO. VITÆ. CURRENTIA. FUSO.
ABSCIDIT. INVITOQUE. ANIMAM. DE. CORPORE. VULSAM.
ASTRA. SUPER. SUMMO. JUSSIT. CONCEDERE. OLYMPO,
OLLI. HAS. INFERIAS. TUMULO. SUPREMAQUE. DONA
CUM. MUSIS. NATOQUE. DABAT. SOLEMNIA. PHÆBUS.

Ha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Hactenus hoc Phœbus, Phœbumque imitata canendo
Numina ferali decorarunt carmine tumbam.
Aſt ego quæ poſſum patrio bona verba ſepulcro
Pauca fero, labiiſque annali rore rigatis
Nuncupo vota, preceſque pio de pectore fundo.
Has audi Tu, Magne Deus, mollemque quietem
Da precor, oſſa, levemque hanc experiantur arenam,
Donec ſumma dies, & inevitabile fatum
Jam nunc optatum puero, atque optabile fatum
Te mihi, chare Pater, Tibi Me, Pater optime, reddat.

LACRUMÆ
In Funere
EBERHARDI MOLLERI,
Venerandæ Eccleſiæ Cathedralis, & Capituli Hamburgenſis Canonici, & Senioris, Avunculi Magni deſideratiſſimi.

Qui obibat A. D. CIↃ.DC.LVII. *d. 9. Mart. Julian. ætatis ſuæ primo & quinquageſimo.*

EHeu quam graviter nos fata immitia pulſant,
Quam creſcunt noſtræ funera denſa domus!

Vix miſeri raptum tumulavimus ante parentem,
Charior hac ipſa qui mihi luce fuit.
Ante oculos cujus ſemper verſatur imago,
Sive eat in tenebras, ſive ſit orta dies.
Et jam conſequitur MOLLERUS Avunculus illum
Quem ſimili fato mors inopina rapit.
O dolor! Uſque adeo non ſunt mortalia tuta,
Et Parcæ quovis tempore fila ſecant!
Nos fruſtra multos nobis promittimus annos,
Et multum fruſtra ſæpe laborat homo.
Sunt virides herbæ tibi ſemper, Avuncule, cultæ,
Et plenus raris floribus hortus erat.
Qui tibi longinquis tranſmittebantur ab oris,
Sveſcebanturque tuæ culta lubenter humo.
At nunc ipſe jaces, ceu flos, qui marcet ab æſtu,
Ut languent herbæ, ſic quoque tute cadis.
Indomitâ dum te reſecat mors horrida falce,
Quam flos inſignis concidis ante diem!
Te flores igitur lugent, herbæque videntur
Languentes Dominum ſæpe vocare ſuum.
Atque ego te pariter lacrumor, flos magne Virorum,
Et ſpargo buſtum frondibus hiſce tuum.
At tu jam cœlo flos pulchrior ipſe nitebis,
Non illic perimet gramina fortis hyems.
Non illic pulchros mors enecat impia flores,
Æternum vernans eſt Paradiſus ager.
Iſta meam mœſti recreant ſolatia mentem.
Namque perit Mundus, quodque habet ille cadit:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

At ſemper ſummi florent viridaria cœli,
Exulat heic dolor, & gaudia fine carent.

ELEGIDION
deproperatum & fere extemporale
In Obitum
MICHAELIS REISERI,
J. U. D. & Practici apud Hamburgenſes celeberrimi.

Qui contigit. A.D. 1657. d. 16 April. Julian. defuncti quinquageſimo ſexto.

QUid dicam? redeunt lachrymæ, dum funera creſcunt,
Eſt & Reiſerus mortuus ante diem.
Quid queras? hoc iterum nuper quod nempe querebar,
Augentur noſtræ funera denſa domus.
Jam placidis tepidas Zephyris mulcentibus auras
Ver viget, atque ſuas Flora miniſtrat opes.
Jamque calent magni radiantia lumina Phœbi,
Incipit & ſemper vivere vita magis.
Noſtris vita perit, ſpoliant nos tempora cuncta,
Et vix diſtinguit mors properata dies.
Nunc horti rurſus dicti, florumque recordor
Flos eſt omnis homo, mundus & hortus hic eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Aura gravis ſæpe eſt, & ſæpe eſt lethifer annus,
Et virides plantas frigora ſæva necant.
Intereuntque roſæ, perit & narciſſus, & iris,
Marceſcunt violæ, lilia pulchra cadunt.
O infelices! noſtram ſic nunciat aër
Mortem, & tempeſtas dicit adeſſe necem.
Eſt tamen hoc nimium. Parcas, Deus optime, parcas,
Et tandem avertas vulnera plura precor.
Da bene defunctis æternæ gaudia vitæ,
Mortua da foveat mollis ut oſſa quies.
Da nobis etiam crudelem vincere mortem:
Quæ nos fata manent ſint bona, Magne Deus.

EPICEDIUM EJUSDEM,

Serius Elaboratum.

ET juſtos ſua fata premunt: & ſedulus æqui
Abripitur tutor fatis oppreſſus iniquis
REISERUS, cauté dubias exponere leges
Doctus, & intortis opponere vera citatis.
Quem Themis ipſa ſuis jam dudum æquiſſima Myſtis
Adſcriptum rutilo juſſit ſplendere metallo,
Poſtibus & medii ſua figere nomina templi.
Solvimur in fletus miſeri, meritoque recentes
Promanant lacrumæ, condenſanturque dolores,
Nec veſtros minus ac noſtros hæc triſtia luctus,
Aonides, poſcunt. Fœdati culmina Pindi
Conquerimur, mœſtoſque ſonos ſacra fundere templa.

Vos quoque nobiſcum Pœan, & flava Virago,
Voſque Deæ triplici felix concordia nodo
Quos nectit, juſtas una ſociate querelas:
Imprimis Themi, colluge, diſcinde corollas,
Et lania veſtes, laniaque è vertice crines,
Ungue genas violenta ſeca. Tuque optima virgo
O Aſtræa dole, atque ululatibus äera comple.
veſtris, heu veſtris flammæ moriuntur in aris.
Veſtras, heu veſtras video langueſcere frondes.
Dum vobis REISERUS obit, dulciſſima proles,
REISERUS, quo nunc interprete jura ſileſcunt
Abrepto, & friget deſertis curia cauſſis.
Heu Legum nimis una valet, nimis una probatur
Exemplis certis, & conſuetudine longâ!
Hanc ſtupuit Natura, & multum invita probavit,
Quando fuit Latore Deo dictata Parenti
Terrigenæ, cum jam deluſus fraude Draconis
Lethiferos vetito carpſiſſet ab arbore fructus,
Membraque ficulnâ prævelans turpia fronde
Cum tremeret metuens violati judicis ora.
Adſtabant triplices ſcripturæ fœdera Parcæ
Et Lacheſis jam cana vagos tunc ſparſa capillos
Horrida ferratis inſculpſit dicta tabellis.
E RUBRA FORMATUS HOMO SUA CORPORA REDDET
CUM MORIETUR HOMO, TERRENAQUE TERRA RESUMET:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Hæc Chalybi duroque inciderunt adamanti
Fatales Divæ, nimiumque tenaciter urgent.
Tum primum promſit fatalia vellera Clotho,
Hæſit lana colo, fallaci penſa rotatu
Verſato properè cœperunt currere fuſo.
Hinc ubi grata placent optato tempora curſu,
Et ſibi promittit multos homo prodigus annos,
Atropos ecce venit, dicens. Hic terminus hæret,
Porrige fila ſoror, fatalia licia rumpam,
Et rumpit firmans antiquæ fœdera legis,
Fœdera mortales non æqua prementia cunctos,
Et quorum vires nemo effugit, Indica ſive
Littora, & Eoæ quærat cunabula gentis,
Seu petat occiduas, fugiens male ſedulus oras,
Aut latebram quamcunque aliam. Damnamur ubique
Omnes damnamur, quavis mors regnat in aura,
Quodque necat ſequitur paſſim, & comitatur euntes.
Hæc quoque præſcripti nunc inclementia fati
Te REISERE, premit, nimium cui curta ſorores
Fila ſecant, & mors addendos eripit annos.
Prævíſum quamvis nitens defendere vulnus
Conſervare ſuum cuperet Themis optima Myſten,
Deflectens alio ſævum juſtiſſima ferrum.
Cui nunc te ſocians quereris duriſſima fata
Delie, qui docto recinens nova carmina plectro
Orabas triplices, iterarent penſa. Sorores.

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Et nova currenti donarent ſtamina fuſo,
Threïciamque chelin, repetitaque fila puellæ
Cantabas, tibi ne tribui nova dona putarent.
Parca refert. Quid Phœbo, paras, quid fata laboras
Flectere, & inſano cupis indulgere dolori,
Adſcribiſque tuis lacrumis ô mœſte ſorores
Innocuas? Cernis decreta adamantina primæ
Legis, habent certas currentia vellera metas,
Ferrea lanificis nec fata volentibus unquam
Acceleraſſe licet, nec produxiſſe Deabus.
Anguiger hoc tecum vidit, cum pharmaca luſit
Mors mala, cum veſtræ labor irritus occidit artis.
Ipſe hoc, Phœbe, ſatis noſti, & ſi vera fateris,
Quid proſunt herbæ, quos in tua pocula tellus
Producit, quid cara juvant, ô Phœbe, metalla,
Quæ vehit Eoo fœcundus gurgite Ganges,
Pallidus ocdiduis vel quæ rimatur in antris
Foſſor, & occultas terra deſcendit ad umbras.
Aut quid lucida gemma juvat, quam donat Hydaſpes.
Aurifer, aut rubicunda Thetis, vel torrida gignit
Africa, vel terris noſtris America remittit.
Quidve valent quæ bruta ſuo dant ventre reciſa
Singula, quæque ſacris in vaſis maximus Hermes
Tradita Vulcano ſecreta digerit arte,
Quid proſunt ea cuncta, antiquæ fœdera legis
Si remanent, tetigere ſuam ſi ſtamina metam?
Quid quod & igniferi ſtellata palatia cœli
Fata rotant inſcripta hominum, quæ conſcia pandit

Ura-

Uranie, primaque diem diſquirit in hora
Extremum. Sed fata movebat Thracius Orpheus
Inquis, & unanimes renovabant licia Parcæ
Euridices: Thymbræe, (Tibi nam vera loquemur,)
Luſimus Odryſium juvenem, vatique probato
Perſephone legem poſuit, quam rite tueri
Nullus amans poſſet, vetuit dum flectere retro
Lumina: flexit amans, conjux remeavit ad Orcum
Hactenus illa quidem; magis at turbatus Apollo,
Ingemit, & plangunt mœrentes funera Muſæ.
Plangit ſancta Themis: reſonant Heliconia latè
Culmina, turbatæ manant Aganippidos undæ,
Parnaſſuſque caput cinctum caligine denſa
Occulit, & luget ſquallenti vertice Pindus.
Sic igitur doctis etiam requieſcere pectus
Parca jubet. Quid jam cautæ prudentia mentis
Te REISERE juvant, Sophiâ quid noſſe magiſtrâ
Artibus ut variis poſſet reſpublica jungi,
Servari conjuncta, & certa lege teneri,
Et mores qui quemque hominem, quæ vita deceret.
Quid prodeſt duplicis REISERE peritia juris
Et vaſtum Themidos ſtudium, decretaque noctu
Lecta, relecta diu, ſummiſque exercita curis.
Quid quinquagenis maſſa indigecta libellis
Multum animo digeſta tuo, quid profuit inquam

Illa

Illa tibi, & Libris reſcripta æquantia menſes,
Et nova quæ totum complent ſuper addita
Corpus:
Ne jam ſacra canam Canonum, vel Publica
jura,
Et quæ vel numero confundunt omnia men-
tem.
Si nihil iſta juvant, nec defendiſſe Clientes,
Innocuos ſervaſſe reos, producere vitæ
Stamina curta Valet, ſubitumque avertere fa-
tum.
Scilicet hæc aſſueta tuas Victoria cauſſas
Prompta ſequi, ſi nunc proprium non ipſa
clientem
Deſereret: nondum gelidas REISERUS ad
umbras
Tenderet, atque æterna moræ decreta manerent
Nunc aliquæ. Nec enim vulgata peritia mentem
Ornabat, REISERE, tuam. Quod Scævola
quondam
Eloquio pollens, & acuto examine juris,
Quod bini norant Celſi, quod uterque Sabinus
Et Labeo, oblati ſapiens contemptor honoris
Præ ſtudiis, ſumma quæ libertate notabat,
Et plures alii, quæ noſſe, aut noſſe videri
Vix poterant, docta REISERUS mente te-
nebat.
Non illum fugiebat enim, quæ ſcribere Paulus
Multa laboravit, nec ei Pomponius impar,
Cumque Modeſtino texens ſubtilia Gajus,
Et reliquos omnes Themidos delubra colentes
Cæſaris indicio præcedens Papinianus,
Qui

Qui ſancto juſti ac veri ſuccenſus amore
Non horrere tuas didicit, Caracalla, ſecures,
Sanguine nec proprio timuit defendere jura.
Denique quos celebres nuperrima ſecula plures
Viderunt numero, ah utinam quoque mente
ſagaci,
Atque accurati ſtudio non ſegnius æqui,
Et docto eloquio, & rerum ratione valentes!
Ut reliquos taceam: Non hinc indictus abibis,
Bartole, quem præter propriæ faſtigia laudis
Maxima diſcipuli tollunt præconia Baldi,
Ne tentem reliquam numero comprendere
turbam.
His igitur certi tantis auctoribus æqui
REISERUS, docto didicit diſcrimine rectum
Findere, & eloto verum dignoſcere fuco.
Hinc aderat juſtis victoria debita cauſſis,
Jamque ſuas REISERE Tibi juſtiſſime, lances
Ex merito, gladiumque lubens Aſtræa parabat
Tradere, & alma Themis ſubmittere jura volebat,
Invidit mors atra viro, Clothoque maligna
Invidit, ſtrictoque abrumpens ſtamina ferro,
Non invitam animam ſolita de ſede revulſam
Juſſit ad æternas aſtrorum ſcandere metas.
Heic, REISERE, meas, ſuperans fulgore
coruſco
Sidera. Septenis longe clariſſima gemmis
Urſa tibi cedit, cedit ſtellatus Orion,
Inductis & luce tua conſpergitur umbris.
An picturati excipient Te limina cœli
For-

Forſitan, & te mox, REISERE, ſuperbiet
ardens
Signifer, & ſanctam repetens Aſtræa parentem
Candida gemmatæ tradet tibi brachia libræ,
Concedens jus omne ſuum, ſedeſque relictas?
Aut nos, auratos ubi merſerit æquore currus
Phœbus, & ardentes revehet nox clarior ignes,
Addita nimboſo nova ſigna videbimus Auſtro?
Pectore qua fremit ignifero Leo fervidus, &
qua
Evehit autumnas inſignis Scorpio flammas?
An potius late qua lactea ſemita cœlum
Ambit, & à Borea madidum torquetur ad auſtrum
Heroum ad magnas te curia poſtulat umbras,
Heic ubi formoſas tendit lyra gemmea chordas,
Quæ tibi tunc carmen non ſollicitata refundet:
Accinet ipſe ſimul modulanti gutture Cycnus,
Et ſaliet blando demulſus carmine Delphin?
Sed quorſum hæc tam vana Tibi, REISERE
paramus
Humida non comitem te ſperant aſtra. Sed
ecce!
Jam ſuprema tibi ſe pandunt limina cœli,
Excipit & læta facie te CHRISTUS ovantem.
Jam tua victrici cinguntur tempora ſerto,
Condignumque canunt animæ Pœana beatæ.
Hic tu ſecurus vives, mundique tumultus
Deſpiciens. clari ſuperabis lumina Phœbi.
Interea Cives, civi perſolvite juſta
REISERO Non is lacrumas fletuſve refuſos

Po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Poſtula, aut laceras veſtes, ſciſſoſve capillos
Atratoſve lares. Minimum lugetur in illis,
Vult memores nos eſſe ſui, vult munera ſaxi,
Atque inſculpta ſuo laudantia verba ſepulchro.

HIC. SITUS. EST. JUSTI. REISERUS. TUTOR. ET. ÆQUI.
DUM. VIXIT. POST. FATA. DEUS. CUI. REDDIDIT. ÆQUUS.
MERCEDES. ÆQUAS. SUMMO. DIGNATUS. OLYMPO.
SUSCIPERE. ET. JUSTI. TUTOREM. APPONERE. JUSTIS.
COELO. NATA. THEMIS. COELO. QUOQUE. REDDITUR. EJUS.
CULTOR. ET. AD. VEROS. RURSUS. DIMITTITUR. ORTUS.
HEIC. VICTURI. ITERUM. CONDUNTUR. CORPORIS. ARTUS,
SAXA. DEDERE. SUI. TITULUM. THEMIS. ADDIT. APOLLO.
CARMINA. MUSA. ROSAS. SUPERADJICIT. OPTIMA. PALLAS.
MISCUIT. HAS. OLEAS. LAURO. PALMAQUE. VIRENTI.
ORNAVIT. VIRTUS. FULVO. BENE. PICTA. METALLO.

Pii queſtus in funere
JOACHIMI JUNGII,
Ph. & Med. Doct. Olim in diverſis Germaniæ Academiis, & tandem in Gymnaſio Hamburg. Prof. Publ. & hujus Rectoris,

Qui Septuagenarius beate obiit A. D. cIↃ. DC. LVII. VI. *Kal. Octob.*

EXceſſit fervens terris Borealibus æſtas,
Æſtas, quæ flavis campos decorabat ariſtis,
Æſtas, quæ dulces fundebat grata tepores.
Jam dudum fugiens currus deflectit ad Auſtrum
Cynthius, & claræ contingit brachia libræ.
Deformis procedit Hyems, ſecum horrida portans
Frigora, & umbroſas condenſat in æthere nubes.
Hippotades vaſto meliores carcere ventos
Continet, & taciti latitant Zephyrique Notique
Procedit triſtis Boreas, violentior Eurus
Evolat ingenti proſternens omnia flatu.
Funduntur ruptis magna vi nubibus imbres,
Et jucunda ſuo ſpoliantur prata decore.
Gramina vaſtati ponunt viridantia campi,
Et mœrens vacuis decedit Chloris ab hortis.
Omnia jam ſquallent, quæ cernimus, omnia torpent,

Sic

Sic commutat Hyems, variat ſic omnia tempus.
Sed quorſum hæc? curnam ſolitâ quæ lege feruntur
Miramur trepidi? clades Helicona ſacratum
Triſtior invaſit. Boreas heic ſævior hortos
Pieridum vaſtat, denſiſſima nubila cauri
Confundunt. Non heic ſanctis favet aura Camænis,
Non liquidæ fontis manant Aganippidos undæ
Amplius, aut puris merguntur labra fluentis.
Omnia jam frigent, poſtquam præreptus iniquis
JUNGIUS eſt fatis, præſignis JUNGIUS ille,
Gymnaſio noſtro clarus qui lumina Titan
Præbuit, & ſemper nobis fuit alter Apollo.
Non mihi ſi Pylii facundia Neſtoris eſſet
Dulichiive Ducis, prædoctique ora Maronis
Donaſſent Muſæ, non, ô clariſſime JUNGI,
Non tua conarer celebrare encomia JUNGI,
Te Pæan luget, cui deplorata cupreſſus
Tempora circumdat, ſummique cacumina Pindi
Flebile te reſonant, doctæ tua fata Sorores
Deplorant, tragico verrentes ſyrmate terram.
Culmina denſatæ fœdant Parnaſſia noctes,
Fœdat Hyems, multæ lucem oppreſſere tenebræ,
Cimmeriis omnes miſeri verſamur in umbris.
Quid mirum eſt igitur me carmina pangere tanto,
Tanto indigno Viro? Non hæc, mihi credite, non hæc

Caſtalidum de fonte bibi, nec fas mihi Cirrham
Appellare fuit ſolitam, Muſaſque citare,
Quæ vires noſtræ conſuerant addere menti.
Sed triſtis multumque dolens, hæc inter opacas
Compoſui tenebras, & vix miſerabile carmen
Pangere, vix potuit, ne per me JUNGIUS ingens
Ferretur miſeras indeploratus ad umbras.

STRENÆ CHARTACEÆ

MICHAELI KIRSTENIO
Ph. & Med. Doct. Mathem. Prof.
Publ. in Gymnaſio Hamburgenſi
Do. Præceptori meo perpetuo
cultu honorando miſſæ.

QUo greſſus nimium moves citatos
Pœan, & properans trahis ſacratos
Unâ Pieridum choros Sororum?
An quod jam medius venit December,
Saturnum nimis ebrium timetis?
Hoc eſt: ſentio. Sed refer citatos
Greſſus, Delie, voſque permanete
Una Pieridum chori Sororum,
Vano namque agitamini timore,
Non nobis ea feſta præparantur,
Nobis Falciger uſque permanebit
Siccus, compedibuſque non ſolutis,
Et nullo madidus mero December
Tranſibit, modo tu refer citatos

Greſ-

Greſſus, Delie, voſque permanete
Una Pieridum chori Sororum.
Et jam dona, precor, parate mecum
Veſtro KIRSTENIO parate dona,
Illi KIRSTENIO parate dona,
Quem vix à genetrice prodeuntem
Exceptum cupidis tuliſtis ulnis,
Potaſtiſque Aganippiis fluentis.
Totum pectora ſub beata Pindum
Condentes, Heliconioque labra
Prorſus nectare tota proluentes.
Illi KIRSTENIO parate dona,
Illi Perides parate dona,
Nunc dum tempora, juſque dum Latinum
Permittunt licet æſtimanda parvi
Hero munera comparare vernam.
Verum quid tibi jam boni parabo
KIRSTENI, ô nimium mihi probate,
Et doctis nimium probate cunctis?
Quid quæſo Tibi quid boni dicabo,
An ceras Tibi, mella caricaſve,
Prægnantes caryotides, & uvam
Mollem, & liba feram, breveſque mappas
Latinos gelidi jocos decembris?
Non certe: maneant ſuis Latinis
Ceræ, mellaque, caricæque rugis
Deformes, caryotideſque, & uvæ,
Nec non dulcia liba, mappulæque.
Mittamus meliora, quæque noſtra
Expoſcit pietas, bonæque Muſæ
Quæ donare jubent ſuo Patrono,
Et quæ tempora priſtinam revinctus
Daph-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Daphnen Claviger exigit, feramus.
Chartas, & pia vota ſcripta chartis:
Hæc poſcit pietas, Hyantiæque
Hæc Divæ ſimul, atque Pindus omnis
Unâ, & Claviger hæc ſuis Kalendis
Janus munera poſtulat parari.
   Ergo quid voveam Tibi, quid optem,
O mundi decus eruditioris,
Et mundi decus elegantioris,
Vatum maxime: Duxque ſanitatis
Alter Phœbe, potentiorque Phœbo,
Seu tu Pharmaca poſceris, vel herbas,
Seu verbis animo mederis ægro.
O pectus quater & magis beatum,
Pectus ſideribus poloque dignum
Quod jam ſidera cœliteſque vivum
Complectens ſuper aſtra ſumma fertur.
Quid tandem voveam Tibi, quid optem?
KIRSTENI. Hoc voveo Tibi, illud opto,
Doctorum Tibi quod cohors merenti,
Gratus quodque cliens ſuo Patrono,
Et quod diſcipulus pius Magiſtro,
Lingua & pectore ſæpius precetur.
Et verbo ut memorem, Tibi quod opto,
Partemve exequar illius quod opto.
Cœlum, ſidera, ſiderumque curſu
KIRSTENI totiens tibi remenſi
Æternum faveant, & ipſe Rector
Nutu ſidera cuncta qui gubernat,
Nutu ſidera cuncta ſic gubernet,
Ut ſemper radient tibi ſerenum,
Ut ſemper radient tibi ſecundum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Et ſemper redeant novæ Kalendæ,
Et Janus faveat novis Kalendis
Dum Peluſiaco ſatum Canopo,
Et Coum ſimul, atque Pergamenum
Et ſenem Pylium, probata corda,
Ceu dudum numerumque ſiderumque
Vincis notitia, & ſacra medendi
Vincis, atque peritia loquendi
Sic multis ſuperes ſuperſtes annis.

FAUSTA,
VINCENTIO GARMERS.
J. U. D. Illuſtriſſ. Ducis Saxon. Inferior. hactenus Conſiliario acclamata.

Cum crearetur Syndicus patriæ Reipubl. Hamburgenſis A. D. 1659. 3. Non. Quinctil. Julian.

SIc ergo indocilis latere virtus
Rurſum te ſuperas levas ſub auras,
Cultoremque tui benigna tollis!
O jucunda dies, beate Titan
Nobis gaudia tanta qui tuliſti!
Sed jucunde magis, beatiorque
Coram gauda tanta ſi videre
Conceſſum foret! O mihi beato
O ſi fors adeo dediſſet eſſe!
Queis verbis ô Avuncule hos honores
Quo vultu tibi gratulatus eſſem,

Quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Quo plauſu bona fata comprobaſſem!
Verum & gaudia tanta porriguntur
Ad nos, & feriunt licet remotos.
Nam quo pectora concitantur œſtro!
Jam Pœan & Hyantiæ ſorores
Jam vos ſentio, jamque dictitantes
Scribendo ſequor, atque viſa nulli
Non ipſi mihi penè viſa canto.
Vix Sol Oceano ferebat ora,
Atque una Themis atque docta Pallas
Parnaſſi juga ſumma jam tenebant,
Et grex Aonidum ſacer Sororum
Cantu culmina grata concitabat,
Et Dux Aonidum ſimul Sororum
Arcu depoſito lyram tenebat:
Sanctum cum ſubito nemus moveri
Viſum eſt, & duplices micare rupes,
Et plauſu vario ſonare templa,
Sanctique incipiunt ſcatere fontes
Sueto largius, & virere colles
Quæ dum conſpiciunt Deæ ſorores,
Mirantur ſimul, & recentiorem
Circum tempora floruiſſe Daphnen,
Et palmas hederaſque conſpicantur.
Quin, mirum! Themidos quoque arma mutant,
Et fulgore novo novum coruſcant.
Imprimis tamen aureum Minervæ
Peplum fulmineis notis rubeſcit.
Et jam nomina clara configurat
GARMERI ſatis emicante ſulco:
Quæ dum Caſtalidum Deus ſtupeſcit,

Et ſurgens ſolito virere frondes
Cernit lætius, ora ſic reſolvit.
Semper ſic faveant, benigna nobis
Parcæ numina, Cœliteſque ſummi!
Noſtra eſt illa dies, favete divæ
Linguis, plauſibus, & favete votis,
Lætis ominibus favete. Noſtra
Lux eſt, quæ patris æmulo fideli
GARMERO patrios refert honores.
Vix hoc dixerat: & Minerva curru
Aſſumens Themidem volat citato,
Cygnos inde ſequens agit nitentes
Pœan, & comites novem Sorores
Hamburgum pariter feruntur omnes.
Quo poſtquam vacuas ſimul per auras
Pervenere, novis decorus ecce
Cannis tempora, jam ſuperbiorque
Albis per mediam pererrat urbem,
Jam ſeſe tibi, comparare, Tibri
Audens: Alſtria quin & ipſa lymphis
Jam non tam tacitis fluens miſellum
Niſſum vocat: æſtuanſque Billa
Eurotâ viridi magis ſuperbit.
Feſto mœnia perſonant tumultu
Cives vota ſui probant Senatus:
Et jam lætitia nova, ſuoque
Parentes patriæ bono triumphant.
Ergo mox Themis atque ſancta Pallas
GARMERO nova ſigna pileumque
Nec non pallia dant, ſimulque corda
Præceptis acuunt parata rectis.
At non interea Deæ Sorores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Cum Phœbo comitante feriantur.
GARMERUM faciles ſonant, & uno
Uno talia gratulantur ore.
O Ter Hammopolis, quaterque felix
Quæ fortes adeo bonoſque cives
Edendo, merito tuo triumphas:
Sed felix magis, & magis beata
Quæ tam fortibus hiſce, tam boniſque
Te, curaſque tuas, decusque mandas.
O Ter Hammopolis, quaterque felix.
GARMERUM canimus, favete Cives,
Hic eſt, hic, Themis ipſa quem cadentem
Vix à matre ſinu ſuo recepit,
Quemque amplexa ſuis tenens lacertis,
Præceptis monuit, quibus nec olim
Inſtructus Labeo eſt, Papyriuſve,
Aut qui ſanguine comprobavit æquum
Magnus Papinianus inter omnes.
Huic civi merito ſuis honores
Confers laudibus, invidenda multis.
O ter Hammopolis, quaterque felix!
Hanc Florentia provocare noli,
Nec Baldo celebrata quæ fuiſti
Nec quæ ſaxea Bartolum dediſti.
Et Hamburga magis beata vobis,
GARMERO magis eſt ſuo beata.
Non huic non Themis una nempe ſeſe
Indulſit magis huic ſevera Pallas
Et tu Delie pectus expoliſti.
O quantum Themidi Minerva præſtat!
O prudentia ſola digna cœlo!
Mens mundi, & ratio: beatitudo

A Te quam fluit omnis, utque mentes
Exornas hominum beaſque ſola !
Præclarum eſt equidem, paritque laudem
Clauſos, & nimis abditos receſſus,
Naturæ, & varios notare mores,
Queis Numen regit illud univerſum,
Et queis per liquidum feruntur aſtra,
Et Phœbe modo ſumit, atque rurſum
Ponit cornua, ſeque nube condit:
Queis cœlum variat, rotatur axis,
In cœloque novi creantur ignes,
Et queis fulmina ſæva concitantur
Tellus concutitur, moventur imæ
Umbrarum domus, atque regna ditis:
At quanto melius beatiuſque eſt,
Regum pectora, Principumque mentes,
Nec non conſilia, abditoſque ſenſus,
Et curas penetrare delitentes,
Regnorumque vices tenere, ortus,
Inſtanteſque modò videre caſus,
Et præſcire citas nimis ruinas.
Hæc Prudentia, perſpicaxque mentis
Hæc præſtat vigor, hæc favor Minervæ,
Dat, GARMERE, Tibi, dabitque plura.
Et jam tempus erit, dieſque curſu
Felices venient citatiore,
Queis, GARMERE, tuos, Tuos honores
Regum pectora, Cæſarumque noſcent.
O quam tunc tua fama, quam vigebit,
Et trans Oceani volabit oras,
Metaſque Herculei laboris extra!
Nec Tu jam ſtygias timere dextras,
In-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Infenſaſque velis bonis ſorores,
Que quamvis Pyliam vetent ſenectam
Et quam ſeptimus à parente primo
Vixit, tangere: Laus tamen manebit,
Laus quam nos adamantinis tabellis
Cedro quamque notabimus, vel aſtris.
Hæc nullo tamen exoleſcet ævo,
Dum ſtabit Polus, atque dum recurrent
Orbi ſecula, Dum madebit Albis
Atque Hamburga ſuo manebit Albi.

PROPEMPTICON
AD
EUNDEM

Cum ſecunda jam Legatione in Angliam Patriæ Inclytæ Civitatis Hamburgenſis nomine mitteretur.

AD non grata quidem, tamen ad pia vota vocamur
Nunc iterum: ſic fata volunt, ſic tempora poſcunt,
Et Superi, & Superis, Patriæ neque jure neganda
Sic pietas mandat, dum rurſus Avuncule, noſtra
Te felix Hamburga ſuos expoſcit in uſus
Et vix conceſſam rurſum eripit ipſa quietem.
Scilicet experta eſt in Te Reſpublica quantum

Poſſideat: tutoque uni faſtigia cœli
Atlanti, credique Tibi ſua munia ſenſit.
O Superi, quantum mortalia pectora diæ
Lucis habent! Immane o! quantum pectora diſtant
Pectoribus, quam diſſimiles ſatis undique dextras
Japetionidum, diverſaque ſemina produnt!
O, Tua ſi dignas nunc in præconia vires
Dent mihi Pierides: ſi totus, Avuncule, Pindus
Nunc mea divivo ruat in præcordia motu,
Quo dignas animo liceat comprendere laudes,
Et verſu ſignare pio: quam tunc mihi latam
Non rumpenda brevi verſarent gaudia mentem!
Non me non quamvis ſerus tunc ora prementem
Cynthius, aut media deprendat Cynthia nocte.
Tunc Tibi quæ pietas, quæ virtus maſcula mentem
Condecoret, quam cuncta ſagax præſentia primis
Componas, & quæ Patriæ nocitura videntur
Prævideas, caveasque ſimul: quam ſponte regatur
Imperio Fortuna Tuo; memorare laborem.
Quæ Tua ſedulitas, quantuſque in rebus agendis
Sit vigor,& Germana Fides. Tum pectus honeſti
Omnis amans, largaſque manus, & lumina nullo
Alta ſupercilio canerem: quæque intima mentis
Ex-

Expoliunt. Quantum faveat tibi magnus A-
pollo,
Et Themis, & Maja genitus, materque leporum
Rite recenſerem, juncturus & ordine facta,
Et quæ magna ſatis rerum documenta dediſti,
Horrida cum bellis, & cæde cruenta recenti
Balthica per ſua regna tulit Te cœrula Thetis:
Arctoi cum Te Reges ſtupuêre loquentem,
Et medias inter clades, atque horrida caſtra
Auribus attentis avide Tua dicta notarunt.
O Ter felices optatis civibus urbes!
Nec minus his Cives, patriæ ſervire paratos,
Queis animos natale ſolum tam nobile tollit.
Haud equidem (res nota probis,) ſua clau-
ditur unquam
Virtuti regio, cui ſe commendet, & amplos
Per caſus varios tandem mereatur honores:
Attamen & fauſtæ remanent ſua munera ſorti,
Invitiſque nefas aliquem ſe tollere divis.
Scilicet, ut tandem ſuperas tollatur in auras
Virtuti datur, at modico conamine tolli,
Hoc vero eſt vultu, non uti ſortis iniquo.
Hic favor, hoc meritum, tibi donat Avuncule
munus
Quod geris, atque jubet patriæ ſuccurrere rebus
Sic Te nunc Hamburga cupit, laudatque co-
litque:
Tu magis hanc etiam magnis virtutibus ornas.
Sic mixtum fulgore decus majore coruſcat,
Auctoreſque tui præſtringit ſidera fati.
Sed quorſum mea Muſa ruis? Jam, ſentio, non ſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Hæc venæ memoranda meæ. Laus tanta vigores
Mœonios, magnique ſibi velit ora Maronis,
Aut ſi fas majora dari. Jam ſiſte ruentem
Aut aliò deflecte ratem, Germanica Thetys
Qua vocat, & noſtro ſubducta Britannia
mundo,
Quam nunc ORATOR PATRIÆ GARMERUS adibit,
Ora ſalutatum reducis lætantia Regis.
Hanc mecum juſtis evincere Dorida votis
Nunc opus eſt: poſtquam luctantem & fruſtra
volentem
Me nunc fata ſequi prohibent. O ſi mihi tecum
Cœrula ſecuris liceat convertere tonſis,
Sedulus ut comes, atque operum mirator adeſſem,
Verbaque cum factis, cum verbis facta notarem!
Sed quoniam mala fata negant, fas cedere fatis.
Interea poſtquam fugientem lumina pinum
Jam nequeunt, ſaltim felicia vota ſequentur,
Vota animo profuſa pio, quæ fata ſequentur,
Quæ rata permaneant, & quæ per cœrula tecum
Extremos adeant, animo comitante Britannos.
Talia concipio: poſtquam ſic tempora poſcunt,
Et venti tua vela vocant, & carbaſus auras
Excipit, egeſtis & mundior Albis arenis
Subſilit, & promptos plangentes littora fluctus
Ipſe oculis luſtrans, cannas componit agreſtes,
Jamque viam parat, & puppi ſe ſternit eunti.
Ergo vale, dilecte vale, & quo publica poſcunt
Commoda, flecte ratem. Vincant communia, vincant

Effu-

Effuſas lacrumas natorum, & vota maritæ.
O felix: nullo feriant tibi corda pavore
Horrida veſanis pugnantia cærula ventis,
Legatique inviſa recenti funere tellus.
Longe aliud tibi fata parant. Tibi ridet Olympus,
Ipſe Poli Rector procul hinc procul omne timendum
Eſſe jubet, fratremque ſuum quem cura tuendi
Æquoris alma manet, tali ſermone ſalutat.
Frater, noſter amor, cui regni cura ſecundi
Ceſſit, & undarum ſubjecta potentia ſoli eſt,
Si Te cura mei, fraternaque fœdera tangunt,
GARMERI ſervato caput, cui magnus Apollo
Atque Helicon junctus veſtris committitur undis,
Extremoſque petunt, Tua nunc per Regna Britannos.
Huic aut ipſe ratem dextrâ torquere memento,
Aut Ino fidam, parvumque Palæmona mitte,
Nympharumque chori, & gratum Nereides agmen
Non ſecus huic plaudant, latique ſequantur euntem
Ac ligurem, mundo cum non contentus Eoo
Tenderet occidui monſtrare cubilia Phœbi.
Ergo, ô fortunate vale, cui cœrula plaudunt
Numina, cui Tameſis jam ſe ſubmittere gaudet
Mollior, & feſtis præcingens tempora cannis.
Ergo vale placidum properans ſecurus in altum,
Non Helenæ viſure faces inſtare ceruchis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Non Hyadas, igneſve Jovis, non aſpera ventis
Æquora, nec Boreæ barbam ſubiture rigentem.
Ergo vale, Legate, vale, rebuſque peractis
Quas patria, & cives, & publica commoda poſcunt,
Ad nos fortunate redi, & nova gaudia portans
Jam dudum votis agitatos excipe plauſus.
O Superi, ſiquidem veſtrarum præſcia vatum
Pectora venturi facitis, mihi pandite, quando,
Quando erit illa dies, albo ſignanda lapillo,
Aut auro potius, vel veſtris, India, baccis.
Quam mihi tunc dulci ſalient præcordia motu,
Gaudia quam medias ferient mihi tanta medullas.
Quæ mihi tunc facies, hilaris cum nuncius olim
Incolumem & reducem Te, dulcis Avuncule, pandet.
Interea certa dum ſpe bona læta fovemus,
Terque quaterque vale, & noſtri memor uſque maneto,
Publica dumque tuas agitant commercia curas,
Ne patiare omni nos plane excedere ſenſu.
At vos, ô animæ, quos ſanctum Helicona tuendi
Cura manet, queis mellifluis Aganippidos undis
Conceſſum relevare ſitim, comprendite totum
Pectore Parnaſſum, dignas in grandia vires
Carmina concipite, ut reducis ſit dicere laudes
GARMERI patulis quas ſignent floribus Horæ,
Pierideſque ſimul poſitis ex ære columnis
Inſculpant, cedrove notent, quo plurima durent
Secula, poſt ſeros recolenda nepotibus annos.

URA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

URANOGRAPHIA
Sive
Enumeratio Siderum metrica,

ita facta, ut ſingulis ſideribus ſinguli ferè verſus reſpondeant.

SIdera quæ moto circum volvuntur Olympo,
Quæque in ſublimi variis ſtant fixa figuris,
Cum noſtros optata quies amplectitur artus,
Jamque plagas omnes nigranti condidit umbra
Juppiter, & rebus Nox abſtulit atra colorem,
Enumerare juvat, tenuique includere verſu,
Eximium mundi decus, ornamentaque ſummo
Picta polo. Quorum Boream pars altera cernit,
Et numquam æquoreis penitus ſe proluit undis,
Aut cito ſe reddit nobis, ſi lapſa prematur:
Altera diſtantem longè declinat in Auſtrum,
Et raro aut nunquam noſtrum ſe tollit ad orbem.
Has inter latè media eſt via ſecta per ambas,
Qúa cœli bis ſex aſtrorum lucidus ordo
Vertitur, & juſtum deſcribit Cynthius annum.
Nunc age divinos ex aſtris funde liquores
Uranie: da noſſe Polo ſtent ſidera quanta,
Quove ſitu. Tu noſſe ſoles diſtantia cœlos
Quæ dirimat terris, humiles qua Cynthia velox
Ducat equos, & qua niveo Cyllenius aſtro
Carpat iter, Cytherea ſuos qua devia currus
Flectat agens, medio dum conſtans Cynthius orbe

 Per-

Permanet: hinc rutilum quali diſcrimine Martem
Juppiter adſpiciat, gelidumque ut ſidus oberret
Falcigeri. Tu Diva tenes, tu plurima noſti,
Quæ fugiunt oculos. Tu dignis inſtrue mentem
Viribus, & noſtro facilis ſuccurre labori.
Sidera ſignifero quæcunque videntur in orbe
Principio dicam, hinc rerum deſcendet origo.
Phryxæus primo pandit ſua vellera Cuſtos,
Flammivomus juxta Taurus fera bella minatur,
Quem prope Tyndaridæ felicia ſidera fulgent,
Proximus inde loco ſitientia brachia Cancer:
Et Nemees terror flammantes porrigit armos,
Illuſtremque nitens Virgo protendit ariſtam.
Excipit hanc noctem diſpeſcens Libra diemque,
Et Nepa fulgentes jaciens è pectore flammas,
Quam prope tu volucri minitans Centaure Sagitta
Monſtroſoque cubas Capricorne notabilis ore.
Vicinus largas effundit Aquarius undas
Queis inhiant annum claudentia ſidera piſces.
Accipe nunc ſummo nobis fulgantia Cœlo
Sidera, quæ Boreas nigris amplectitur alis.
Summa tenent Urſa metuentes æquore tingi,
Sidonios juvat hæc nautas, juvat illa Pelaſgos.
Dividit has medius magni Draco fluminis inſtar,
Frigida qua gelidus torquet ſarraca Bootes,
Cui Super incumbens Arctoa Corona quieſcit,
Sub qua ſidereum retines Ophiuche, colubrum,
Nixa genu juxta ſupplex ſpectatur imago,
Et Lyra lucentes intendit gemmea chordas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Accinit huic Cycnus Ledæi pignus amoris.
Hinc armate volas telo Jovis armiger ales,
Tuq́; novem ſtellis fulgens Delphine Coruſcas.
Inde Equus Auroræ radiantes concutit alas,
Cui comes it ſtellis obſcurum quatuor aſtrum
Hinnulus. Hinc Virgo Cepheia vincta catenis,
Et caput infelix attollens Caſſiopea
Anguicomæque venit Perſeus cum fauce Me-
duſæ,
Et prope Deltoton fulgeſcit lampade trina.
Rex etiam Æthiopum ſedet alto vertice Ce-
pheus,
Et qui cornipedes primus conjunxit Erictheus.
Porro quæ feriat pennis humentibus Auſter
Sidera ſunt dicenda mihi. Nunc ſuffice verba
Muſa favens, vireſque animo ſuffunde labanti.
Exhibet immanis prima ſua tergora Piſtrix,
Stellifer Eridanus variis qua flexibus errat.
Heic arcu & canibus geminis venatur Orion
Quorum alter Procyon triplici ferit æthera
flamma,
Sirius aſt alter maturas urit ariſtas,
Et Leporem pedibus fugientem captat, & ore.
Fulget & auxilio puppis fabricata Minervæ,
Cumque illa Veneris ſacra circumvolvitur ales,
Et longum cœli tractum ſibi poſtulat Hydra,
Crateremque gerit dorſo, Phœbique volucrem.
Semivir hinc magnus magni Præceptor Achillis.
Apparet, fera cui manibus reſupina tenetur.
Ara prope hinc flammis radiat ſpecioſa coruſcis,
Et Diadema magis madidum quod vergit ad
Auſtrum,

Et

Et Notius tandem vibrat ſua lumina Piſcis.
Denique ſunt quæ non norat ſtudioſa vetuſtas
Sidera, quæque Notus nimboſis humidus alis
Abdidit. Heic toto Phœnix ſedet unicus orbe,
Et Palamedis avis roſtro ſpectabilis amplo.
Et pharetram multis onerans haſtilibus Indus,
Atque illi notus recubans argenteus anſer,
Et Paradiſiacæ volucris Junonia certans
Turgida gemmatæ pandit ſpectacula caudæ.
Stat pariter Triquetri radians Auſtralis imago,
Quique ſuis cœlo piſcis ſeſe intulit alis.
Hactenus & noſtris Xiphias incognitus oris,
Et tibi qui tremulo fugienti, muſca, volatu
Inſidias, aliàs victurus & aëre, nectit.
Extremumque polum quæ circumvolvitur Hydra.
Tot Sunt quæ toto commota rotantur Olympo
Sidera, tam varias ſcitè referentia formas,
Et tot flammiferis incendunt æthera gemmis,
Gemmis, quæ lucem faciant, quæ tempora ſignent,
Et cœlum latè decorent, & fata gubernent.
Quanta hic quanta etiam ſeſe miſteria celant!
Quantus is eſt, tales qui fixit in æthere flammas,
Et juſſit mutare locum, & labentibus annis
Et definitis cœlum peragrare diebus.
Magna Deus, certè tua ſunt miracula, nobis
Cum tenebris nox condit humum luxque alma recedit,
Lucida quæ ſignant ſtellato emblemata cœlo.
Te

Te Dominum laudant tua ſidera, teque verentur,
Alme Deus, par ergo & nos tua dicere facta,
Queis terram, & cœlum, queis ſidera celſa creaſti.
Tu modo qui Cœlum, Pater optime, volvere fata
Noſtra jubes, moderare precor, quo talia nobis
Fata ferant, animos fragiles quæ frangere noſtros
Non valeant, donec tecum ſuper aſtra, ſuperque
Aſtrorum ſedes ſummo regnemus Olympo.

RELEGATIO INVIDI AD INVIDIÆ HABITACULUM.

INvide, quid cœlum ſinceraque ſidera cœli
Lædis, & inviſo lumine cuncta feris?
Aëra quid turpi fœdas, ſcelerate, veneno,
Dum male vis illis virus ineſſe tuum?
Cur pede peſtifero florentia proteris arva,
Afflatuque gravi culta roſeta necas?
O fuge, dira lues, cum terris ſidera cœli
Et mare quæ violas, ô fuge dira lues.
Effuge dire procul, ne quæ felicia cernas
Cor tibi diſrumpant, effuge dire procul.
O pete Cocytum, ſtygiis te conde tenebris,
Solve odio terras, Invide, ſolve Polum.
Pelle moras, Peſtis, loca Sole carentia viſe,

Ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Ut tua viventis funera terra premat.
Namque quid es quæſo, vivum niſi fortè cadaver,
Telluri moles, exitiumque tibi?
An tu dignus eris radiantia cernere Phœbi
Lumina, qui Phœbo lumen abeſſe velis?
An tu dignus eris fulgentia cernere Phœbes
Lumina, qui Phœbæ lumen abeſſe velis?
Gemmea quis merito te judicet aſtra videre,
Queis, dum aliis deſint, ipſe carere cupis?
Quin age Cimmerias deſerta luce tenebras
Quærito, qua Scythico frigore terra riget.
Ipſe tibi ſedem monſtrabit Caucaſus atram,
Antraque non Phœbo, non adeunda Notis.
Illic tabificæ Genetricis tecta patebunt,
Nulli adamata homini, nulli adamata Deo.
Non illuc radios dignatur ſpargere Titan,
Non ſurgens, medius, non videt antra cadens.
Nec quæ noctivagas moderatur in æquore bigas
Cynthia, ſed ſtygios odit & ipſa lares.
Incubat infectis ſemper nox horrida ſaxis
Et riget aſſiduo regia dira gelu.
Undam ſi quæras, nuſquam eſt, mutatur in altam
Hæc glaciem, glacies hæc quoque rara tamen.
Hanc igitur, nemo terram ſignavit aratro,
Ut lætus ſegetem tolleret inde novam.
Turritiſve olim decorandam mœnibus urbem
Ponent, aut docta conderet arte domos.
Nudus ager paſſim, tellus neque commoda Baccho,

Nec

Nec Floræ, aut Cereri, pomiferæve Deæ.
Quæ legitis flores procul hinc procul ite, puellæ,
Non niſi mortifero gramine terra tumet.
Pro violis ſurgit virus Lethale cicutæ,
Lurida pro Paphiis ſtant aconita roſis.
Hic urtica manus incautas urit, at illic
Erigit impexas hiſpida lappa comas.
Pro thymbra miſeris dominatur carduus arvis,
Armat & inviſum ſpina cruenta ſolum.
Heic carpſiſſe puto rigida de cote venenum
Phaſida, quo natum tolleret ipſe parens.
Hæc Italæ Circæ, & tibi gramina miſit, Erich-
tho,
In ſcelera & noxas exitialis humus.
Hinc quæ nocturnam fœdabat ſanguine lunam
Deprompſit vires Theſſala turba ſuas.
Hic quoque queis labor eſt maturas perdere
meſſes,
Lanigeroſque quibus cura necare greges.
Qui nodo ſocios cogunt ſterileſcere lectos,
Spemque jubent miſero prolis abeſſe thoro.
Hic coëunt. Pars arma tenent, herbaſque no-
centes,
Et triſtes ſuccos, & mala fata legunt,
Pars ſubeunt diræ penetralia furva parentis,
Quæque bonis noceant matre docente no-
tant,
Hæc imo recubat multum deformis in antro,
Qua viſum tenebræ vix penetrare ſinunt,
Aſpicit obliquo venientes lumine cunctos,
Pallida ſuffuſo pectora felle virent.
Cernere ſaxificæ te credas ora puellæ,

Cer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Cernere Tiſiphones te gravis ara putes.
Stant dignæ dominâ comites: Suſpiria, Pallor,
Et Rabies ſciſſas ſparſa cruore genas.
Non procul hinc etiam lapidoſis errat in arvis
Et morſu plantas vellit anhela Fames,
Et raram inveniens miſeros à ventre dolores
Perpetitur, nec jam quo ſatietur habet.
Invidet huic Livor tamen, & male ſuſtinet illam
Adſpicere, effoſſas dum terit ore dapes.
Aſſiſtunt etiam & divæ famulantur inerti
Deſidia, & pigris ſemper amica Quies.
Et Dolor, & Gemitus rumpentia murmura mœſtos,
Jurgiaque & Rixæ, Prælia ſæva, Doli.
Innumeræ circum Peſtes, quas India miſit,
Aut de Cinyphiis terra Libyſſa jugis.
Scorpius hic ſævæ metuendus acumine caudæ,
Et ſeps tabifico ſingula dente premunt.
Et natrix ſanie melior vitiare fluenta,
Et ſtygiam dipſas non poſitura ſitim.
Torridus & Præſter, & rumpens vipera matrem,
Quæque rubeta herbas inquinat atra bonas.
Stellioque Herculei ut rapiat medicamina morbi,
Qui vorat exuvias invidus ipſe ſuas.
In medio reſidet diris vallata colubris
Peſtibus his cunctis ſævior, ipſa Parens,
Fœdaque nunc trifidis immulgens ubera linguis
Hydris ſuppeditat grata venena ſuis.
Dipſade nunc rabidi paſcit jejunia ventris,
Sedat & anguineo ſanguine toſta ſitim.

Huc

Huc fuge, & umbroſos ſubito pete, dire, penates:
Hæc te ſola manet, livide, digna domus.
Odiſti nitidi gemmantia lumina Phœbi:
Hæc radiis Phœbus non ferit antra ſuis.
Promanant lacrumæ tibi ſi viridaria vinas,
Et loca quæ Chloris, quæ colit alma Ceres.
Huc fuge, qua ſolis horrens ſtat carduus arvis
Qua frondes nullas lenior aura movet.
Ingemis, & lacrumas, vicina palatia cœlo,
Dignaque Cecropiâ Pallade tecta videns.
Huc perverſe veni, ſaxis ubi turpibus horrent
Antra, & ſponte ſua qua cecidere jacent.
Ploras, ſi viridi moduletur in arbore carmen
Threïcium recinens Daulias ales Itin,
Garrulus aut ſtrepitet ſi Pſittacus ore loquaci,
Aut quaſcunque bonas ſilva miniſtrat aves.
Hæc te digna domus, diro quam carmine Bubo
Implet, & exoſus funera mœſta canit.
Et cantu ſemper Coccyx odioſus eodem,
Et Corvus pullis invidus ipſe ſuis,
Quæque alit inviſo furaces ubere fœtus,
Et tenet à ſero veſpere nomen avis.
Hic cum matre potes gratis latitare tenebris,
Et dare livori digna alimenta tuo.
Sed tibi ne ſedem invideat tamen ante rogato,
Detque ſuos comites inter habere locum.
Tunc tibi diſtentam coluber condatur in alvum,
Viperaque expellat dilacerata famem.
Dentibus hic Lybicam diſpeſcere diſce Ceraſtam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Et Cenchris candens impleat ora tibi.
Quæque vagis inibi paſſim miſcentur arenis
Ammodyes, vel qui flumina perdit Hydrus.
Æternis illic lacrumis ſuſpiria miſce,
Nec ceſſa raras dilacerare comas.
Noſque, tui, ſemper maneant felicia, luctus,
Pectus corrodant ut ſine fine tuum.
O fuge triſte malum cui vel concedat Erynnis
Et crucians animas dira Megæra malas.
Nondum peſtis abis? Jam te Cyllenia proles
Pellet, & proprium coget abire locum.
Tu flebis pulchrum juvenem cum videris illum,
Plorandi cauſſam ſingula pulchra dabunt.
Plorabis galeam, plorabis lumina virgæ,
Et ſubito volucri quod pede carpat iter.
Et forſan ſaxi capient tua membra figuram,
Ut quondam Aglauros invida diriguit.
Nempe ſibi peſtis livor; ſibi funeris auctor
Suppliciique manet lividus ipſe ſui.
O fuge Livorem, qui vitæ tædia damnas
O fuge, qui mortem, quique Acherunta fugis.

PROTEMPTICON

Ad Amicum, Lugdunum Batavorum Studiorum gratiá abeuntem.

SIc igitur patrios linquis, dilecte, Penates,
Siccine natalis nunc tibi ſordet humus?

Agna-

Agnatoſque tuos, & amicos deſeris omnes,
 Et me non dignum hos inter habere locum?
Et meditaris iter properans, & turba tuorum
 Mæſtior acclamat, dulcis amice, vale!
Ergo etiam à nobis, quoniam ſic fata requirunt,
 Accipe, ſed mœſto quod venit ore, vale.
Dulcis amice vale, ô utinam ſalvere juberem
 Te reducem, quanti lux foret illa mihi!
Sed non adveniunt jucundi tempora Veris,
 Grandine ni crepitans ante feratur hyems.
Semina nulla leges niſi flos intercidat ante,
 Semina nulla virent, ni retegantur humo.
Sic neque nos reditus carpemus gaudia læti,
 Ante tuum mæſti quam videamus iter.
Ergo vola, & tacito tranſcurre per æquora curſu,
 Et faveant pariter Pontus & aura tibi.
Ipſe Polus facie tibi fulgeat undique læta,
 Et curſus radiis ſidera fauſta notent.
Magna minorque feræ faveant, procul exu-
 let illa
 Quæ perdit miſeros ſæva Lacæna viros.
Deliteant ſeptem radiantia ſidera flammis,
 Quaſque Hyades recte Grajus ab imbre
 vocat.
Nec pelago ſurgat ſemper nimboſus Orion,
 Flamina nec moveant, impetuoſa ratem.
Emergant gemini felicia ſidera fratres,
 Et Cancer ſiccos qui male torret agros.
Atque Aries pelago paſſus ſæviſſima damna,
 Quæque viros Argo trans mare prima tulit.
Imprimis Regina tuæ Cytherea carinæ
 Præſit, non fruſtra prodiit illa ſalo.

Se-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Sedulus ipſe premat, tumidas Deus æquoris undas,
Æolus & ventos ſedulus ipſe premat.
Sed premat adverſos, reliquos è carcere mittens,
Ut tacitam lenis provehat aura ratem.
Doris amara ſuos ſtudeat compeſcere fluctus,
Ne tardent curſus, dulcis amice, tuos.
Ipſa etiam gratum crebræ Nereides agmen
Circumdent gyro navis utrumque latus.
Neſée, Proto, Galatéaque, Cymodoceque,
Eulymeneque ſimul, Cymothoëque ſimul.
Atque Amphitrite, atque una formoſa Themiſto,
Et cum Glauconome, Lyſianaſſa comes.
Et numeros fugiens madidarum turba ſororum
Cætera, per fluctus undique læta natent.
Crebrius & feriant iteratis plauſibus undas,
Ut reddant geminos concava ſaxa ſonos.
Adſit & ipſe comes Diva cum matre Palæmon,
Cum Glauco Proteus adſit & ipſe comes.
Cæruleus Triton, reſonat cui buccina cantu,
Præcedens tritas indicet uſque vias.
Sic demum Batavas, ſic intres lætus Athenas,
Quas tua vota petunt, quas tua vela petunt.
Illic Te vultu venientem Phœbus amico
Aſpiciat, gratis annumeretque choris.
Et ſancta monſtret loca religione vetuſta,
Et delubra ſuis vix adeunda Diis.
Donec ubi docta comprenderis omnia mente,
Salvus ad optatos regrediare lares.

O

O quanta illa dies portabit gaudia nobis,
Quo cernent reditum lumina noſtra tuum!
Interea dilecte vale, rebuſque ſecundis
Hæc abſens animo paucula dicta tene.
Sis memor uſque mei, precor, & dum corpore præſens
Eſſe nequis ſaltim mente animoque velis,
Et quoniam ſermone vetamur condere ſoles,
Sæpius ut ſcriptis multa loquare, Vale.

PROPEMPTICUM

Ad Amicum Italiam petentem.

ERgo gementes, optime jam tuos
Amice linques, & parios lares
Albiſque contemnens fluenta
Auſonium Tiberim videbis?
Alpeſne tanti ſcandere frigidas,
Urbemque magni viſere Romuli,
Dilecte tanti num videre
Eſt Italas, ô amice, terras?
Sic ergo noſtræ linquere mœnia
Nunc urbis audes, nec refugum tui
Nunc te morantur, verba quondam
Ne toties, ò Amice nobis
Regeſta temnas? Mors niſi ferrea
Ni tela lethi, nos violaverint,
Non caſus hæc ſejunget ullus
Nec rapiet ſibi vincta corda.

Spes occiderunt. Nos juga ſeparant,
Celſique montes, vaſtaque flumina,
Condiſce quæſo, diſce linguam
Corrigere, heu nimium benignam.
Quid orbis omnes viſimus angulos,
Parvaque pontum quid rapidum trabe
Secamus; & ſecreta mundi
Nemo ſui penetrat minoris.
Cubile Solis qui geminum cupis
Tranſire, duri qui Boreæ plagas
Notumque perluſtrare tendis,
Ne nimium tua vota lauda.
Eſt terra punctum: ſuſpice ſidera
Campumque cœli ſtelliferi vide,
Eſt terra punctum ſupputanti,
Ah miſer in minimo laboras!
Laudata Phœbo quem ſapientia
Æquabat aſtris inclyta, Socrates,
Amans quietis, cautus urbem
Cecropiam minimè reliquit.
Sic dum vigebant aurea ſecula,
Quicunque norat littora proxima
Contentus illis haud ſtudebat
Flumina ſacra videre Gangis
At ſtulta poſtquam regnat opinio,
Aurata poſtquam tempora deſinunt,
Mutatur orbis: nunc probamus
Plurima qui petiere regna.
Mens ergo laudis cœca cupidine
Non ſaxa curat, non rapidas aquas
Moratur: objectamus, omni
Jam caput intrepidum periclo.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Sed increpamus quod minime licet
Mutare nobis. Quin potitus tibi
Nunc fauſta juſti comprecamur,
Heu miſeri fugiente amico.
O vade felix, dulce caput vale,
Quacunque pergis, quaque refers pedem
Fortuna ridens te ſequatur,
Et tua cœpta Deus ſecundet.
Jam nos relinquis: Sed memori tamen
Nos mente ſerva, mox iterum advolans,
Quantum dies ô chare, quantum
Advehet hæc mihi gaudiorum,
Quæ te ſodali, quæ patriæ tuæ
Optate, reddet. Pluribus hanc malis
Et triſtibus lucem diebus
Candidus unio ſeparabit.
O Somne, mœſtis mittere mentibus
Deſideratam qui requiem ſoles,
O ſomne, qui tollis dolores
Et ſimulacra refers amica.
Cum nigra curas nox geminaverit,
Pectus ſopore tange papavere,
O ſomne viſum mitte lætum
Lumina quod mihi nota monſtret,
Frontemque lætam: nec roſeæ genæ
Abſint, & geſtus addat amabiles,
Collumque noſcendis lacertis
Cingat, & hæc ſuperaddat, oro.
Amice junctas non juga ſeparant
Convexa mentes, nec vaga flumina:
Sunt vincla nunquam diſtrahenda
Queis animi religantur ipſi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Agnoſce noti ſingula corporis
Agnoſce membra, & da, bone, da mihi
Exoſculer frontem cupitam,
Atque oculos aperi jacentes.
Hæc dicat ille; Me capiant thoro
Cedente ſomno gaudia dulcia,
Phœbique præmatura culpem
Lumina, præcipitemque noctem.
Donec remittens incolumem Deus
Te reddat Hamburgæ. Interea decus
Valeto noſtrum, ſed valeto
Ter repeto, memor uſque noſtri.

VE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

VENUS MARINA.

Epithalamium
In nuptiis auſpicatiſſimis
Feliciſſimorum ſponſorum Hamburgenſium, ſub nomine
QUINTI. Mercatoris prudentiſſimi, & peritiſſimi,
Et DRUSILIÆ Virginis lectiſſimæ, & caſtiſſimæ.

THALAMUS.
VENERI. MARINÆ.

CUI. SE. NAVIGATURI. COMMENDANT.
QUINTUS ET DRUSILLA.
QUORUM. THALAMUS. MARE. EST.
SED. PLACIDUM. SED. TRANQUILIUM. ET. FOECUNDUM.
NAVIGIUM. PRÆSTAT. CYTHERÆA.
SACRUM. PULCRUM. NOVUM.
CONSTRUIT. HEBE. EXORNAVIT. PALLAS.
CORONANT. CHARITES.
MYRTO. NAUTICA. CYTHERAICA. LITTOREA.
SPONSUS. NAVITA. EST. CUPIDO. NAUCLERUS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

MAGNES. ET. CYNOSURA.
HEIC. ETIAM. ARCANO. NUTU. SIBI. RESPONDENT.
ANIMUS. SPONSI. SPONSÆQUE. CORCULUM.
ADEST. MERCURIUS. QUINTO. PROPITIUS.
PRO. PHARO. EST. CYNTHIA. NOCTILUCA.
PORTUM. ADESSE. NUNCIANS. NAVIGANTIBUS.
DIOSCURI. ETIAM. LUSUS. ET. JOCUS. PROSPERRIMI. AFFULGENT.
NON. OPUS. EST. PER. ITINERUM. AMBAGES. CONSEQUI. QUAS. VOLUMUS. MERCES.
MOX. ONUSTA. ERIT. NAVIS. HÆC. PULCRIS. PRETIOSISSIMISQUE.
QUEIS. TERRA. COELUMQUE. DITESCET.
ITA. PROMITTIT. LUCINA.
FAVET. COELUM. MARE. FAVET. FAVENT. VENTI.
SIGNUM. DAT. HYMENÆUS. ORAM. SOLUIT. CUPIDO. NAVIGATUR.
NAVITA. SECURAM. MODERATUR. IN. ÆQUORE. PUPPIM.
ET. TUTUM. PELAGUS. PRÆSTAT. AMICA. VENUS.
QUISQUIS. ADES. NAUTAM. CELEBRA. VENERISQUE. CARINAM.
FAUSTA. PRECARE. SIMUL. PLURIMA. QUISQUIS. ADES.

VE-

VENUS MARINA.

SParſerat auratam Dea flava rubentibus æthram
Floribus, & croceo fucaverat aëra ſucco,
Matutina ſuos nondum contraxerat ignes
Cynthia, nec toto deceſſerat aurea cœlo:
Cum nova panduntur cupidis ſpectacula terris,
Cœlicolumque cohors vadit,qua permeat Albis
Hamburgam, & trinæ tollunt faſtigia turres.
Inſperata venit Charitum pulcherima turba,
Fronde Dionæa nitidum variata capillum,
Et lemniſcatam calathis sua munera myrtum
Exhibet, & meſſos cœleſti pollice flores
Mox etiam veneris devolvitur aureus axis,
In quo cum fulva ſociantur Balſama myrrha.
Caſiaque, & laurus Parnaſſia culmina ſacras
Donarant, dederaſque Crocon tu, Tmole, rubentem
Lydie: contulerat ſua munera fertilis Henna,
Hybla thymum, addiderant Pæſtana roſaria flores
Sanguineos, violæ prælucet purpura nigræ.
Hic decus Oebalium radiat, Cynereius illic
Floſculus, & pariter rident melilotos & iris,
Candida cum flava præfulgent lilia Caltha.
Non Amaranthus abeſt, nec abeſt Narciſſus, & ecce
Permiſcetur odor Thymbræ cum rore marino.
Atticus hic volucri quicquid producit Hymettus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Mellilegæ, quicquid Cypriis nutritur in hortis,
Viſitur, imprimis tamen omnia germina pingit
In Paphys myrtus florens decerpta viretis.
Flumineis trahitur currus per gramina Cycnis,
Et quatiunt niveæ ſtellantia frena columbæ,
Quas Princeps moderatur Amor. Comitantur euntem
Mille alii, pars ſerta ligat, roſeaſque corollas
Præcipiti delata rota, pars nubila ſulcat,
Et cito cæruleas pennis libratur ad undas.
Ut jaciat varios per limpida flumina flores;
Exacuunt alii nitidas in cote ſagittas,
Et tingunt blando fulgentia tela liquore,
Firmiter incautis ſponſorum hæſura medullis.
Sunt quoq; qui ſtipent pharetris florentia dona,
Suaviter ut nimbum redolentem verſa refundant.
Sunt queis interea faculas incidere curæ,
Frigida quæ tacitis ſuccendant pectora flammis.
Sic varie deſudat amor, qui ludere gaudet
Callidus, & nullos fugiens perferre labores.
Aſpicit hæc viridi recubans pater Albis in ulva,
Gemmea dum teneris prætexit cornua cannis,
Aſpicit, & cupidas trahit ad ſpectacula Nymphas,
Et rogitat Divos, quo florida munera portent,
Quid myrtus velit, & divino pollice frondes
Connexæ, quæ cauſa viæ. Tum talia reddit
Aglaia, ambiquis illudens candida verbis.
Alma Venus patrias puppim deducet in undas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Quam caſtis manibus ſtruxit florentior Hebe,
Ornavit Pallas prudens, & ut omnia fiant,
Noſtra manus meritâ decorabit fronde carinam,
Et parili cinges, Cyllenie, germine nautam.
Navita QUINTUS erit, patriam quî providus urbem
Ditat,& oppoſitum puppes qui mittit in orbem.
Huic alias docili perſuaſit quærere merces
Atque ſuo Cytherea virum ſe credere regno
Juſſit, & optatis opibus ſtipare carinam.
Illi nuda cohors flores decerpſit Amorum.
Queis pelagus ſparget blandum, queis unda virebit,
Jamque colorato procedet navita ponto.
At vos ſi, Nymphæ, cum nauta cernere puppim
Forte juvat, myrto viles mutate coronas,
Et quas cæruleis tegit Alſtria pura fluentis,
Et quas muſcoſo ſervat ſub gurgite Billa,
Najades indigenas udaſque vocate ſorores,
Et pariter feſtum Veneris celebrate Marinæ,
Vos volucer deducet Amor. Sic illa locuta
Hortatur faciles glauco cum flumine natas,
Ocyus ergo volant una, qua ducit in urbem
Semita, nec tardo tendunt ad mænia greſſu.
Jamque loco quo promta ſalo ſtat ſplendida puppis,
Cum puero volucri felix Amathuſia feſto
Conſtitit: alatæ circumſtant undique turmæ.
Jamque ſacra velant myrtorum fronde carinam
Formoſæ Charites, ſimili Cyllenius ales
Arbore felicis prævelat tempora nautæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Mirantur Nymphæ Divos, & lumina QUINTI.
Imprimis tamen imprimis jam cernere puppim
Ornandam gaudent: dum ſpectant ſingula
laudant,
Structuram celebrant aptam, formamque de-
coram.
Vix ſic vix Lybici ſtupuerunt flumina Nili,
Cum viſura ſuum vento proflante Lyeum
Scinderet aurato pontum Venus Afra faſelo,
Serica miranti cum lintea panderet Auſtro,
Candida Sarranis annectens ſuppura velis,
Cum freta pulſaret remorum argenteus ordo,
Junctaque multi-ſono modulatrix tibia ſiſtro
Mulceret placidis lætos delphinas in undis,
Aëraque Eoo complerent Balſama odore
Suavia. Vix adeo mirarum ab imagine rerum
Confuſus, tu Cydne Cilix, cum gurgite lem-
bum
Exciperes puro, atque undas ridere videres,
Et dulci geminas Clareſcere carmine ripas.
Navita jam grati carcheſia libat jacchi,
Expoſcens dextros divos, pelaguſque quietum,
Et cupiens multo curas diſpellere luſu.
Heſperus aurato diffudens lumina vultu
Tempus addeſſe monet, quo fulgida puppis in
undas
Deſcendat, quam pulcra Venus, quam Pronu-
ba Juno
In mare dedunt, unaque impellit Amorum
Læta cohors. Roſeo pontus conſpergitur
imbri,
Et placidæ vernant undæ, clavumque gubernat
Ecce

Ecce Cupido ſuum,ſignum dat clarior Hymen,
Dulciſona recinens hæc nautica carmina
concha.
Prima Venus placido Venus imperat optima
ponto,
Prima undas ſecuit patrias. Nam gurgite poſt-
quam
Spumifero concreta Dea eſt, & candida riſit;
Cœperunt ſubito rabidi miteſcere fluctus,
Et legem didicere pati, conchaque repanda
Prima triumphatas Venus aurea tranſiit undas.
Deſine jam porro Cytheræam ſpernere Pallas,
Inventum laudare tuum jam turgida noli
Amplius, haud celeri pelagus rate prima per-
erras
Velivolum, noſtræ manet hæc nova gloria
divæ.
Invitumque tuis ceſſit conatibus æquor,
Cæruleuſque pater violatas vindicat undas:
Huic mare placatis ſternit ſe fluctibus ultro,
Et gaudet vitreum dominæ ſubmittere dor-
ſum.
Prima venus patrio Venus imperat optima
ponto.
Atque undas adamat gratas, fœcundia regnis
Udis inde venit, numeroſo ſemine piſces·
Augentur. Nempe & cum nato diva ſub undis
Delituit, ſquammis velans cœleſtia membra.
Unde polus paſcit piſces, quos exuit illa
Cum puero, crebris ſtellatos corpora gemmis.
Hic etiam notas Amathuſia diligit undas,
Et thalamus pontum, puppim vult ſponſa fi-
guret,

Navita ſit ſponſus, clavumque Cupido gubernet.
Prima Venus placido Venus imperat optima ponto.
Et mare ſecurum præſtat. Non tubidus Auſter
Hic freta permiſcet, Boreas non erigit æquor,
Non undis decimo ſuperintonat unda tumultu,
Phyſeterve ſalum ſpatioſus gutture anhelo
Expuit in puppes, non lurida Serra minatur,
Non mala Symplegas rorantia territat aſtra,
Neve ratem in cautes ducens ſcopuloſque ſonantes
Scylla rapax trepidas latratu concutit undas,
Aut juxta recubans immani merſa barathro
Evomit ac ſorbet fluctus inſana Charybdis.
Naufraga non Syrtis, non hic piratica claſſis,
Nec miſeros nautas chordis armata ſonoris
Carmine lethifero deludit callida Siren.
Non ideo patulas aures concludere cera
Eſt opus, hic fidis funduntur verba labellis,
Carmina nec lethi aut damni, ſed nuncia vitæ.
Hic Cytheræa ſuas tutus vult naviget undas,
Cui placet innocuo malum committere ponto.
Prima Venus placido Venus imperat optima ponto.
Nec ſatis eſt: puppim quoque præſtat, cedere dudum
Cui fuit Argolicam Pallas confeſſa carinam.
Qua picturatus merito ſplendeſceret æther.
Scilicet hoc cœlo condignum Colchica pinus
Præſtitit, atque ideo cœleſti luce coruſcat,
Quod

Quod magicis technis, quod fraude adjuta puellæ
Auricomum rapuit vellus, natamque parenti
Abſtulit, atque luem miſeris advexit Achivis.
Dignior at quanto ratis hæc lucentibus aſtris,
Quæ cum nobilibus ditarit mercibus orbem,
Non tantum ignifera gemmata niteſcet in æthra,
Sed ſummo æternum felix radiabit Olympo,
Exuperans faciem Phæbes, & lumina Phœbi.
Alma Venus placido Venus imperat optima Ponto.
Illa Dionæam vult ſumat navita frondem,
Illa jubet parili præcingere germine puppim.
Pulcra Venus gaudet myrto, quod littora ponti
Hæc amet, & ſimili ſecum quod prodeat ortu.
Vult hinc felices myrto cingantur amantes,
Atque Cytheriaco radiet ſua turba decore.
Vult myrto frondeſcat ovans, quod germine vincta
Hoc tulit auratum Divis prælata metallum.
Hinc merito Paphiis umbratur navita ramis,
Qui pontum ingreditur, Venerique obtemperat, atque
Mercibus advectis facie procedit ovantis.
Alma Venus placido Venus imperat optima ponto.
Inſuetoque mari ne navita latius erret,
Ipſa gubernaclo doctum præfecit Amorem;
Qui QUINTUM doceat qua clavum dirigat arte.
Deſine diſcipulum Typhin celebrare Minerva

Flava tuum: melius puppim regit ecce Cupido,
Dædala quem docuit genitrix, nunc doctior ille
Inſtituit nautam. Piſcem ſic callidus olim
Informabat amor. Nam candida carbaſa pandit
Hoc doctore noto, pro remis brachia tollens
Pompilus, & gaudet nativa ludere puppi
In pelago, & magnas præcedens ducere naves.
Prima Venus placido Venus imperat optima ponto.
Somne tuos fruſtra tentas inſpergere flores:
Somne ſoporiferum non hic diffundere virus
Expedit. Haud clavum Palinurus dirigit illum
Nunc cautus moderatur Amor. Si Juppiter audet
Spernere Lethæo madidantia germina rore,
Providus ille puer potius tua gramina ternnit,
Cum Jove qui pontum & ſqualentia tartara vincit.
Ocyus hinc procul hinc trepidantibus effuge pennis.
Atra ſoporato medicata papavera ſucco
Tollit, & Aſſyrio Charis optima mutat amomo.
Et Paphiam Stacten jungit. Tua ſeſama ridet,
Ridét, & halantèm ſuperinjicit optima myrtum
Cryſtalluſque nitens opobalſama grata refundit.
Saucia quæ ſacræ ſtillarunt germina virgæ,
Sed Paphia violata manu. Venus optima cultrum
Strinxit, & excepit manantes Gratia guttas:
Uberius ſacro diſruptus vulnere cortex

Necta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Nectareum emiſit ſuccum, dedit optima nato
Mater, & hoc tumido ſudum facit aëra ponto,
Dixit, & huic ſomni cedunt effuſa venena.
Jamque Venus, ſtimulis te pulſatura roſarum
Advolat, & volucrem trahit ad ſua claſſica turbam.
Ocyus hinc procul hinc nigrantibus effuge pennis.
Prima Venus patrio Venus imperat optima ponto.
In vaſto errantes Helice regat æquore Grajos,
Et te Sidoniæ obſervent, Cynoſura, carinæ.
Non opus ad veſtras ſponſis attendere luces.
Hic amor obſervat miræ myſteria gemmæ,
Arcano conſtans nutu quæ reſpicit Arcton.
Jam lapidis veſtri ceſſate inquirere vires,
Quos juvat abſtruſas rerum cognoſcere cauſſas,
Scrutari nolite Arctoum vergat ad axem
Num lapis, an potius fallens declinet ad Auſtrum,
Num ſcopulus gelida poſitus cognatus in Arcto
Maximus agnatum poſcat ſua ſemina ſaxum,
An Polus, an Cynoſura altè qua fulgurat ignis
Virtute arcana trahat ad ſublimia gemmam.
Diverſus lapis hic, diverſaque fulgurat Arctos.
Pandite queis ſacros aperit Natura receſſus,
In thalamo magnes cur ſe convertat in altum,
Quæ vis corda trahat, quis jungat pectora nexus?
Prima Venus placido Venus imperat optima ponto.
Huc ades, & nitidæ ſtudium jam linque palæſtræ, Sive

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Sive palæſtra placet potius, tamen ocyus adſis.
Omnia fingit amor, varias ſimulare figuras
Gaudet, & optatis mentes illudere formis.
Cogitur hoc mandante aliud ſivi pingere corpus
Juppiter, & trifidi flammas deponere teli.
Nunc fluitat rutilum faculis liquefactus in aurum,
Virginis arcano ditans penetralia nimbo:
Capripedis Satyri nunc fallit imagine tectus,
Ardua lunato prætendens cornua vultu.
Fit formoſus olor, niveo fit corpore Taurus,
Ocyus, & tortum gaudet ſimulare Chelydrum,
Et latitans aquilâ liquidas volitare per auras.
Cum compellit amor, cum mandat maxima Cypris.
Hic etiam diverſa tibi pandetur imago.
Si mavis, fixæ ſi ſtat ſententia menti.
Atque palæſtritæ ſumet cito navita formam,
Et faciem ſiccæ mox pontus habebit arenæ.
Prima Venus placido Venus imperat optima ponto.
Cynthia flammantes prælucet candida tædas,
Proque Pharo radiat. celebrent Marëotida gentem
Lumina noctivagæ quæ ſuſtulit æmula Lunæ
Structa Pharos Pario quondam nitidiſſima ſaxo:
Hæ nautis placeant faculæ, quos jactat in undis
Neptunus: nobis potior nunc fulgida Phœbe
Splendeat, optatum monſtrans pulcherrima portum,
Cujus in hoc etiam præpollent æquore vires.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

O Dea quæ furvas diſpellis clara tenebras,
Exere pulchricomum melius jubar, exere vultus
Virgineos, mœſta triſtentur ſidera luce
Indignata tegi, nec jam ſua cornua taurus
Tollat, & Orion dextram miretur inermem.
Prima Venus placido Venus imperat optima ponto.
Quid juvat externis homines conſiſtere terris,
Et fragilem infidis committere fluctibus alnum,
Quid pinum natitare jubere, & findere lymphas?
Quæ vitam tenui eſt inſania credere ligno,
Ut tempeſtates metuant, rapidaſque procellas,
Et ſummis adverſa notent inſtare ceruchis
Sidera, ſollicitumque mari confundere cœlum?
Quis furor, ô miſeri, Boreum tranſcendere gyrum,
Squalidior canis ubi cantibus incubat Horror,
Ignarumque tegunt glacialia marmora pontum.
Quaque informe Chaos depreſſo Hyperione puro
Panditur, & nautas trepidos nox atra repellit.
Quorſum flammivomum maleſani viſimus Heclam,
Triſtis ubi dominatur hyems, maneſque queruntur,
Et quid ſperati ſuperamus culmina montis,
Linquentes tecti frontem poſt tergora Nili?
Quid prodeſt ſacri Gangis tranare fluenta,
Externoque fretum pacatum ſtringere remo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Ex quo rorales haurit Dea Lutea lymphas,
Queis avidam perfundit humum, qua lucidus
exit
Phoſphorus, igniferoſque agitans tu Phœbe
caballos,
Et cum candenti conſurgunt ſidera luna?
Cur etiam antiquis ignotum quærimus orbem
Efferus humanas ubi devorat incola carnes,
Atque parens nati pingueſcit corpore, ventrem
Nec timet infandum dapibus ſcelerare pro-
fanis,
Dira Thyeſtææ recoquens ſibi fercula menſæ?
O valeant tantis bona non bene parta periclis,
Non opus eſt ſpatiis pelagus proſcindere longis,
Et variis terris, varioque aſſueſcere cœlo,
Et noctes multis inſomnes ducere curis,
Perpetuiſque malis, lethique timoribus angi,
Diſcite mortales vitare pericula vitæ:
En docet alma Venus pretioſas ſumere merces
In patria, & pulcris opibus ſtipare carinas.
In Thalamo magni poſuit compendia mundi
Alma Venus: lymphas faciles, fluctuſque qui-
etos
Hic ſtravit, tutaſque vias, vacuaſque periclis,
Eſſe dedit, certoſque notantia ſidera portus.
Et merces pulchras promiſit, & annua lucra,
Queis cedunt longe quæ feſſus navita portat,
Deſerit exuſtos nimio cum Sole Penates,
Et patrias velis & votis reppetit oras,
Omniaque optatis expandens lintea ventis
Pervigili ſtudio perituras excipit auras.
Prima Venus patrio, Venus imperat optima
ponto.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

O pulcras merces, o dulcia gaudia nautæ!
Merces queis tellus, merces queis ſidera gaudent.
Mittant diverſæ & confundant munera terræ
Plurima, non noſtras æquabunt omnia gazas.
Mittat Banda nuces, mittat ſua Cinnama Ceilon,
Serica det Perſis, niveas Armuzia baccas,
Candida cum moſcho dimittant vaſcula Sinæ.
Et locuplete manu gemmas offundat & aurum
Indus, eburque ferat, rubicundaque munera cocci,
Et tepidas hyemi mittat Moſcovia pelles,
Fuſcaque melliferis det dulcia ſaccara cannis
Braſilia, & Tyrium fundentia ligna colorem.
Proferat optatum Guinea peruſta metallum:
Palladios latices, & ſuccum mitis jacchi
Conferat, auratos addens Hiſpania fructus.
Velleris attonſi & pretioſæ ſtamina lanæ
Præſtet cæruleo pulſata Britannia ponto.
Et gignat frigens Spitzberga immania cete.
Quid variæ merces cumulataque munera proſunt?
Omnibus his tellus tantum diteſcit: Olympus
Muneribus creſcit noſtris, & regia cœli.
Alma Venus placido Venus imperat optima ponto.
Dicite felices, Veneris ſe credere regno
Queis datur, & cœlo dignas adducere gazas,
Dicite veſanam turbam, quæ gaudia noſtra
Odit, & optato non vult applaudere nautæ,
Horidus hunc vectet pallenti navita cymba

Qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Qui cœlo merces dignas, & gaudia terræ
Invidet, & Veneris pelagus tranare recuſat.
Dicite tranquillo procedat nauta profundo,
Semper, & ipſa ſuæ faveat Venus optima puppi,
Atque Dioſcuri niteant luſuſque jocuſque
Et nautis ignes & mercatoribus æqui,
Nunc etiam vobis oriantur amantibus æqui
Idalium fauſto curſu dum finditis altum.
Sic vobis merces veniant, fructuſque petiti,
Veſtraque fortunata domus diteſcat amando,
Dum zephyri molles flant, & tractabilis aër
Dum placidos ſpondet fluctus, pelaguſque quietum,
Blandaque ſecuro Venus imperat optima Ponto.

PRI-

PRIMITIÆ POETICÆ DEO TER OPTIMO MAXIMO SACRÆ.

SIVE

DECAS PSAMORUM DAVIDIS

Inter prima Schediaſmata à multum adhuc puero metro comprehenſorum.

PSALMUS V.

Verba mea auribus percipe, Domine:

1. TAndem, ſumme Pater, Conditor omnium,
Omnes imperio qui ſtabili regis,
2. Audi ſæpe vocantis
Attentus miſeri preces.
3. Noſtræ namque preces Te, Pater, unicum
4. Spectant. Te rogito, cum modo lucidum
Profert Cynthius orbem
Conſuetos reditus parans.
5. Tu vero facilis me, Deus, audies,
Attentuſque meas accipies preces:
6. Nam Tu perdis iniquos
Injuſtoſque odiis premis.

7. Aucto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

7. Auctores ſcelerum quippe, Deus bone,
Injuſtique penes Te minime manent,
Mendaceſque maligni
Juſtis ſuppliciis cadunt.
8. Verum fretus ego Te facili Deo,
Mox intrabo Tuam, Summe Pater, domum,
Orans ac Tibi vota
Puro pectore nuncupans.
9. Sanctam juſtitiam des Helicen mihi
Quæſo, Summe Parens, & via me Tua
Ducat contra meorum
Immenſum numerum hoſtium.
10. Deêſt namque omnibus his candida veritas,
Et virtus penes hos exulat integra:
Turgentque ima repleta
Tetris viſcera fraudibus.
Tum rictus avidi ceu tumuli patent,
Incautoſque vorant, falſiloquis mera
Dum mendacia linquis
Nectunt, ut capiant probos.
11. Hos tandem, ô Deus, in judicium voca,
Et juſte pereant atque cadant fine:
Omnes namque rebelles
Pugnant, Summe Deus, Tibi.
17. Felices animæ; quos merito manent
Conſtanterque beant gaudia, dum probos
Tutatur Deus idem
Qui conturbat & impios.
18. Nomen lætificum quiſquis amat Dei
Ponat mœſtitiam. Gratia enim Dei
Et defendit, & ornat
Cunctos ceu clypeus probos.

PSAL-

PSALMUS VI.

Domine ne in furore tuo arguas me :

1. NE me, Summe Deus, corripias furens,
Aut irâ miſerum percitus arguas:
2. Conſervet potius me tua gratia
Infirmum ac fragilem precor.
Ægroto medicam porrige dexteram,
Magno namque tremunt oſſa metu mea
3. Conſternata nimis, fractaque mens jacet
Succumbens gravibus malis.
4. Ah nectis nimias mî miſero moras,
5. Tandem Te facilem redde mihi, precor,
Et tandem miſerens eripe me, Deus,
Tantis anxietatibus.
6. Vivet namque Tui quis memor obſecro,
Fauces Tænarias qui ſemel attigit;
In lethi tenebris, in tumuli ſpecu
Quis laudes cecinit Tuas?
7. Exangues lacrumis aſſiduis genæ
Horrent, perque diem plangitur integrum,
Et nox umbriferum cum caput extulit,
Stratum fletibus irrigo.
8. Sic vivus pereo, ac intereo videns,
Et mens ſollicitis plena doloribus
Turbatur, facies macrior indies
Luctu conſenuit mero.
9. Tandem hinc ite procul, linquite me mali
Reſpexit lacrumas Omnipotens meas,
10. Motuſque aſſiduis queſtibus eſt meis,
Audivitque humilis preces.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

11. Jam tandem ergo malis ora notet pudor,
Et terror veniat panicus hoſtibus:
Ut greſſum referant, & trepident metu,
Et letho ſubito cadant.

PSALMUS VII.

Domine, Deus meus, in te ſperavi:

2. SUmme Parens, Mundi non enarrabile Numen,
In te ſpes mea tota recumbit.
Tu perdes hoſteſque meos, atque impia corda,
Quæ ſine fine malum mihi quærunt.
3. Ne ſubito miſerum me poſſint perdere letho,
Ceu quam corripit ore fremente
Marmaricus prædam leo, cum per ovilia plena
Eſuriens hinc errat & inde,
Et laniat pecus, & laniatos devorat artus,
Ni defendat ovilia cuſtos.
4. Summe Parens, Rectorque poli, num talia feci?
Si ſcelus hoc mea dextra peregit
5. Impia, ſive malum de me nil tale merenti
Sæva dedit, ſeu perdidit illum
Cui numquam læſus mihi ſuccenſebat acerbe,
6. Corripiat licet hoſtis inultam
Hanc animam, ſubitoque truci me morſe peremptum

Tar-

Tartareum detrudat in Orcum,
Atque domum cœci me cogat viſere Ditis,
Et mea gloria tranſeat omnis.
7. At nunc ſurge, Deus, nunc hoſtis frange furorem,
Et propera mihi reddere munus
8. Mandatum, ut rurſum populus te lætus adoret,
Ac Tua feſta frequentet, ut ante.
9. Omnia tu ſuprema vides, Tu perſpicis ima,
Pro meritis Tu præmia reddis.
Atque ſimul pœnas imponis ſontibus æquas,
10. Ergo mihi quoque præmia redde,
Judiciumque tuum meritis metire meiſque
Factis, atque retunde malignos.
Nam Tu, Summe Deus, mortalia pectora noſti,
Et vel renes inſpicis imos,
11. Te penes auxilium noſtrum eſt, meritumque brabejum:
Tu miſeros non deſeris æquos.
12. Terribilis Domini injuſtis minitantis imago eſt.
13. Si quis ei parere recuſet,
In promptu eſt ferrum, quod cuſpide fulget acutâ,
Quo perimat mox ipſe rebelles,
14. Quin etiam flectens adducto cornua nervo,
Cum juſta ferus æſtuat irâ,
Spicula mortiferum promit facientia vulnus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Et mala pectora ſauciat ictu,
15. Quo pateant fraudes, quas intima viſcera condunt.
16. Ecce dolos homo parturit ille,
Eventum ſed juſta dolis fortuna negabit.
17. En foveam modo fodit, ut illam
Impleat ipſius juſtiſſima ſarcina corpus.
Nempe lapis ceu jactus in altum
In caput auctoris, ſic & ſcelus omne redundat.
18. Aſt ego grates, Æque Redemptor,
Æternas, laudeſque paro Tibi dicere longas,
Dum mihi mens & vita manebit.

PSALMUS XXIV.

Domini eſt terra, &c.

1. TElluris univerſi,
Et quidquid eſt in illa,
Et orbis univerſi,
Et quidquid eſt in illo,
Dominum Deum vocate.
2. Nam ſolus ille totum
Superincubans aquarum
Vaſtiſſimis fluentis
Fundavit univerſum;
3. Juſſitque ferre montes,
Et montium ſacrorum
Sacerrimum Sionem,
Vero Deo dicatum.
Quis ſcandet ergo ſanctum

Sancto-

Sanctoque quis ſedebis
Tibique dedicato
Sionis hocce monte?
4. A cæde nempe dextram
Qui ſervat innocentem,
Qui corda labe grandi
Contaminata nulla
Precibus fideque purgat:
Nec multa mentiendo
Qui pejeravit umquam.
5. Beatus ille ſemper
Manebit, illiuſque
Deus dator ſalutis
Miſerebitur potenter.
6. Hæc illa nempe gens eſt,
Deus alme, gens beata,
Quærentium ſalutem,
Quærentiumque Numen,
Et Numinis colendum
Ac ſemper Iſraëli
Cum poſteris benignum
Lætabilemque vultum.
7. Huic Iſraëlis ergo
Vos Principes potentes,
Cupidique vos ſalutis
Pii bonique cuncti,
Aperite jam patentes
Et ampliate portas,
Animi ſimulque mundi
Aperite jam patentes
Et elevate portas,
Ut glorioſus ille

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Ut Rex honoris intret.
8. Quis ille glorioſus,
Quis ille Rex honoris?
Dominus Deus, potenter
Qui regnat univerſo,
Dominus deus potenter
Qui prælìatur Heros.
9. Aperite jam patentes
Et ampliate portas,
Animi, ſimulque mundi
Aperite jam patentes
Et Elevate portas:
Ut glorioſus ille
Ut Rex honoris intret.
10. Quis ille glorioſus,
Quis ille Rex honoris?
Virtutis ille ſummæ
Dominus potentiæque,
Zebaoth, Deusque verus:
Hic ille glorioſus
Hic ille Rex honoris.

PSALMUS XXXII.

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &c.

1. O Terque quaterque beatos,
Queis crimina cuncta remittit,
Paccataque turpia velat
Magni Deus arbiter orbis.
2. O terque quaterque beatos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Queis nil Deus imputat, atque
Animis & pectore quorum
Dolus exulat omnis, & aſtus.
3. Mihi vero, ſubdolus olim
Mea dum volo furta latere,
Ferienti vocibus aſtra
Senuerunt oſſa dolore.
4. Nam nocte dieque viciſſim
Tua me fera dextera preſſum
Tenuabat, ſole perenni
Veluti ſiccantur ariſtæ.
5. Igitur confeſſus iniqua
Fruſtraque abſcondita facta,
Mea ſum, faſſoque benignè
Dominus delicta remiſit.
6. Hanc, juſte Deus, bonitatem
Poſthac pius omnis adoret,
Veneranſque in tempore, numquam
Mala ſentiet ultima mundi.
7. Ubi me tetigere pericla,
Tu ſolus & unicus adſis
Vindex, ut ab hoſte triumphem
Hilaris, Pæanaque cantem.
8 Faciam, fers, Alme Redemptor,
Animoque & viribus auctum
Mea quà ſe ſemita pandit
Proprio te lumine ducam.
9. Mulæ ſine mente furentis
Modo ne ſis inſtar, equive
Qui ferre lupata recuſat,
Niſi vi plagiſque coactus.
10. Nam verbera plurima tales

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Imitantes bruta manebunt,
Ubi me ſpe concipitentes
Mea gratia certa fovebit.
11. Igitur vos pectore puro
Qui juſta probatis & æqua,
Hilares, animoque ſereno
Dominum celebrate benignum.

PSALMUS XXXVIII.

Domine, ne in furore tuo arguas me : &c.

1. Moderator & arbiter orbis
Deus, hoc Te deprecor unum,
2. Calidâ ne fervidus irâ
Des in mea crimina pœnas.
3. Nam nunc quoque tela miſello
Trepidum ſtringentia pectus
Tua ſunt defixa, premitque
Tua dextera ſæva gementem.
4. Nullam mea fracta ſalutem
Retinet caro, dum minitaris:
Neque pax manet oſſibus ulla,
Ita me mea crimina terrent.
5. Mea crimina, quæ mihi totum
Caput alta mole ſuperſtant,
Et ab omni parte gravato
Onus impoſuere moleſtum.
6. Nam quæ ſolidaverat olim
Mea vulnera ducta cicatrix,
Serum nunc putida rumpens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Saniem male fœtida fundit.
7. Miſer & ſine viribus, ægrè
Mediotenus erigo corpus,
8. Triſtiſque maceſcere lumbos
Tenui cum corpore cerno.
9. Quantum miſerabilis, & quam
Morbo maciatus acerbo
Suſpicia ſeria laſſo
Gemituſque è pectore fundo!
10. Qui pectora noſtra creaſti,
Et pectora noſtra gubernas,
Noſti mea vota, nec umquam
Mea Te ſuſpiria fallunt.
11. Mihi pectus & oſſa liqueſcunt,
Animi vis tota labaſcit,
Oculis quoque luminis uſus
Obſcurior occidit omnis.
12. Qui me comitantur amici,
Noti, aut mihi ſanguine juncti,
Viden? ut ſtent eminus omnes,
Mea quo contagia vitent.
13. At gens inimica malignas
Etiamnum injuria fraudes
Mihi nectit, & omnia tentat,
Si quâ detur arte nocere.
14. Ego vero fracta dolore
Preſſi miſerabilis o ra,
15. Similiſque per omnia muto
Nihil illis uſque regeſſi:
16. Sed Te, Deus alme, fideli
Animo veneratus, & ore
Humilem contemnere vocem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Ne nunc velis, oro, precorque,
17. Ne ſi mea vota preceſque
Des ferre volucribus auris,
Inimica Tibique mihique
Secum fera turba triumphet.
Nam ſi modo debilis ultra
Tantillum ego forte vacillem,
Aderit mala turba, meiſque
Acuet ſua jubila damnis.
18. Quid enim ſuperare dolorum
Miſero mihi fas erit ultra,
Qui natus ad omnia dura,
Crucior relevamine nullo.
19. Fateor, me cuncta mereri
Quæ perfero, pluraque longe,
Si crimina ſingula faſſi
Rigidus punire labores.
20. Dum quæ Tibi turba mihique
Odium nil tale merenti
21. Conſervat, & impia juſtos.
Vexat, ſine limite creſcit.
22. Ne deſere me, Deus alme,
Ne me, Deus alme, relinque:
23. Sed ſerius auxiliator
Miſero mihi redde ſalutem.

PSALMUS LI.

Miſerere mei Deus, &c.

3. MIſerere mei, miſerere
Deus alme, benigne Creator,
Solitâ Tibi pro bonitate Mi-

Miſerere mei, miſerere.
4. Scelerum, precor, ablue ſordes,
Peccataque turpia dele,
5. Quæ plurima (proh dolor!) in me
Agnoſco, nimiſque tremiſco.
6. Tibi, Rex ô maxime rerum,
Tibi vere injurius uni,
Juſtas, neque jure notandas
Me judice debeo pœnas.
7. Nec enim me labe carentem
Matrem peperiſſe putabo,
Quæ ſordibus ipſa gravatâ
Miſerum conceperat alvo.
8. Sed Tu, Pater optime, veræ
Bonitatis amator, & auctor,
Mihi ne quid neſcius eſſem
Dederas myſteria Verbi.
Verbi, ſine quo neque mundo,
Mihi nec noteſcere poſſet
Tua magna, & ſancta voluntas,
Dederas myſteria noſſe.
9. Hujus, Pater optime, Verbi
Violati labe gravatum
Tua nunc me gratia purget;
Hyſſopus ut omnia mundat.
10. Sic me nive candidiorem
Tua nuncia læta reviſant,
Et libera criminis oſſa
Recreent imaſque medullas.
11. Oculis ne crimina noſtra
Enormia reſpice fixis:
Maculas ſed mentis iniquas

Aver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Averſus, & elue ſordes.
12. Purum & ſine crimine pectus
Iterum mihi finge, Creator,
Tum pectore firmus in illo
Renovetur ſpiritus opto.
13. Præſens Tua magna benigni
Maneat mihi gratia vultus,
Neque pectora ſanctus & inſons
Mihi ſpiritus ima relinquat.
14. Poſt tot, Deus alme, dolores,
Gemituſque è corde profuſos,
Solatia ſpiritus alma
Tuus oſſibus inferat imis.
15. Sic devius ipſe viator,
Ubi ſemita vera reperta
Fuerit mihi rurſus, eandem
Alios ſervare docebo.
16. Modo Tu, Deus alme, petenti
Lethalia crimina deme,
Ut te ſimilis mihi turba
Peccantibus audiat æquum.
17. Nam ſi mea crimina tollis,
Linguam reſerabis, & ora
Mihi, quo tua facta per orbem
Celebrem laudeſque recantem.
18. Nec enim Te victima tantum
Holocauſtaque pinguia placant:
Alias te victima pinguis
Holocauſtaque larga manerent.
19. Sed quæ Tibi victima vera
Holocauſtaque digna probantur,
Sunt anxia ſe tibi corda

Hu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Humili ſternentia cultu.
20. Non hæc Deus optime, temnes,
Sed grata, benigne, fovebis.
Igitur miſerere Sionis
Solymæ miſerere labantis,
21. Quæ te, Pater optime, ſupplex
Rogat, ac holocauſta miſerto
Feret, & te mentibus æquis;
Vitulis venerabitur aras.

PSALMUS CII.

Domine exaudi orationem meam, &c.

2. DEus alto è culmine cœli,
Humilem qui reſpicis orbem,
Miſerum ne ſperne clientem,
Sed ſuſcipe vota precantis.
3. Faciem ne corde benignam,
Quotiens ego rebus in arctis
Voco: ſed cum mœſtus anhelo,
Facilem da protinus aurem.
4. Ceu nebula nempe per auras
Fugiens vaneſcit eundo;
Sic & mea vita volante
Periit velocior aurâ.
Ceu fervidus ignis adurit
Rapidæ nutrimina flammæ:
Mihi ſic dolor oſſa comedit,
Medias & in oſſe medullas.
5. Ceu gramina Sole peruſta
Nimio, mox languida marcent:
Sic aruit & mihi corpus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Nutrimina cuncta recuſans.
6. Coaleſcunt arida nempe
Cum pellibus oſſa gementi,
7. Et ſolus oberro, cuculus
Loca ceu volat avia luſtrans.
8. Claram quoque ſæpe peroſus
Fugio ceu noctua lucem,
Inſomnis & exigo noctem
Vigilacis paſſeris inſtar.
9. Accedit ad hæc mala ſævus
Inimicus, & imputat illa,
Et quos nimis improbus odit;
Similes mihi reddier optat.
10. Mihi nunc cineres lacrumæque
Cereremque & pocula fœdant,
11. Dum me male ſede locatum
Humili Deus ejicit altâ.
12. Mea vita volatilis umbræ
Evanuit inſtar, & ecce
Ceu marcet inutile fœnum,
Ita me vis deſerit omnis.
13. At Tu, memorabile Numen,
Per ſecula cuncta manebis,
Dum nos ſubitanea cunctos
Perimant, diverſaque fata.
14. Saltim miſerere Sionis,
Miſerere, en tempus, en, adſtat:
15. Et jam pia turba tuorum
Operi cupit addere dextras.
16. Sic Te, Venerabile Numen
Populi, genteſque timebunt,
17. Cumulos & honoribus addet

Urbs alta renata Sionis.
18. Semper pia vota, preceſque
Deus æquis auribus hauſit:
19. Memori quod codice ſignent
Merito, repetantque nepotes.
20. Superâ nam ſede repoſtus
Terram Deus inſpicit imam,
21. Miſeriſque adſiſtit, & audit
Pueros, viduaſque querentes.
22. Sic audiat ille Sionem
Facilis, Solymamque precantem,
23. Quæ Regibus aucta propinquis
Dominum rediviva vocabit.
24. Equidem mihi, dum voco ſupplex
Vigor omnis deſerit artus,
Vitamque brevemque malamque
Properata finio morte.
25. Dum mors tamen illa propinquat,
Dominum prece flectere nitar.
Ne me ſine, Summe Creator,
Mediâ ſuccumbere vitâ.
26. Tu maxime nempe Creator,
Terramque polumque novari
Ceu pallia trita togaſque
27. Voluiſti veſte recenti.
Hinc interit omne quod extat]
Terraque, poloque creatum:
28. At Tu, Venerande Creator,
Remanes, ſemperque manebis.
29. Tecum pia vota tuorum
Natique, bonique nepotes,
Mala poſt terrena renati
In ſecula poſthuma vivent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

PSALMUS CXXX.

De profundis clamavi, &c.

1. CUrarum animique dolorum
Agitatus & obrutus æſtu,
2. Voco: Tu clamantis ab imo
Clemens Deus accipe vocem.
3. Si, quod modo deprecor unum,
Stat crimina noſtra notare:
Quis erit, Deus optime, tecum
Rigido qui judice certet?
4. Tu vero miſertus, inemptam
Veniam largiris, & offers,
Ut Te merito veneremur,
Tua juſſaque ſancta colamus.
5. Stat ſpes mea fixa fideſque
Domini tutiſſima verbis
6. Neque me cum ſole relinquet,
Media neque nocte recedet.
7. Maneat ſpes illa fideſque
Populo, neque deſeret illum
8. Dominus, ſed certa manebit
Nec vana redemptio juſtos.

PSALMUS CIII.

Benedic anima mea Domino, &c.

1. LAudet mens mea Numen univerſi,
Et nomen Domini canat regentis.
2. Lauda mens mea Numen univerſi,
Et collata tibi memor recenſens,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Illius benefacta grata pande.
3. Clemens namque Deus tui miſertus,
Magnorum tibi criminum remiſit
Ingentem numerum, tuique morbi
Non parvum tibi præſtitit levamem:
4. Vitam à morte gravi, caputque tutum
Divina tibi gratiâ coronat,
5. Largus munera tale nil merenti
Indulgens, aquilæque dans juventam.
6. Hunc, o Mens, Dominum Deumque lauda.
Inſontes juvat æquus ille preſſos,
7. Hic præcepta dedit ferenda Moſi
Ne ſanctiſſima jura quem laterent.
8. Hic lenis faciliſque pœnitentes
Exaudit meliora pollicentes,
9. Nec longa nimiave terret irâ.
10. Nec pœnas quoque debitas nocentum
Metitur ſcelerum modo: ſed aſtra
11. Quantum lucida celſiora terris
Se tollunt, bonitas ſacrata tantum
Summi Numinis eſt ſuper timentes.
12. Ergo crimina noſtra ſunt remota
Quantum diſſidet occidens ab ortu.
13. Ut natos juveniliter furentes
Parvis ſuppliciis pater miſertus
Ætatis teneræ ferit, ſed inde
Placatus lacruma benignus una:
Sic mundi dominus Deuſque parcè
Caſtigat petulantiam ſuorum,
Ut rurſus levet & juvet petentes.
14. Novit nempe luto miſella ficta

Olim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Olim corpora pulueris tenere
15. Primi relliquias, dieſque noſtros
Tranſire, & volucrem perire vitam
Nobiſum, velut interire gramen
Siccum, floſque ſolet tenellus æſtu
16. Læſus, vel Boreâ nimis rigendi,
Qui campo vacuum locum relinquit.
17. Verùm gratia Numinis ſupremi
Æternum manet, & fovet timentes,
18. Cultoreſque Dei, pioſque natos
Illorum beat, & beat nepotes.
19. Cœli culmina celſus ille ſedem
Elegit Dominus ſibi, & potenti
Subjectum imperio gubernat orbem.
20. Huic ergo Domino Deoque mecum
Laudes Angelicæ parate turmæ;
Vos virtute ſua potentiâque
Adjutos Deus eminentiores
Nobis, ſed famulos tamen creavit,
Ut plene ſua juſſa colligentes
Noſtro nuncia perferatis orbi.
21. Huic & Vos Domino Deoque mecum
Laudes accumulate, queis beati
Tales nuncia perferunt miniſtri:
Et queis ſancta Dei patet voluntas,
Et queis magna Dei placet voluntas.
22. Hunc tandem Dominum Deumque mecum
Laudent omnia quæ creavit ipſe,
Latè qua patet orbis univerſus,
Laudet mens mea Numen univerſi.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

SYLVÆ,

SIVE

CARMINUM PUERILIUM ET JUVENILIUM

LIBER III.

VINCENTII PLACCII
HAMBURGENSIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

NOBILISSIMO EX-CELLENTISSIMO ET EXPERIEN-TISSIMO

D. MICHAELI KIRSTENIO,

Philoſophiæ & Medicinæ Do-ctori, Phyſices ac Poëtices Profeſſori Publico.

Domino & Patrono meo ſummo

S. P. D.

PRimitiarum , Vir Clariſſime , & Excellentiſſime , hoc fatum eſſe ſolet , ut numquam ferè apud cultores ſuos permaneant , ſed vel Diis , vel cognatis , aut amicis cedant. Idem meis hiſce Poëticis nunc contigit , quæ alias Jure tuo meritoque , cum iis quæ nunc ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

exhibeo una ad Te erant ituræ: quippe cujus ſedulæ olim atque fideli culturæ, hoc quidquid eſt è ſtudiis meis fructuum, acceptum omne refero. Vereor equidem ne ſterili nimis fundo operam tuam atque culturam adhibuiſſe videaris, ſi ex hiſce proventibus poëticis, de reliquâ etiam ingenioli mei feracitate judicium fieri patiar. Quod adeo neſcio an vel tuum hac in parte eſſe velim. Non quod parcius eo nunc atque olim utendum mihi exiſtimem: Neque enim vel Apollinis lubentius adhibeam Tuo illo, quo olim, cum penè adhuc puer optimo meo fato tibi me applicuiſſem, præ meo & quovis alio non infeliciter neque ad pœnitentiam ſum uſus. Sed eſt cur hac in cauſſa non immerito te metuam: quippe quem non lateat, quam ſoleas nimis modeſte plerumque de iis quæ ad te pertinent ſertire. Jam autem ea quæ hic vides, nullo non Jure tua ſunt. Utpote Tuis auſpiciis olim conſcripta, & nunc quoque neſcio an recte ſatis, in publicum emiſſa. Cujus imo ſi quid in iis boni ſit, & laude ſua non omnino indignum, id omne KIRSTENIANUM *eſſe neminem, qui poſt doctiſſima Tua Poëmata meis hiſce verſiculis lectionem adhibere ſuſtineat latere poſſe exiſtimo. Atque utinam tantum illud eſſet, quantum vellem, jam confidentiore animo immortalitatis Parnaſſiæ Lauream mihi promitterem imo ſponderem. Sed noſti quam ſoleant multa plerumque labe etiam optimi artificum ab archetypo decidere. Mihi vero illud eo minus fuit evitabile,*

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

quo præſtantius mihi atque artificioſius exemplar imitandum propoſueram. Quare quid mirum ſi Te in infeliciſſimum Tui imitatorem digna ſententiâ animadverſurum ſubvereor? Quod ſi tamen ſepoſita omni hac conſideratione, tamquam alienum aliquod alienæ induſtriæ monumentum haſce meas lucubrationes pernoſcere velis: nemo mortalium eſt, cujus cenſuram præ tua ſubire malim. Quippe cujus & æquitatem, & humanitatem jam olim multis ac magnis experimentis compertam habeo: & intelligentiam in hoc ſtudiorum genere atque peritiam, nulli hujus ſeculi eruditorum adæquatam, nedum ſuperatam, uti olim credidi; ita nunc confectis peregrinationibus meis verè cognoſco. Sin autem & hac ratione caſtigationem temeritatis meæ aliquam adhuc promeruiſſe videbor: habes ſanè quibus iſta mea ex manibus illorum quibus inutiliter teri fortaſſis poterant, uno ictu excutias. Elegantiſſima nimirum & doctiſſima tua omnis generis Poëmata, quæ ſparſim hactenus viſa, omnes Muſarum amœniorum cultores, veræque elegantiæ atque doctrinæ æſtimatores conjunctim recuſa poſſidere avidiſſimo deſiderio, & expectatione incredibili, ac aſſiduis votis exoptant. Et ſanè quemadmodum non potes leviorem, ne dicam ſuaviorem mihi audaciæ meæ pœnam infligere: ita non potes, meâ ſententiâ, honeſte tot delicata & ſtudioſiſſima Tui ingenia tam vana & diuturna ſpe diutius lactare: quam ut tandem abrum-

pam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

pam atque impleam, niſi lubens quamcumque Poëmatum tuorum partem omnium meorum diſpendio redimerem, nimium mihi & in Te, & in omnes Muſarum cultores ac amicos injurius viderer.

Vale

Vir Excellentiſſime, & importunitati meæ ignoſcens, favere perge.

SYL-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

SYLVÆ, CARMINUM PUERILIUM ET JUVENILIUM LIBER III.

PHYLLIS ECLOGA.

In diſceſſum Daphnidis à Phyllide.

Dicite Pierides, mœſtus quæ carmina Daphnis
Fuderit, invitus cum Phyllida linqueret, & cum
Rura ſibi dilecta diu mutaret: ineptus
Triſte ſupercilium Phœbanoris, oſque malignum,
Atque indigna pati faſtidia. Dicite Muſæ,
Auxilio potuit veſtro quæ dicere Daphnis.
Deplorata dies aderat, quæ Phyllida, Daphni,
Dilectam, rapuitque tuum tibi Daphnida, Phylli.
Pallidior mœſtos ſolito Titania campos

Rore

Rore novo ſpargebat, & haud bene Lucifer atro
Sidera diſpulerat cœlo: veſtigia Daphnis
Per linquenda ſibi ſolus cum ruſcula figens,
Et loca ferventes renovantia Phyllidis ignes
Extremum luſtrans, varioſque è pectore queſtus
Er conjuncta trahens ſuſpiria, perque myricas,
Et ſalices, quæ, Sala, tuas circum undique ripas
Puniceis permiſta rubis, calthaque paluſtri
Condecorant, hinc inde repens, vix denique denſas
Inter procubuit corylos, & carmine tali
Heu nimis infauſtos! nec quicquam flevit amores.
Phylli vale, dilecta imo mihi pectore Phylli,
Incipe ſollicitis animum confundere curis,
Et lacrumis implere bonis, & queſtibus ora.
Sic fas eſt, ſic, Daphni volunt crudelia fata,
Et malè quæ noſtris ludit ſors perfida rebus.
Phylli vale victura meo cum pectore Phylli,
Dum mihi pectus erit, corylos diſtinguere fagis
Dum potero, poteritque ſuas dum paſcere flammas
Cor mihi nunc tenui diſtendens ſanguine venas.
Phylli vale, & mecum crudelia carpere fata
Quodque licet ſolum abſenti, ſuſpiria mœſta
Perge meis ſociare: ferantur & hæ licet udis
A Zephyris, noſtras tamen allabentur ad aures
Atque animos tandem, præſagaque pectora luctus
Phylli, tui, noſtroque dabunt fomenta dolori.

Phylli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Phylli vale, conjuncta meo cum pectore
Phylli,
Non tamen hinc nimium quamvis divellet iniquus
Te pater, aut Furiæ, vel ſi quid durius illis
Orcus habet. Quocunque erret ſub ſidere
Daphnis,
Vivet ibi conjuncta ſuo cum Daphnide Phyllis.
Phylli vale, noſtrum decus, ô cariſſima
Phylli,
Et vos herboſo viridantes vertice colles,
Voſque olim nobis umbroſa cubilia valles,
Et ſaltus virides, & mollia prata valete.
Et quas præ reliquis mecum mea Phyllis
amavit;
Maliferæ ſylvæ, noſtris loca cognita furtis.
Vos etiam glauca canentia fronde ſalicta,
Voſque rubi, queis non Thisbei conſcia fati
Decertet morus, cumq; his rubicundula mixtos
Egregium corylos inter decus arbuta, quæque
Redditis argutos zephyris virgulta ſuſurrus,
Extremum hoc audite vale, queſtuſq; ſupremos
Ingeminate meos, & mecum dicite, Phylli,
Phylli vale, laudanda meo nunc carmine
Phylli,
Quam tua quam triſtis mihi ſe nunc ſiſtit
imago!
Ah video lacrumis humentia lumina fuſis,
Non ſecus ac Phœbum mediis ex imbribus
ignes
Jactare. Ah video rorantia fletibus ora,
Ora, eheu! non jam tam ſuave rubentia, ut
olim,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

A noſtris caperent cum Baſia mille labellis.
Ah video teneras ferientes pectora palmas,
Pectora ſinceris nil tale merentia flammis.
O utinam dextræ ſaltim conjungere dextram
Nunc liceat, teneriſque innectere vincula ſertis,
Compoſitamque comam variis redimire Corollis!
Quod quoniam nunc fata vetant crudelia Daphnin
Phylli, precor, tibi fac: nexiſque à Daphnide ſertis
Formoſas immitte manus, ſubmitte capillos.
Phylli vale, vita mihi carior, optima Phylli.
Vos Superi, & ſi quæ has colitis bona numina valles,
Et tu, Sala pater, quondam opportunus amori
Daphnidis, exiguo veheret cum Phyllida lembo:
Et vos Saliades Nymphæ, & ſylveſtria Fauni
Numina, paſtori, precor, hoc concredite veſtro
Extremum munus, neve hæc permittite ſerta,
Et quæ plura dedi contextis oſcula ſertis,
Phylli, tibi reddenda, vagis divellere ventis.
Non, precor, hæc auſint malè prælibare cohortes
Melliferæ, aut aliæ quas hæc vehet aura volucres.
Tuque teres quæ fagus ades mihi proxima, ſerva
Dulce onus, extremumque vale quo Phyllida Daphnis
Flevit, in his ſertis optata ad lumina defer.

Sic

Sic tua longævis umbroſa cacumina ramis
Æternum vigeant, & præmia forſitan ipſa
Muneris extremi, veniens dabit oſcula Phyllis.
Philli vale, linquenda mihi pulcherrima Phylli
Phylli vale, & munus ſaltim hoc abeuntis habeto
Extremum, has lacrumas, & quæ dedit oſcula Daphnis
Floribus his, reddenta tibi, dulciſſima Phylli
Unus amor, mea Phylli, meus. Te linquere ſæva
Fata jubent, at non cum Phyllide Phyllidos ignes.
Phyllis inextinctos in pectore Daphnidos ignes,
Ipſa fovet, præbetque æternis pabula flammis.
Interea, mea vita, vale, Jam mitia fata
Se ſiſtent iterum, & niveo ſignanda lapillo
Fauſta dies, aurove, aut quod pretioſius auro eſt,
Cum potero in lætam tibi dicere redditus aurem,
Phylli veni, conjunge meis tua pectora Phylli,
Phylli veni, permiſce meis tua baſia Phylli.

PROPEMPTICUM
AD
JOHANNEM ELERUM,
HOLSATUM, J.U. CANDIDATUM.
Cum poſt varia & longa in diverſis Germaniæ Academiis exercita ſtudia

Anno D. 1661. d. 28 Julii.

Tandem Lipſiæ

In patriam reditum pararet.

ERgo tuos tandem repetes, Chariſſime, Cimbros,
Et longum, dices, ô Philurea, vale.
Cimbrica nunc tellus ſolito te lætior effer,
Excute quos luctus bella dedere tibi.
Arma ſilent & tela ſecant Mavortia campos
Et ſua jura iterum vindicat alma Themis.
Illius & ſoboles ELERUS pectora legum
Excultus ſtudiis te bene digna redit.
Hic eſt indulſit cui ſe doctiſſima totam
Quemque vocat natum Julia Magna ſuum.
Hunc etiam (at prohibent doctæ bona Numina Divæ
Infauſti hos elegos nomen habere loci!)
Si tamen, & tectis liceat depingere verbis,
Signaque funeſti ponere pauca loci.
Urbs eſt jucundis Salæ quæ lambitur undis,
Ni modo nunc prorſus funera tanta fugit.
Hic noſtrum citius poſt funera mœſta profectum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Luget adhuc Themis, & turba novena
Deûm.
Nunc vero Philurea magis ſibi mœret ademptum:
Ah, fallor verbo, mox adimendus erat.
Aſt id idem eſt: ſpatioque brevi duo tempora
diſtant:
Prolongent illud fata benigna tamen.
Aut quoniam ſpes hoc nunc abnuit, optima
doctis
Cum Divis mecum, nunc, Philurea dole.
Pliſſiades Nymphæ, precor, hunc retinete, fugamque
Numinibus veſtris hanc inhibete, precor.
Aut ſiquidem retinere nefas, votiſque ſuorum
In patriam patrio jure vocatur, eat.
Attamen abſentem luctus lacrumæque ſequantur,
Effuſumque ſimul voce favente vale.
Tu vero imprimis crines tibi ſcinde, Lycori,
Heu nimis ELERO ſemper amata tuo.
Non tibi nunc quamvis alius, tua, limina forſan
Qui tibi nocturnus ſæpe ſalutet, eat.
Atque alius repetenda tibi ferat oſcula quamvis,
Non tibi tam poſthac fidus amator erit.
Neſcis quem perdas, neſcis, temeraria, neſcis:
Hic tibi vel lacrumis heic retinendus erat.
Et poteras retinere, ipſi in ſua colla lacertos
Mittens, inque tuos lumina mœſta ſinus.
Sed quia non retines, fatum hoc non velle putabo:
Quamquam, hoc ut repetam, ſic retinendus
erat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Interea quoniam nil nunc niſi vota ſuperſunt,
Et poſcit ſummum triſtior hora vale.
Ah utinam tantos caperet mea Muſa furores,
Ut tibi condigno diceret ore vale!
Quæ quamvis ſemper titubet male, nunc quoque juſto
Ex hoc diſceſſu muta dolore ſilet.
Tu tamen hæc pedibus Themidos mihi dicta probatæ
Quamlibet haut æquis nunc Elegia, refer.
Flebilibuſque modis quamvis felicia fata
Pande, ſed his abſint omnia mœſta modis.
Vix bene reddiderat mater relevata puſillum
ELERUM, ſimili gaudia magna patri.
Cum Themis & genetrix gratorum Suada leporum,
Et vitrea Charitum veſte probanda cohors.
Quæque favet doctis Pallas Tritonia, quæque
Numina præterea pectora magna fovent.
Unanimi pariter cura ſumpſere fovendum
Depoſitum gremio vix bene matris onus.
Hæc Nectar, tulit illa favos, cunctæque dedere
Cultori quondam munera larga ſuo.
Imprimis ſed læta Themis, mox ora reſolvit
Veridica, & pueri ſingula fata canit.
Fata ſuis equidem vicibus diſtincta, ſed inter
Quæ tamen auratis multa probanda notis.
Quæ nunc ſi digno canent mea Muſa cothurno,
Non poſſem quod ſit tam male mœſta queri.
Ne, tamen hic penitus taceam, quæ paucula triſtis
Nunc Elegia mihi dat bona fata, canam.

I bene,

I bene, deſertoſque diu nunc reſpice Cimbros,
Et puero quondam qui caluêre focos.
Jam te præſentem ſibi publica commoda terræ
Expoſcunt patriæ, te vocat ipſe parens.
Te poſthac fatis tua ſors tutabitur æquis,
Fulgebunt poſthac candida cuncta tibi.
Te fora gaudebunt, te curia, teque penates
Privati ſurgent in bona fata tui:
Jam tibi divitiæ creſcunt, augentur honores,
Ponitur inque tuo ſponſa beata thoro,
Unde brevi ſurgant nati, vultuque parentem,
Et dignâ pulchro corpore mente ferant.
Hæc tibi Convictor longo bene cognitus uſu,
Nunc diſcedenti denuo cuncta vovet.
Et Muſa languente notat, meliora daturus,
A te cum veniet littera longa, Vale.

OVIDIO-CENTO
SIVE
PROPEMTICON ALIUD
In diſceſſum ejuſdem,
ex panniculis
P. OVIDII NASONIS
Conſutum.

PRÆLUDIUM.

DUm mea Muſa negat, dignos tibi languida verſus,
Promptior ecce ſuos Naſo Poëta dedit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Carmina Naſonis cui non placuêre Poëtæ?
Et cui non placeant, cui modo naſus adeſt?
Quo tamen illa magis poſſint tibi lecta placere,
Nec noceant noſtris inſidioſa modis.
Sit tibi prima fames noſtris exempta legendi,
Fercula poſt ſaturo Naſo ſecunda ferat.
Largaque ſuccedant epulis bellaria parcis,
Ne damnum primæ menſa ſecunda ferat.
Inſipidis ſic quæ primò læduntur ab offis
Ora, ſaporatas rectius inde probant.

CENTO OVIDIANUS.

4. *P.* 13. O Mihi non dubios inter memorande ſodales
3. *Tr.* 4. ELERE, ingenio ſemper amate meo.
2. *P.* 5. Scilicet ingeniis aliqua eſt concordia junctis,
Et ſervat ſtudii fœdera quiſque ſui.
1. *Tr.* 8. Sive aliquod morum, ſeu vitæ labe carentis
Eſt pretium, nemo pluris emendus erat.
Sive per ingenuas aliquis caput extulit artes,
Quælibet eloquio fit bona cauſa tuo.
1. *Amo El* 5. Singula quid repetam? Mores natura pudicos,
3. *Tr.* 7. Et raras dotes ingeniumque dedit.
3. *P.* 3. Nota tua eſt probitas, teſtataque tempus in omne,
Pectus & Herculeæ ſimplicitatis habes.
Ut-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Utque tibi eſt animus, cum res ita poſtulat, arma 2. P. 9.
Sumere, & hoſtili tingere cæde manus:
Tempora ſic ſtudiis ubi ſunt data juſta paternis,
Ejuſdem ſacri cultor uterque ſumus.
Tu quoque Pieridum ſtudio, ſtudioſe, teneris, 2. P. 5.
Ingeniumque probas, ingenioſe, meum. 1. Tr. 8.
His ego commotus, dixi tibi protinus ipſi, 1. Tr. 8.
Serviet officio ſpiritus iſte tuo. 5. Tr. 9.
Accipe per longos tibi qui deſerviat annos, 1. Am. 3.
Accipe qui pura, norit amare fide.
Denique tantus amor nobis, cariſſime, ſemper, 2. P. 4.
Quantus in Æacide Actorideque fuit.
Multaque præterea manifeſti ſigna favoris 3. Tr. 5.
Pectoribus teneo non abitura meis.
Hæc mihi ſemper erunt imis infixa medullis, 1. Tr. 4.
Perpetuſque animi debitor hujus ero.
Da mihi, ſi quid ea eſt, hebetantem pectora Lethen, 4. P. 1.
Oblitus potero non tamen eſſe tui.
Te niſi momentis video pene omnibus abſens, 3. P. 5.
Vel freta Leucadii mittar in alta Dei. 5. Tr. 2.
Hic es, & ignoras, & ades creberrimus abſens, 1. P. 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

3 *P.* 5. Gratia Dîs, menti quolibet ire licet.
4. *P.* 15. Semper inoblitâ repeto tua munera mente,
1. *Am.* 3. Tu mihi, ſi qua fides, cura perennis eris.
1. *Tr.* 7. Quid niſi tot luſus, & tot mea ſeria noſſes,
Tot luſus noſſem ſeriaque ipſe tua.
Quid niſi convictu cauſſiſque valentibus eſſem
Aſcitus toties in genus omne joci.
2. *P.* 10. Sæpe brevis nobis vicibus via viſa loquendi eſt,
Pluraque ſi numeres, verba fuere fide.
Sæpe dies ſermone minor fuit, inque loquendo
Tarda per æſtivos defuit hora dies.
2. *P.* 4. Non ego ſi biberis ſecuræ pocula Lethes,
Excidere hoc credam pectore poſſe tuo.
In Ibin p. m. 366. Deſinet eſſe prius contrarius ignibus humor,
Junctaque cum Luna lumina ſolis erunt.
1. *Tr.* 7. Omnia naturæ contraria legibus ibunt,
Parſque ſuum mundi nulla tenebit iter:
2. *P.* 4. Quam tibi noſtrarum veniant oblivia rerum.
Non ita pars fati candida nulla mei eſt:
Ne tamen hæc dici poſſit fiducia mendax,

Stul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Stultaque credulitas noſtra fuiſſe, cave.
Teque quod eſt rarum, præſta conſtanter ad omne 4. *Tr. 5.*
Indeclinatæ munus amicitiæ.
Hei mihi cur animis juncti ſecernimur unis, *Ep. Leandr.*
Unaque mens, tellus non habet una duos.
Sed quod tu nolles, voluit miſerabile fatum, 4. *P.* 6.
Hei mihi, plus illud quam tua vota valet!
Nunc ego jactandas optarem ſumere pennas 3. *Tr.* 8.
Sive tuas, Perſeu, Dædale, ſive tuas.
Ut tenerâ noſtris cedente volatibus aura,
Aſpicerem patriæ dulce repente ſolum.
Bis me ſol adiit gelidam poſt frigore brumam, 4. *Tr.* 7.
Biſque ſuum tacto piſce peregit opus.
At mihi jam videor patriâ procul eſſe tot annos, 5. *Tr.* 10.
Dardana quot Grajo Troja ſub hoſte fuit.
Verum quid faciam? Tu cui licet aſpice CIMBROS. 4. *P.* 15.
Hei quanto melior ſors tua ſorte mea eſt! 5. *Tr. El.* 4.
Adde quod (atque utinam verum tibi venerit omen!) 4. *P.* 11.

Conjugio felix jam potes eſſe novo.
3.*Tr.*12. O quater, & quotiens non eſt numerare beatum!
4.*Tr.*1. Heu nimium fati tempora longa mei!
2.*Am.* 11. Omnia pro veris credam, ſint ficta licebit,
Cur ego non votis blandiar ipſe meis?
Ep. 3. I nunc, & quoniam regio felicior iſta eſt,
2.*P.*3. Iſtic me memori pectore ſemper habe.
5.*Tr.*13. Utque ſolebamus conſumere longa loquendo
Tempora, ſermoni deficiente die.
Sic ferat & referat tacitas nunc littera voces,
Et peragant linguæ charta manuſque vices.
4.*Tr.*5. Sic tibi proceſſus habeat fortuna perennes,
Sic ope non egeas ipſe, juveſque tuos.
2.*P.*8. Sic pater in Pylios, Cumæos mater in annos
Vivant, & poſſis filius eſſe diu.
4.*Tr.*5. Sic æquet tua nupta virum bonitate perenni,
Incidat & veſtro rara querela toro.
Sic juvenis ſimiliſque tui ſit natus, & illum
Moribus agnoſcat quilibet eſſe tuum!
*In Ibin p.*367. Annuite optatis mitiſſima numina noſtris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Et ſit pars voti nulla caduca mei. 2. *P*. 8.
Quæ pro te ut voveam miti pietate mereris, 2. *Tr*. 4.
Hæſuraque tibi tempus in omne fide.
Detur inoffenſo vitæ tibi tangere metam, 1. *Tr*. 8.
Quo pede cœpiſti, ſic bene ſemper eas.
Dî tibi dent annos, nam de te cætera ſumes, 2. *P*. 1.
Sint modo virtuti tempora longa tuæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

CONJUNCTIO SOLIS ET VENERIS

IN

Nuptiis auſpicatiſſimis

MICHAELIS KIRSTENII

Ph. & Med. Doct. & Prof. P. apud Hamburgenſes celeberrimi,

ET

ADELGUNDÆ ANNÆ PUTSCHIÆ,

Quæ celebrabantur Hamburgi

A. D. cIↄ Iↄc LXI. Kal. Decembr.

THALAMUS.

VENERI. PHOEBEÆ.

DOCTÆ. SPECULATRICI. PARNASSIÆ.
MEDICÆ. POETRIÆ. FATIDICÆ.
CUJUS. HOC. COELUM. EST.
SUPERIORI. ANALOGUM. ET. EXACTE.
RESPONDENS. IN. QUO.
CONJUNCTIONEM. FORTUNATISSIMAM.
NULLIS. ADHUC. ASTROLOGORUM.
EPHEMERIDIBUS.

AN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

ANNOTATAM.
PRÆDIXIT. HYMEN.
EJUS. OBSERVATIO.
SINE. VITRIS. TUBIS. AC. TELESCOPIIS.
IMO. SINE. OCULIS. FACTA.
ITA. SESE. HABET.
ANNO. SALUTIS. HUMANÆ. M. DC. LXI.
MENSE. OCTOBRI. ADOLESCENTE.

SOL. ET VENUS.
HAMBURGENSIUM.

KIRSTENIUS. ET. PUTSCHIA.

FELICISSIMAM. SUPER. LUNARIUM. PLANETARUM. CONJUNCTIONEM. IMITARI. ET. PLACIDE. RADIOS. SUOS. PERMISCERE. COEPERUNT. QUOS. INDIES. ARCTIUS. AC AMICICIUS. CONSERUERE. UT. ADEO. IPSA. ILLORUM. CORPORA. PARTILITER. CONJUNGI. DEBEANT.

HAC VESPERA QUÆ EST KAL. DECEMBR. HORAM. ET MINUTA. ASSIGNARE. NEFAS. EST.

NEQUE. MINUTIÆ. CURANTUR. IN. VENERE.

NEQUE. ELEVATIO. AUT. ASCENSIO. IN. HOC. COELO.

TEMPORUM. ORDINI. NUMERORUM. MENSURÆ. AUT. MOTUS. LEGIBUS. CERTIS. SUBJACET.

IN. MOMENTANEIS. MOMENTORUM. CURATIO. ALICUJUS. MOMENTI. EST.

HÆC.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

HÆC. CONJUNCTIO. ETSI. SUBLUNARIS.
IN. HOC. COELESTIBUS. OMNIBUS. SUPERIOR. EST,
QUOD. DIUTURNITATE. OMNES. OMNINO. VINCIT.
NEC. DURATIONIS. FINEM. AB. ALIO. QUAM.
A. DEO. A. QUO. ET. EXORDIUM. ACCIPIT.
HIC. DIVINA. FATORUM. SECRETA. SUNT.
DE. QUIBUS. QUANTUM. HOMINIBUS. REVELATUR.

APOTELESMATIS. SUMMA. HÆC. EST.
COELUM. UNDECUNQUE. BENE. AFFECTUM.
ET. PLANETÆ. OMNES. EX. SUIS. DOMICILIIS.
RADIOS. FAUSTOS. LARGIENTES.
IPSIQUE. CONJUNGENDI. PLANETÆ. SUAPTE. NATURA. BONI. AC. BENEFICI.

ET. IN. OPTIMIS. COELI. LOCIS. SOL. QUIDEM. IN. EXALTATIONE. VENUS. AUTEM, IN. TERMINIS. CONSTITUTI.
BENEFICOS. MAXIME. ET. SALUTARES. EFFECTUS. PROMITTUNT.
IMPRIMIS. AUTEM.
JUCUNDA, VENUSTA. LEPIDA, POLITA.
HONORATA. ET. FELICIA. OMNIA.
AMANTIBUS. LITTERATIS.
ET.
LITTERATIS. AMANTIBUS.
EX. QUORUM. AMPLEXU.
PARTUS.
VENUSTOS. LEPIDOS. AMABILES.
DOCTRINA; HONORE. ET. FORTUNIS. AFFLUENTES.

NA-

NASCI. FACIET. DEUS.
CUI. IDEM. NUMEROSOS. ILLOS. ET. LONGÆVOS. ET. DIUTURNAM. HANC. CONJUNCTIONEM.
FAXIT!

CLARISSIMO DN. SPONSO
PATRONO ET PRÆCEPTORI
SUO PLURIMUM COLENDO.
L. M. Q.
SCRIBEBAT LIPSIÆ.

V. P. H.

HY-

HYMENÆUS.

Cernite ſidereos, cœleſtia pectora, motus:
Quam bene ſe docto ſociat Venus aurea
Phœbo,
Quam bene KIRSTENIO ſeſe ſua PUTSCHIA
jungit,
Et cupidis faciles Muſis miſcentur Amores!
Cernite ſidereos, cœleſtia pectora, motus.
Hic prudens ſua fata legit: ſcribuntur in aſtris
Æterni ſecreta Poli, mentitaque numquam
Sidera ſunt, quamvis & iners Chaldæus aberret
Sæpius, & falſis eludat pectora dictis
Vanus Arabs, cœlive peritior accola Nili.
Cernite ſidereos, cœleſtia pectora, motus.
Mens eſt quæ fallit, denſis perfuſa tenebris
Mens eſt, non bene gnara ſui, ne ſidera celſa
Neſciri mirere: O cæcæ pectora noctis
Plena nimis! Nempe eſt noſter temerarius
error,
Ergo etiam polus, & variis radiantia formis
Sidera vaſta Poli juſta ſine lege feruntur?
Has Heraclitus rediens male ſerius umbras
Defleat, & vanis ſingultibus äera rumpat:
Nunc cum Democrito pulmonem attollere riſu
Sufficiat nobis. Sic docta volumina cœli,
Quæ cunctis volvenda patent, paucíſque le-
guntur,
Sic jubet Uranie, & ſemper mihi cultus Apollo
KIRSTENIUM nunc ore ferens ſic imperat,
& ſic

Po-

Poſtulat alma Venus, quæ nunc vult PUTSCHIA
dici.
Cernite Sidereos, cœlectia pectora, motus.
Scilicet in vobis, cœleſtia pectora, cœli
Nunc ſeſe decreta probant. Concordat Olympus
Mentibus æthereis, & pars è parte reſecta
Antiquos retinens motus. Hinc tempore eodem
Phœbèos Veneris radios & PÜTSCHIA, & ipſe
KIRSTENIUS ſenſere Simul, ſimul ignibus
iſdem
Arſere, atque avidis flammas hauſere medullis:
Quas æternus amor, quas tempora longa fovebunt,
Quas numquam adverſo reſtinguent ſidera
curſu.
Cernite ſidereos, cœleſtia pectora, motus.
Aſtrorum hæc vis eſt, quibus hæc ſubjecta rotantur,
Et rerum externæ facies, atque ima moventur.
His tellus ſtetit atque cadet. Quod cernimus, &
quod
Vivimus, aſtrorum eſt, quæ Mens ſuprema gubernat,
Et cogit variis diſtinguere fata figuris.
Cernite ſidereos, cœleſtia pectora, motus.
Felices nimium quibus hæc arcana pateſcunt,
Felicesque magis, queis ſidera fauſta benigno
Aſpectu, & radiis felicibus aëra complent.
Felices vero imprimis quos lumine miti
Aſtrorum Princeps, & Mens Venus aurea
mundi

Aſpi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Aſpiciunt, radiiſque bonis in proſpera ducunt.
  Cernite ſidereos, cœleſtia pectora, motus.
O ter felices ſponſi, gratiſſima cœlo
Pectora, quam vobis hæc ſe myſteria pandunt,
Quam vobis bona fata favent, & mitis Olympus!
Cernite, prudentes animæ, concordia cœlo
Quanta ſit, atque animis cœleſtibus: ut ſua mentes
Fata bonæ veris reddant expreſſa figuris.
Non ſecus ac ſpecula (ut liceat componere parvis
Magna,) repercuſſas reddunt cryſtallina formas.
  Cernite ſidereos, cœleſtia pectora, motus.
Hamburgi cœlum eſt, heic iſti PUTSCHIA cœlo
Conveniens, doctuſque (abſit modo livor,) Apollo
KIRSTENIUS, radiis dudum ſociantur amicis.
Et nunc conjuncti centro propriore caleſcent,
Fœcundoſque dabunt lætis attactibus annos.
  Cernite ſidereos, cœleſtia pectora, motus.
Phœbe decus mundi, cui ſe Venus optima rerum
Dat comitem, quid nunc celſis inferre Cytheris
Parnaſſum dubitas, Erycino aut vertice Pindum
Ponere: Quin poſthac Helicona videbimus Idæ
Collibus adnexum. Melius ſociata vigebunt
Imperia, & melius communi fonte cadentes
Tramite communi ſocio labentur in alveo
Amnis Acidalii fontiſque Aganippidos undæ,
Oraque guſtantum duplici dulcedine mixto
Nectare jucundum rorantes, pectora Phœbi
Im-

Imperiis Veneriſque ſimul parere docebunt.
Omnia conveniant,& quadrent infima ſummis,
Junctaque conjunctas feriant bona ſidera terras.
Cernite ſidereos, cœleſtia pectora, motus.
Fata favent voto. Pictis ne credite mappis,
Queis cordi Venus eſt, queis Phœbus pectora pulſat.
In Delo Cypros eſt, Amathus Patarèaque regna
Jam prorſus coiëre, Claros, Delphiq; Paphoſque
Cum Tenedo, Cirrhaque, Cnidos junguntur in unum;
In Phœbo Venus eſt. Aris communibus uti
Nunc cupiunt, tingitque roſas hyacinthus amicas
Lætior, & myrto gaudet contermina laurus,
Et cygnis ſociæ diſcunt volitare Columbæ.
Cernite ſidereos, cœleſtia pectora, motus.
Quantum Acidaliam Phœbus fert pectore divam,
Ut vaga mens illâ flammas agitante caleſcit
Intus, ut ipſe novus manifecto proditur hoſpes,
Inſpiratque alios ſtudio fervente labores!
Ergo Deus dextrâ faculas & ſpicula verſat,
jamque ſinum picto gaudet ſubnectere ceſto,
Et permutato luſuſque jocoſque gubernat
Imperio, volucreſque inter verſatur Amores.
At Venus ecce ſuo quantum furit aurea docto
Plena Deo, quantum flammis quibus uſſerat, ardet!
Et ſe vix capiens, geminumque in pectore verſans
Numen inaſſuetis animum confundere curis

Au-

Audet, Apollineæ tractans myſteria dectræ!
Pharmaca jam miſcet, jam verſus voce canora
Format, & Aoniis certat teſtudine Divis.
Cernite ſidereos, cœleſtia pectora, motus.
Quam bene cœleſtes referunt terrena figuras,
Utque polo conforme rotant! En noſter Apollo
KIRSTENIUS, tota Veneris nova gaudia mente
Concipit, & plectro feriante, caleſcit amoris
Luſibus, & Veneri dat tempora pacta Minervæ,
Et minus auſteras vigilando ducere noctes
Diſcit, & ad ſeros lucubrare Cupidinis ignes,
Et matutinos Veneri renovare labores.
Non ſecus ac doctum capiunt præcordia Phœbum
PUTSCHIA, KIRSTENIUSque aliis quæ lumina præfert
KIRSTENIO fert ipſa ſuo. Nunc PUTSCHIA Sol eſt,
KIRSTENIO vitam radiis atque intima cordis
Arcano fervore fovens, morbiſque medetur
Omnibus, (hæc panacæa valet,) lepidiſque ſuſurris
Concentuque animorum uno modulamina plectris
Non ullis imitanda facit, ſacrique liquores
Addit Acidalios irritamenta furoris.
Quin etiam pangens Oracula Phœbados inſtar
Fauſta ſecuturi prædicit gaudia luſus,
KIRSTENIO, & decimi pandit præſagia menſis.
Cernite ſidereos, cœleſtia pectora, motus,
O ſemper veneranda Venus, Venus aurea, ſalve,
Et radios huc funde bonos, virgiſque ſalignis

Si

Si quondam Enaries docuere oracula gentem.
Androgynam varie diſſectis dicere ramis,
Nunc etiam arcanos fatorum pande receſſus
Quæ Phæbo conjuncta tuo ventura volutas.
Cernite ſidereos, cœleſtia pectora, motus.
Alma Venus numquam nitido magis ore ſuperbit,
Quam Phœbi complexa rotas. Nec lumnia Phœbus
Umquam tanta quatit, quam cum ſe mater Amorum
Vecta polo niveis comitem fert Cypria cygnis.
Scilicet hanc cœli faciem atque hoc ſidera nexu
Juncta ſibi primas rerum formaſſe figuras
Crediderim, & magni vidiſſe exordia mundi.
Hæc igitur quoties Domino repetentur Olympo
Fœdera, reddentur toties felicia terris
Tempora, & effœto facies renovabitur orbi.
Tunc & Gymnaſium docto ponetur Amori,
Et Veneri: erudiant ubi & erudiantur amantes,
Quicquid Phœbus amat, quicquid Venus optima poſcat,
Quicquid Acidaliis Pindique hauritur in undis.
Tunc Veneris denſæ decorabunt templa corollæ,
Et nova ponentur, lucebit & ignibus ara
Uſque novis, ſtacteque & thure adoperta Sabœo!
Pendebuntque tholis tituli, zonæque ſolutæ
Poſtibus hærebunt pulchris ex arte puellis.
Tunc fortunato felicia ſidera partu

Ad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Adſpicient pulchræ ſoboles, Veneremque puellæ
Ore ferent, puerique recondent pectore Phœbum.
Hi ſunt qui ſeclis portant rediviva futuris
Nomina, cum titulis & adaucta laude parentum,
Præclarum in ſeros ducentes ſtemma nepotes.
Cernite ſidereos, cœleſtia pectora, motus.
Hæc vos, ô fauſto felicia pectora nexu
Fata manent SPONSI. Vobis hæc ſpondet Olympus,
Et Pater æthereus, qui temperat aſtra perenni
Imperio, nutu mortalia fata gubernat,
Talia lanificas adamante notare Sorores
Juſſit, & æternis deſcribere fata figuris.
Hæc rata ſint, currantque diu proſperrima vobis
Fata precor, ſeroſque nihil mutentur in annos,
Nec radios umquam vobis ſentire malignos
Eveniat, ſemper ſtent fortunata ſereno
Aſtra polo: ſemper detur, cariſſima, vobis
Lumine lætanti & vultu ridente benignos
Cernere ſidereos, cœleſtia pectora, motus.

Lauream Philoſophicam

SAMUELI DÖGIO EIDERA HOLSATO,

Collatam Lipſiæ, d. 26. Jan. 1662.

Gratulatur

Amicorum & conterraneorum Hol-ſatorum nomine.

ERgo novis iterum lætantem Helicona cieri
Motibus, & docto deſcendere Numina
Pindo
Cernimus, ac textas manibus portare corollas.
Hem quantum ſe compſit Honos, & maſcula
Virtus,
Et Charitum ſincera cohors, quæ gaudia, quales
Ore ferunt riſus! Quam tota mente triumphat
Thymbræus, comiteſque Deæ, quæ carmina
plectris
Concordare docent! Jamque os Jove nata ſe-
renat
Horridulum, & placidas haſtæ prætexit olivas,
Et propero Tua feſta gradu P HILUREA, fre-
quentat:
Ornatura ſacram præſenti numine lucem,
Cultoreſque ſuos, & in his, Clariſſimæ DöGI,
Te quoque. Cui quam rara ferens ſibi gaudia,
quæque
Pectore fatidico depromens omina Pallas

K Docta

Docta perennanti decorârit tempora ſerto,
Nunc referam: noſtri monumentum, ac pignus amoris.
Enthea laurus erat, Pindo decerpta virenti
Phœbeis manibus, Charitum quam mille beatis
Oſcula texentum ſignarant fixa labellis:
Addiderant palmas Virtus, permixtaque florum
Agmina Pierides, nec non Tritonia Pallas
Creſcentes æternum oleas. Honor ipſe per imas
Innocuam retinens urticam ſparſerat oras.
Hanc cupidis manibus, ſupremi nata Tonantis
Imponit tibi DöGI, & talibus ora reſolvit.
Salve, noſter amor, DöGI, chariſſime, ſalve,
O Phœbo dilecte nimis, dilecte Camœnis!
Quam mihi, quam reliquis nunc feria gaudia creſcunt
Numinibus, tua quod digniſſima tempora Lauro
Condecorare datur. Plures imponere vellem,
Si liceat, quoties memori modo mente revolvo
Indefeſſum animum, atque exercita pectora curis
Aoniis, largeque hauſtas Aganippidos undas.
Felices animæ, digniſſima pectora Cœlo,
Queis adeo pars increvit divinior auræ
Queis falſum Cnidia vero diſcernere norma,
Errorumque ima craſſos ab origine fontes
Exhaurire datum eſt, & rectæ mentis abyſſum
Artibus, & rerum veris implere figuris.
Imprimis dignæ tranſcendere laudibus aſtra
Divinæ mentes, queis ſumma arcana pateſunt,
Quid moveat cœlorum arces, quid conſcia fati
Si-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Sidera, quas leges Superi dent orbibus imis,
Et quam non cæco verſent mortalia caſu.
Quam paucis hæc noſſe datur, quam fruſtra fatigant
Sæpius hæc magnas animas, quæſita profundis
Et nullis abſtruſa reperta per avia curis!
O infelicem qui tantis arduus auſis
Excidit! O quam præſtiterat terrena ſecunda
Laude petiviſſe, & magnæ retinacula menti
Injeciſſe illas queis corpus paſcitur auras!
Nec modicæ nam laudis erat pernoſcere cauſſas
Et fines rerum, ac formas penetrare latentes.
Dicere num tellus, vel qua ratione rotetur,
Quid generet Zephyros, aut mixta tonitrua cauris,
Irida quid pingat denſos cum ſuſcitat imbres,
Compactaſque jubet ſolem ſubducere nubes.
Nec dignas Hecatombe aliâ formare figuras
Exiquum foret, aut menſuræ diſcere leges,
Innumeriſque modis numeros atque addere formis.
Sive quid aſſiduis aut magnis uſibus aptum
Noſſe, nec obtuſum quod poſſit prodere vulgus,
Quæ lædant, rectaſve juvent cum corpore mentes,
Quid deceat, quid præcipiat natura, vel horrens
Averſetur, & ex qua jus ratione reſultet.
Felix qui novit, dignæ quæ pectora curæ
Regia ſollicitent, vel doctas qualia vulgo
Secernunt animas! Quantum ex his ſingula præſtant

Quæ te cuncta beant! DöGI doctiſſime, perge
Quo te fata vocant: fortunæ obſtacula temne,
Præbebit tibi victa manus, dominaberis aſtris.
Hæc Pallas. Nos interea Clariſſime DöGI,
Quos communis amor junxit, rumpendaque nunquam
Vincula, communeſque foci, divique tuentur
Indigetes, meritos una gratamur honores:
Et quæcunque tuis optabis honoribus addi
Proſpera, conjunctis apponimus omnia votis.

Tumulus & Epicedium

CORONÆ MEGISERÆ.

JONÆ SCHRIMPFII,

J.C. Conjugis dum in vivis erat dulciſſimæ è quibus exceſſit Viennæ Auſtriæ,

A. D. cIɔ.Iɔc. LXII. *d.* VII. *Kal. Jan.*

TUMULUS.

D. O. M.

ET MEMORIÆ. PIE. DEFUNCTORUM.
HIC. LOCUS. SACER. EST.
VIATOR.
CONSISTE. VIDE. LEGE.
IMITARE.
HOC TUMULO

CO-

CORONA. CONDITUR.
ITA. EST.
MULIER. CORONA. MULIERUM.
QUÆ. PROGENITA.
VIRO. CLARISSIMO. ET. AMPLISSIMO.

HIERONYMO MEGISERO.

IMP. GLORIOSISS. MEM. RUDOLPHI. II. ET. AUSTRIÆ. ARCHIDUCUM. HISTORICO. FIDELISSIMO. AC. PERITISSIMO.
ITA. PROPRIA. VIRTUTE. NATALIUM. SPLENDOREM. ADAUXIT. UT. HISTORIAM. VITÆ. SUÆ. MEREATUR.

NUPTA. VIRO. NOBILISSIMO. ET. CONSULTISSIMO.

JONÆ SCHRIMPFIO.

JCTO. SERENISS. ELECTORIS. SAX. CONSIL. ET. EJUSDEM. AC. ALIORUM. IMPERII.. PRINCIPUM.
LEGATO. RESIDENTI. VIXIT. CUM. IPSO. SINE. QUERIMONIA. ANNOS * RELICTISQUE. EIDEM. DULCISSIMI. AMORIS. PIGNORIBUS. * *
EXIIT. EX. HAC. VITA. ANNO. EXEUNTE. SALUTIS. CIↃ. IↃC. LXII. VII. KAL. JAN.

VITAM. NOVAM. ANNUM. COELESTEM. ET.
KALENDAS. SEMPITERNAS. IMPOSTE-
RUM. VICTURA.
POSTQUAM. VIXERAT. HIC. DIU. ANNOS.
NEMPE. LXX. SED. QUOD. PALMARIUM.
EST. VIXERAT. DIU. BENE.
SIBI. BONIS. OMNIBUS. AMICISQUE. ET.
PROPINQUIS. AC. LIBERIS. IMPRI-
MIS. ET. CONJUGI.
DENIQUE DEO
A. QUO. CORONAM. SEMPERVIVAM. EX-
PECTAT.
INTERIM. NUNC. MULTORUM. LAUDIBUS.
CORONATUR. AVE. VIATOR.
UTQUE. IDEM. MEREARIS. VIDE.
VITA. MORTUORUM. FAMA. EST.

OSSIBUS. HIS. ANIMÆQUE. PIAM. DA.
CHRISTE. QUIETEM.
TUQUE. PRECATUS. IDEM. CARE.
VIATOR. AVE.

ERGA. BEATE. DEFUNCTAM.
SUPR. PIETATIS.
ET. ERGA. CLARISS. MARITUM.
DEBITÆ. OBSERVANTIÆ. CAUSSA.
CUM. DOLORE. POS.

V. P. H.

Fun-

FUnde pios queſtus, lugubria carmina funde,
Et lacrumabundos fac, Elegia, modos.
Poſcimur in luctus, ferales SCHRIMPFIA luctus
Imperat, heu fatis SCHRIMPFIA functa ſuis.
Functa ſuis placidè fatis, & quod pia ſolum
Poſſint, & capiant pectora, functa lubens.
Quas ego nunc lacrumas SCHRIMPFI, quæ triſtia verba
Effundam? cujus tota flet uſque domus.
Sed quorſum hoc etiam? Quorſum fleviſſe juvabit.
Et lacrumis lacrumas accumulaſſe pias?
Eſt aliquid, quod rapta boni præſentia lædit
Inſontes oculos immemoreſque ſui:
Sed menti haud moritur quidquam; memor illa ſuorum
Defunctis laudes reddere docta ſuis,
Æternæ meritis pandit præconia famæ,
Hæc poſt ipſa etiam funera vita manet.
Sed quorſum, pia Muſa, ruis? Quæ ſurgit imago?
Quæ ſubeunt animo nunc ſimulacra meo?
Lux tibi ſæva redit, SCHRIMPFI, lux ſæva relictis
Pignoribus, ſoli, SCHRIMPFIA, læta tibi.
Lux redit, & tumulus ſtat, pompa & rurſus eadem
Exequitur triſti flebile funus iter..
Templa iterum Themidos ſquallent, & nulla beatis
Caſtalidum rivis limpida limpha fluit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Jamque iterum Cirrham tremere, atque Helicona moveri
  Cernimus, & doctas ponere plectra Deas.
Et pictas humeris pallas, & frontibus aurum
  Demere, & undantes ungue notare genas.
Atque iterum Phœbo pro Daphne exoſa cupreſſus
  Nectitur, & triſtis tempora taxus habet.
Ipſa Themis verrens lugubri ſyrmate terras
  Triſtis ad exequias & pia ſacra redit.
Ingeminat veteres mœrens Aſtræa dolores,
  Et queis cum terras linqueret uſa fuit.
Hac tua fronte dolent dilecti vulnera SCHRIMPHI,
  Et merito tali fronte dolendus eras.
Interea Charites injuſſæ funus adornant,
  Jamque tuæ roſeæ ſunt Libitina fores.
Protinus alma Fides te, chara CORONA, coronat,
  Sertaque dat capiti non moritura tuo,
Nubila Spes etiam detergens fronte ſerena,
  Et pietas eadem munera ſumma ferunt.
Quas juxta Virtus gemit illibata, ſimulque
  Talia verba ferens Conjugialis Amor.
SCHRIMPHIA cara vale, atque externas læta Kalendas
  Nunc celebra, poſtquam ſic tua fata volunt.
Et ſatis eſt terriſque datum, chariſque propinquis,
  Quos tibi conjunxit, non violatus amor,
At tu qui ſuperas, & adhuc qui veſceris aura
  Hæreat hæc memori mente CORONA tuæ.
Scilicet illius ſemper te fata monebunt,

Rebus

Rebus ut in veſtris cuncta ruant ſubito.
Et quam non poſſis certas ſpondere Kalendas
Inſtantes quamvis per cita fata tibi.
Quisquis es, ô fragilem tecum perpendito vitam
Quam teris, & dices ſit brevis iſta mihi!
Labitur annus, abit menſis, luceſque recedunt,
Et ſupereſt, qui nos cônterat uſque labor.
Ut morbos taceam, & quorum meminiſſe malorum
Solum perpetuos cogit habere metus.
Ipſum quod nutrit necat, & quo vivere ſucco
Credimur, hic vires interimentis habet.
Atque ubi, quam paucis concedunt fata, ſenectam
Attigeris, ſenium jam tibi morbus erit.
Morbus erit, quem mors ſemper metuenda ſequetur.
Atque hæc eſt vitæ, ô homo, ſumma tuæ!
Non igitur vita eſt multos ex ordine ſoles
Cernere, & immumeros connumerare dies,
Queis tua continuo ſaltarint pectora motu,
Vinaque queis multos perdideriſque cibos.
Vivere condigne eſt operari, atque otia mors ſunt,
Et recte ex ſola mente putatur homo.
Recte igitur vives, animus ſi rite laboret:
Illud ut obtineas, ſit tibi CHRISTUS opus.
Hunc toto meditare animo fac, membraque CHRISTI
Qua poteris, fidus ſedulitate juva.
Sic juvenis moriens centenos vixeris annos:

Sin ſecus, ipſa etiam mors mihi vita tua eſt.
Quam bene noſtra igitur, quam ſancte SCHRIMPFIA vixit,
Cujus creverunt cum pietate dies.
Quæ nunc his erepta malis ſine fine triumphat,
Et ſecum plaudens talia verba facit.
Terra vale, conjuxque vale, vos chara valete
Pignora, habet teſtes quos ſibi noſter amor.
Aſt ego nunc abiens ad avos atavoſque recedo
Vos viſura iterum, cum bona fata volent.
SCHRIMPFIA ſic Nos, quod ſupereſt, bona verba ſepulchro
Scribemus, maneant hæc bona verba diu!

QUAM. VIRTUS. CHARITES. ET. QUAM. FLEVERE. CAMOENÆ.
QUAM. PIETAS. ET. SPES. ET. BEAT. ALMA. FIDES.
HIC. POSUIT. QUIDQUID. DE. TERRA. SCHRIMPFIA. SUMPSIT.
DE. COELO. QUOD. HABET. COELICA. TECTA. TENET.

Talia conjugialis Amor, Clariſſime SCHRIMPHI,
Quæ Tibi quo potis eſt, dat mea Muſa pede.
Non tantum ſumptura ſibi, Tua prodiga quondam
Si foret in luctus officioſa ſuos.
Quæ quoniam tanto nunc torpet muta dolore,
Noſtra, precor veniam, debuit eſſe loquax.
Siſte pios queſtus, lugubria carmina ſiſte
Et lacrumabundos ſiſte, Elegia, modos.

THE-

THEMIS DEVOTA GOTHOFREDO MELMIO DUSSELDORPIO-MONTANO

ILLUSTRE CONSILIARII MUNUS

AB INCLYTA NATIONE GERMANA,

Philoſ. Medic. & Theolog. quæ Patavii eſt, oblatum acceptanti.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

THEMIS DEVOTA.

QUIS mihi, quis tanto pulſat præcordia motu
Impetus, atque novi conturbant ima furores?
Rurſum, Phœbe, redis: rurſum ejurata reverti
Calliope placuit? mentemque minoribus aptam
Vix ſatis, excelſo tumidùm vis ire cothurno,
Et nimis exiles in grandia pellere vires?
Sentio quo cogas: quæ cari gloria MELMI,
Et digno collatus honos præconia poſcat:
Sed fruſtra es, longoque ſitu torpentia fruſtra
Corda moves, animumque jacentem in carmina tollis.
Ergo pro tantis meritis indictus abibit
MELMIUS, ingratoque fovere ſilentia ſemper
Conceſſum tibi faſque putas? Quin protinus omni
Tu ſegnem depelle ſitum, depelle veternum
Pectore, quoſque damus quantum potes accipe motus.
Quo licet ore canas, certe ceciniſſe juvabit.
Sic Pindo quæcunque favet bona turba Deorum
Augurat, & ſpondet perſpecta modeſtia MELMI.
Incipe, ſponte ſua venient in pectora ſenſus,
Incipe, ſponte ſua venient in carmina verſus.
Candida lux aderat, lux ſacratiſſima Pindo,
Et jam feſta dies ad culmina ſumma vocarat
Cœlicolas, queis doctæ artes, queis carmina curæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Prodit pompa Deûm, procedenſque agmine
longo
Fortunata cohors Phœbo Phœbæa frequentat
Templa Duce, & gravidas donis concedit ad
aras.
Quæ nova majeſtas Templo, quam fulgur ab
omni
Parte micat, ſplendore novo quam tota coruſ-
cant
Atria, quam ſeſe maiori lumine complent.
Non ſecus ac teneras prima cum nocte per um-
bras
Heſperus aurato componit ſidera cœlo,
Et variis totus radiis collucet Olympus.
Jam ſolio Pæan medius ſublimior alto
Sederat, & doctus complerat tecta Senatus.
Jam ſua pro ſolito feſtæ ſolemnia luci
Munera reddiderant cuncti: pia carmina, laurus,
Plectra, hederas, & ſcripta æternis vota tabellis.
Continuo Divos ut circumſpexerat omnes
Cirrhæus, placido tranquilla ſilentia nutu
Imperat, & fatis felicibus ora, reſolvit:
Quo tandem hanc digno lucem claudemus ho-
nore
O ſuperi, feſtis aliis, quæ vota diebus
Undique ſufficerent, data ſunt: hæc aurea
lux eſt,
Præ cunctis mihi cara aliis, vulgaria ceſſent
Officia, accedantve novis: felicior illa
Non ſurget, Parnaſſe, tibi: Non illa refulſit,
Quin nova per totum penetrarint gaudia Pin-
dum:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Hæc quoties fauſto doctiſſima pectora partu
Edidit, aut doctos ad lumina noſtra libellos
Attulit, aut digna noſtris conceſſit alumnis
Proſperitate frui, meritas in tempora laurus
Aut hederas donans, Regumve Ducumve favores!
Quin hodierna etiam (nec me præſagia fallunt,
Aſtraque fatorum certos ſignantia motus)
Haud nobis ſpernenda dabit. Nec plura locuto
Tradit, Atlantiades compacta volumina cedro
Ex adytis portata imis. Divinior illi
Cedro ſplendor erat, Phœbique à fronte recepto
Clara repercuſſo ſpargebat lumine Templa.
Signabant extrema notatæ adamante figuræ
ANNALES PATAVINI: haud illo gratior alter
Parnaſſo codex. Quoties aut feſſa canendo
Pectora mulceri, gravibusve exercita curis
Solari placet, hic foliis collucet apertis,
Attentiſque animis digniſſima facta leguntur.
Quippe Antenoreis quæcunque geruntur Athenis
Auratis ſtant ſcripta notis. Formantur in auro
Nomina Rectorum, & parili ſignantur honore
Quorum has eſt præſtare vices: hinc Natio fulget
Quælibet, & doctis quorum communia regna
Conſiliis ſtant atque vigent: ſed maxima lux eſt
Germanis, primi primo fulgore coruſcant,
Prima tenent variis inſignia picta figuris.
Hæc igitur placido dum luſtrat lumine Phæbus,
Ecce recens fulvo rutilat GOTOFREDUS in auro,

Et ſimiles MELMI deſignant nomina ſulci.
Cæruleoque nitent inſignia picta colore,
Teſte pudicitiæ, & quam ſancta modeſtia pectus
Devotum decoret, ſtrepitus exoſa ſuperbos
Et tumidos faſtus. Sic nullas purior æther
Admittit nebulas æquali hinc inde ſereno.
Hyblææ juxta volucres viſuntur in illo
Quem dedit Altitonans meritis majora colore:
Perfectæ numero, perfectæ emblemata mentis,
Et divina tibi quam ſe ſapientia dulci
Eloquio conjuncta, & ſedulitate perenni
Aſſiduo tractata, indulſerit uſque docentes.
Quin licet hic etiam nigricantes cernere normas,
Signa æqui juſtique, tuis diſtinguere curis
Quod ſatages, MELMI. Sic quæ ſtant caſſide regni
Signa jubent. Regnantis honos amor unicus æqui eſt.
Quæ vero geminas pennæ criſpantur in alas,
Illis Fama volans ſuper æthera,tranſque rigentes
Vecta Alpes, celebres veniens prope Teutonis arces
DUSSELDORPIACIS pandet nova gaudia tectis,
Et tibi, Rhene pater, quæ tu bene fidus amicis
Fluminibus, quique ingentem circumſonat orbem
Oceano reddes. Sic clari nomina MELMI
Noc ſecus ac undæ cunctas labentur ad oras,
Ad geminoſque Polos, geminoſque ferentur ad Indos.
Ut ſatiati oculi, novitaſque exempta videndi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Laudantur voto communi ſigna, ſacriſque
Pindi digna tholis plauſu celebrantur oborto.
It clamor, fauſtiſque ſonis pia templa moventur
Gratantum, & MELMI felicia fata cientum.
Interea doctos concors diſcordia Divos
Exagitat cunctos, dum quiſque ad ſidera, MELMI,
Te tollens, ſibi Teque, tuoſque adſcribit honores.
Hic eſt noſter amor, caſtiſſima turba Camœnæ
Unanimes clamant, illi de matre cadenti
Excepto noſtris implevimus ora fluentis.
Conſcius hoc Pindus, ſanctæ hoc Parnaſſidos undæ
Norunt, & templa hæc, & quas hic cernimus aræ.
Non aliter Charites dictis communibus inſtant:
Nobis iſta dies, nobis hæc gloria MELMI,
Communiſque favor totus concedat oportet.
Nos cum matris onus nondum Lucina beatum
Solveret, arcanos in pectora dia tepores
Miſimus: hinc animi vigor hic, pacataque virtus,
Hinc facies hilaris priſco permixta ſevero,
Et cunctis laudanda decoræ frontis imago,
Et quæ plura placent cautis, faciuntque probari
Omnibus ex æquo, impulſuſque favoribus addunt.
Hæc Charites: contra baculo qui ſuſtinet angues
Tendit uterque Deus. Medicas ille evehit artes,
Herbarum celebrans vires, & multa profundo

Quæ

Quæ condit Natura ſinu: quæ corpora ſanent.
Diverſoſque queant animorum inducere motus.
Hic citat eloquium, & quæ ſit præſtantia verbis,
Et quantum valeant facundæ in pectora linguæ.
Et tamen huic ſeſe committere nata Diones
Audet, & hanc ipſi tentat prævertere palmam.
Verum præ reliquis ſe tollens flava Virago
Noſtrum hoc eſt inquit, ſacra quod prudentia pectus
Complevit tibi MELMI, hoc regna capeſſere docta
Te fecit, fecitque tuo placuiſſe Theatro.
Noſtrum hoc munus habes, noſtra hæc palmaria laus ſit.
Tandem mota Themis: Studio certatis inani
O ſuperi, nobis hæc ſeſe gaudia debent.
Nobis, ſideros motus ſi cernitis, olim
MELMIUS ortus erat, primi cunabula parvo
Nos dedimus, teneriſque appreſſimus ubera labris.
Et ni fatum aliud voluiſſet, & Anguiger illum
Invitæ rapuiſſet, haberem nunc quoque magnum
Qui regat imperium: nunc hæc compendia præſtant.
Sic ait, atque viri famam, atque extollere mores,
Natalemque diem, & tranſactæ tempora vitæ,
Incipit. At Phœbus: Non illi talia luci
Conveniunt, nec Diva tibi: Nos illa canemus
Longius, & læto narrabimus omnia Pindo,
Expectata dies ubi ſurget, textaque noſtris
Lau-

Laurus inumbrabit cum MELMIA tempora
dextris.
Quos ego tunc cantus, & gaudia quanta movebo,
Quanto iterum juncti feriemus ſidera plauſu!
At nunc ſollicitis onerabimus æthera votis,
Quæ, Themi, tu ſolves: etenim tu ſola gubernas
Imperia, & juſto ſervas moderamine mundum,
Nec pereat nimio inter ſe diverſus iniquo.
Ut litem Superum ſententia juſta diremit,
Ecce Themis plenis veneratur lancibus aras,
Aras quas viridis præcinxerat undique Daphne,
Et palmæque, oleæque, & flores mille colorum.
Hinc ubi templa videt grato fragrantia fumo,
Et flammas lucere pias, hæc læta profatur.
Audiat hæc æther dicta, & quod ab æthere Numen
Reſpicit huc, pulſentque polum non irrita vota,
Audiat Altitonans, MELMIQ; ſecundet honores,
Et faveat Parnaſſus, & hic quotcunque ſedetis
Alma manus Parnaſſi, animis linguiſque favete.
Et tu quæ toto fulges celeberrima mundo
URBS VENETUM, Hadriacus cui ſe ſubmitere Nereus
Geſtit, & edomitis placidum interlabitur undis,
Urbs antiqua, viris, & libertate vetuſta,
Et priſca virtute nitens. Quod ſufficit Orbi,
Indulſit Natura tibi: Fortunaque totam
Heic ſe conſumſit: Quod pulcrum, quodque decorum eſt,
Heic omne eſt: Apprime tamen favor unus abundat,
Quo

Quo tibi noſter honos, & Pindi jura foventur.
Hac tu perge, precor, propria virtute triumphans
Æternnm, creſcat porro Germana ſtudentum
Te nutrice cohors, patriaque à ſede recedens
Æmula turba frequens Patavinas viſat Athenas,
Læta ubi tranquillæ producens gaudia vitæ
Candida Caſtaliis irroret pectora ſuccis.
Sic ſeu pace viges, ſeu tu victricibus armis
Imperium pelago, & Lunis crudelibus infers,
Verticibus noſtris prudentia veſtra canetur,
Celſaque laudati pulſabunt aſtra triumphi.
At tu, ô Juvenum Germanica turba medentum,
Fortunata vige, felicibus utere fatis,
Auſpicio MELMI longa ſub pace quieſcens.
Quanquam iterum diro tibi patria cara Gradivo
Ingemat, atque tuis rurſum, Bellona, flagellis
Sanguinolenta, iteret veteres lacrymoſa querelas.
Hæc quoque concedent fatis mutata benignis,
Reddeturque quies. At vos concordia vinclis
Conjunctis ſincera liget, nec Corpore in uno
Diverſi, gemino quamvis ſint vertice, ſenſus.
Hæc, MELMI Te Cura manet, clariſſime MELMI,
MELMI, noſter honos, ſancti ſpes aurea Pindi,
Deliciæque poli, quam nos ſecreta bearunt
Gaudia collatos tibi dum gratamur honores,
Quam tamen hæc etiam numero duplicata redibunt,
Cum Phœbo laudata dies in tempora Daphnen
Fle-

Flectet, & albentes intexet Pallas olivas.
Tunc nova materies laudum haud vulgata patebit,
Complebuntque novi Parnaſſia culmina plauſus.
Interea, ô iterum MELMI laudande, valebis.
Vives, multa geres inſigniter, ordine longo
Quæ merito veſtri ducant in ſecula faſti,
Atque imitanda tuis quæ ſucceſſoribus inſtent.

SENTENTIA
APOLLINIS DICÆI,
Judicis compromiſſarii in cauſſa
THEMIDIS ET ÆSCULAPII
Publicata
In honorem auſpicatiſſimum
LAUREÆ PHILOSOPHICO-MEDICÆ
GODOFREDO MELMIO DUSSELDORPIO-MONTANO
In Archi-Gymnaſio Patavino collatæ.

FErvebat Parnaſſus, & alta biverticis acres
Verſabant collis ſtrepitus, agitataque Divum
Numi-

Numina diſcordi turbabant cuncta ſuſurro.
Inſequitur varius clamor, nemora alma moventur
Aönidum, gliſcit vehemens diſcordia, gliſcit:
Sanctaque diverſi quatiunt laureta boatus.
Cum Divum interpres greſſu feſtinus anhelo
Siſtitur, & celſum ſolito de more tribunal
Admonet omiſſo Phœbum conſcendere cantu:
Sic primos Pindi perhibens ſic poſcere Divos.
Nec mora: conſurgunt alacres, ſtudiumque relinquunt,
Plectraque projiciunt Divæ, & comitantur euntes.
Commotum novitate ducem: ſolio ille repoſtus
Sublimis ſedet antiquo, venerabilis omni
Unde micat Pindo longe lucentis imago,
Dictaque communes pulſat ſententia ſenſus.
Occupat huic dextram cœli prudentia, Pallas,
Atque ſiniſtra tenet niveo velamine Candor.
Accedunt partes, quales non curia Pindi
Hactenus, aut ipſus meminit ſe judice Phœbus
decertaſſe umquam. Seſe Themis aurea ſiſtit,
Triſtitiam formans vultu, immanemque dolorem,
Inque ſinus Phœbi lances deponit & enſem.
Inde Coronides paribus veſtigia curis
Figit, & adiungit ramum quo ſuſtinet angues,
Et medicas denſo deſcriptas codice leges.
Uſque adeo ambobus Phœbi ſubmittere certum eſt
Judicio ſtudiumque ſuum, totumque decorem.
Exhorrent Superi, atque novus ſtupor occupat omnes,

Vixque ſibi credunt hæc tam nova vera videri.
Dumque emirantur, dum vocem cordę prementes
Multa putant taciti ſecum,& committere Divos
Quænam debuerint incerto murmure lites
Rimantur, fixique huc illuc frontibus hærent:
Prima Themis ſic orſa loqui eſt. Sanctiſſime Divum,
Doctrinæ qui regna tenes, placidoque gubernas
Virtutum genus imperio: quem cuncta ſcientum
Agnoſcit pia turba patrem: me quæſo benignus
Adſpiciens, ſortemque nimis miſeratus iniquàm,
Exaudire meas ne dedignare querelas.
Illa ego, quæ quondam magni matrona Tonantis
Imperio metuenda meo ſupera alta regebam,
Poſtquam humiles ſumens curas mortalia prenſo
Sceptra manu, & natæ cœleſtia jura relinquo,
Terrenis contenta malis, vix iſta quieti
Ut cupio conceſſa meæ nunc tuta guberno:
Et niſi jam prohibes, etiam illa relinquere nato
Regna tuo cogar:jamque is moderabitur orbem,
Atque ego pulſa locis tandem præponar Avernis.
Nempe vides, quos turba ipſum numeroſa ſequentum
Concipiant animos, quis ſpiritus intima verſet,
Quanta ſibi noſtris vix concedenda requirant.
Jam ſibi Principibus ſimiles, ſummoſque videntur
Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Exæquare Duces, (a) Regumque adſcendere culmen.
Quas ego communes aras, communia templa
Enumerabo tibi, (penitus namque omnia noſti,)
Quæ vel ſolus habet, vel certe haud partibus æquis
Dividit. Ipſe etiam ſolus Patavina tenebit
Templa brevi, & numero hic cultorum præſtat, & aris
Jamdudum. At vero quod ſummum, quodque dolendum eſt,
Infandumque, ſacroque indignum nomine Pindi,
Ipſe loci primi, & primæ ſibi laudis honorem
Affectat, totaque ſua adſtipulante caterva
Inſurgens Medicæ, res ô nova! poſtulat arti
Submittat tremulos Juriſprudentia faſces.
O ſuperi, quos tecta tenent radiantis Olympi,
Hoc prohibete nefas, & triſte avertite fatum.
Noſque omnes, quos alma tenent hæc culmina, Divi,
Communi voto decus hic defendite noſtrum.

Im-

(a) *Vid. Andr. Barbatiam. de præſtant. Cardinal.* §. 40. *ubi adducto textu l. un. C. de Comit. quem dicit ſingularem, Medicum Principis habere dignitatem aſſerit, qualem habent Duces. Bartolus vero ad h. l. docet quod Medicus Papæ, vel Principis æquiparetur Ducibus, & Vicariis Principis, & obtineat locum Comitis primi ordinis. Inſpice ſi lubet Chaſſanæ. Catal. glor. Mundi part.* 10. *Conſid.* 25. *ubi citat Barbatiam in c. cleric. de Judic.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Imprimis tu Phœbe, beati gloria Pindi,
Hoc equidem, ſi juſta precor, ſi nulla venenis
Hocce tuum, ut perhibent, potuit fœdare tribunal
Dira Erebi peſtis: ſi me moderante ſuperna,
Ipſe novercales, res cœlo rara! favores
Te memor es ſenſiſſe, unum hoc pro munere dona,
Ut liceat ſermone meo nunc longius ire,
Atque imis effari animis, & promere ſenſa
Pectoribus: liceat mihi toti exponere Pindo
Jura mea, & noſtris quæ ſit præſtantia curis,
Et quam Phœbigenam ſuperet Themis: hoc mihi fas ſit,
Et tua ſancta mihi fuerit ſententia ſemper,
Et lis hæc hodie quocunque in fine quieſcet.
  Principio haud repetam multis, nec longa retexam,
Quod fuerim Regina poli, quod filia nutu
Rexerit inferiora meo, cum ſecula curſu
Felici puro lucerent aurea mundo.
Tunc nondum tu natus eras, Epidaurie, nondum
Ille tuæ fuit artis honos: mea Delphica tellus
Nunc data Phœbe (b) tibi, & Larnaſſus (c) templa colebat.

Nem-

(b) *Themidos olim fuit templum Delphicum, Phœbo poſtea conceſſum. v. Cœl Rodigin. antiqu. lect. lib 16. cap. 19.*

(c) *Antiquitus ita dictus, vel à Larnaſſo quodam, uti probat Natal. Com. vel* ἀπὸ τῆς λάρνακος. *Celebre hic templum Themidos, unde reſponſum accepit Deucalion, Ovid. 1. Metam. Pauſan. in rebus Atticis, à Parnaſo Cleodoræ Nymphæ filio poſtea dictus Cœl. Rod. l.c. & lib. 8. cap. 16. &c.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Nempe ſuis contenta bonis gens juſta degebat
Innocuam vitam, nec cædem aut vulnera norat,
Tentabatve avido naturam vincere luxu.
Hinc neque Pœoniis macerabant viſcera ſuccis,
Sed ſecura quies largas in pectora vires
Fundebat, mentiſque vigor tranſibat in artus,
Junctaque longævos virtus durabat in annos.
Nec mors tunc metuenda fuit, mollis ſopor illos
Preſſit, & Elyſiis redivivos intulit agris.
En tibi quas habeant Themidos moderamina
vires!
Poſtquam hæc mutarunt, & deteriore metallo
Stamina duxerunt Parcæ: ſcelerataque diras
Gens meruit pœnas, flammis delenda vel undis,
Et nova projectis ſurrexit ſaxea petris,
Duritiemque ſuo retinens à ſemine proles
Noluit Aſtreæ dictis molleſcere natæ,
Meque Polo exire ipſa adventante coëgit:
Omnia ſunt ſancti perfracta repagula juris,
In ſcelus omne itum eſt: miſcere venena no-
vercæ,
Atque inferre feræ crudelia vulnera dextræ.
Tum demum, & varias mortem didicere per
artes.
Ergo pallentes morbi, & nimis ægra Senectus,
Et vigiles Curæ & Peſtes, Lethumque, laborque,
Ex adytis Erebi funeſto examine terras
Emiſſæ implevere: Tuis hinc eſt data curis
Materies tandem, hinc tibi templa aræque ſa-
crantur.
Ergo vides, quantum noſtræ tua præſtet origo,
Et quam jure tuo, vix ſerius addite cœlo,

Nunc mea ſollicites æternæ Numina Divæ.
Sed forſan reputes alienum, exordia, & annos,
Præteritique diu celebrare encomia fati,
Muniaque ambobus data nunc præſentia malis
Contendi, atque quibus regimus mortalia, curas.
Sic etiam vincere, licet vernantibus herbis,
Aut ſiccis tenues poſſis deducere ſuccos
Vulcano varias illas recoquente per artes,
Et docta miſcere manu, atque his addere multa,
Aut undis quæſita, imis aut eruta terris,
Eque cadaveribus putentum rapta ferarum:
Quorum ope diverſos ducens in viſcera motus,
Et plenam congeſta ingluviem vacuare ſaburra
Et longo partas luxu depellere febres
Corporibus poſſis, vel vulnera ſæva mederi.
At mea majores exercent pectora curæ,
Rudera ſuſtineo, tueorque labantia mundi,
Sæpius effætas vires, & ſemina priſcæ
Virtutis renovans: conjungo fædere gentes
Nunc has, nunc illas. Per me pax redditur orbi,
Clauſis bellorum portis, redduntur amores
Mentibus antiqui, & veluti communis origo
Materieſque eadem, atque ejuſdem particula auræ
In vitam conceſſa facit diſcrimine nullo
Cognatos ſibi naſci homines, (d) ſibi reddere jura
Per me ſic fratrum, & cognatum more docentur.

His

(d) *Ita Florentinus l. ut vim. 3. ff. de Juſt. & Jure. Et cum inter nos cognationem quandam natura conſtituerit, conſequens eſt, hominem homini inſidiari nefas eſſe.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

His adeo vinclis non diſſoluenda ligantur
Imperia: his animi Regum nectuntur, & ima
Abjecti de plebe viri: ſociantur & urbes
Talibus, atque domo multi junguntur eadem.
Atque utinam hæc numquam triſtis mihi rumpat Erinnys,
Firmaque crudeles abſolvant fœdera pugnas,
Nec nova perpetuo verſet diſcordia mentes!
Nulla Machaoniæ vexarent corpora curæ,
Et nullum acciperet medicata ligamina vulnus:
Almaque pax lætos regeret, contentaq; ut olim
Simplicitas aleret ſanas cum corpore mentes.
At nunc queis licet auxiliis, queis artibus, ægro
Ad minimum extremam mundo defendo ruinam,
Et ne corripiant animas contagia puras
Imprimis ſtudioſa veto: infectaſque ſaluti
Reddo ſuæ, terras cogens excedere peſtes.
Nempe tuis tantum noſtra hæc medicamina præſtant,
Quantum corporibus mentes, cœleſtia terris.
Nec noſtra hæc præcepta latent, aut morte probantur
Multorum, aut ſectis ex arte leguntur in extis.
Hic prima cum luce orientibus inditus ordo,
Invitos etiam comitatur: ſpretaque mille
Mille modis trepidas innata ſcientia mentes
Natura cruciat recitante, & conſcia veri
Pectora ſecretum pulſat. Non illa negare
Attinet, aut dubiis niti confundere rixis:
Cunctis juſta patent, & nullo interprete quamvis
Dictante, a propria victi ratione docemur

Quæ tu detrectes, alios incommoda nolle,
Et quæ tu cupias, alios quoque commoda velle.
Hæc æterna manent certi diſcrimina juſti,
Hæ leges nullo cupiunt adamante notari,
Aut ſculptæ cedris, Pario vel marmore, in annos
Servari ſeros: ſignatæ in cordibus imis
Sæpe renaſcentes propria virtute perennant.
His fundamentis priſci mandata Solonis,
Et Thracis pariter nituntur juſſa Licurgi,
Et quæcunge aliæ per vaſta volumina leges
Stant ſparſæ, huc recidunt. Nempe hæc præcepta per omnes
Diviſæ rerum varias imitamine formas
Effingunt ſpecies: alio ceu corpore, quamvis
Nil mutata alias dat linea ducta figuras.
Hæc ego prudentum per candida pectora, perque
Regum corda Ducumque ſerens elementa recondo
Mixturis variata ſuis: hinc cuncta reguntur,
Proque meo ſubjecta tenent dictamine ſenſus,
Atque uno totus moderamine nititur orbis.
Sed quid regnatas ego longa recenſeo terras,
Cœlorum momenta tacens? Mihi paret Olympus,
Et mihi per natam cœleſtia jura tenentur:
Et per me ſolam Rex cœli Juppiter ipſe
Juppiter eſt, per me ſtellantem juſtus Olympum
Imperio regit, & fatalia ſidera torquet,
Exauditque preces, æquaſque in crimina pœnas,

At-

Atque in virtutes juſtiſſima præmia ponit.
Nec ſibi tam templis, aut fulminis igne triſulco,
Quam juſti ſibi laude placet. Nempe inde bonorum
Summa venit, totoque timenda potentia cœlo.
Jam tu, Nate Deo, ſatagas exponere multis,
Atque probare tuis, Cœlum, Titaniaque aſtra
Quæ vis convolvat, quiſve intima nutriat ardor,
Quid cogat nubes, & denſos concitet imbres:
Quid generet ſtellas crinita luce minantes.
Denique componant quæ res elementa creatas
Et fugiant craſſos exilia corpora ſenſus, (e)
Nec niſi jam variè poſſint compoſta videri,
Aut tangi: ratione tamen ſolvantur, & omnes
In motus, numeroſque ſuos, primaſque figuras
Ducantur, varioque ſitu remorata quieſcant.
Hæc tu mille tuis doceas rimanda per artes,
Hactenus haud audita etiam miracula narrans.
Adjiciaſque licet, ſubitis quæ corpora morbis
Præſervent, lethoque, & lethi limine ab ipſo
Quæ revocent mentes, & priſca ſede reponant,
Ut tecum poſſint ſibi fulmina juſta mereri.
Aſt ego divinum decus, æqui & juris amorem
Exprimere humanas, qua fas ſit imagine, mentes
Erudiam. Illa magis ſapientia ſancta juvabit
Felices animas. Illam qui pectore geſtat,
Errabunda ſatis ſecurus negliget aſtra,
Fatorumque vices, & quod fortuna bonorum
Vel natura dabit, rectos adhibebit ad uſus,

(e) *Particulæ Carteſianæ, ad quarum virtutem nec Epicureæ, nec Democriteæ, nec Anaxagoreæ antiquæ acceſſerunt.*

ipſe ſibi atque aliis juſti lagitor & æqui,
Vel nihilo contentus, egeſtatemque, famemque
Et morbos, mortemque immoto pectore temnens,
Inque malis gaudens, atque ipſa in morte triumphans,
Parte ſui meliore, & qua datur eſſe, ſuperſtes
Æterna moriens ſuperabit ſidera fama:
Et ſummo reſidere polo dignabitur, inter
Quos olim in terris referebat imagine Divos.
Ecce Tibi ſummam noſtræ virtutis, & artis.
Hanc tueare precor: vel ſi quid pandere majus
Te natus poterit, non ultra exire recuſo
Tellure, & mecum cœleſti ſede relicta
Filia nigranti loca nocte ſilentia viſet.
Nullaque jam poſthac concordia, nulla ligabunt
Jura feras gentes, mecum diſcedet Honeſtas,
Auffugietque Pudor; miſcebunt infima ſummis
Effrænæ mentes, & debacchata per orbem
Alecto, & Stygiæ confundent cuncta ſorores.
Ergo Lycaoniæ menſæ, cœnæque Thyeſtis,
Tantaleæque dapes, & fercula dira redibunt:
Cogeturque iterum trepidos Sol condere vultus.
Et Tityus non unus erit. Salmonea rurſus
Cernetis jactare protervis fulmina dextris.
Incumbetque iterum commotæ Pelion Oſſæ,
Et veteres infanda iterabit Phlegra tumultus.
Nemo colet precibus ſuperos, vel meſſe Sabæa
Victima nulla cadens ſquallenteis imbuet aras.
Juppiter ipſe preces ultra exaudire recuſans
Continuo ambuſtas abſumet fulmine terras.
In-

Inque chaos primum tota compage ſoluta
Deſinet immenſi collabens machina mundi.
Scilicet his Epidauro ortus medicamina morbis
Exitiiſque modum ponet, collyria mundo
Atque emplaſtra ferens, poterit defendere fatum,
Et ſolus vacuum poſthac regnare per orbem.
Hæc Themis, & facto dicendi fine quievit,
Cumque dolore gravi vocem indignata repreſſit.
Quam contra ingemuit, torvoque Epidaurius ore
Reddidit hæc: Quoniam, Themi, nunc conamine tanto
Diſceptare lubet, ſævaſque ciere querelas,
Et mihi liberior data ſit, peto, copia fandi,
Phœbe pater: multis pauca & graviora reponam;
Poſtquam tota meas Parnaſſi curia laudes
Concinit, & dudum ſolitos felicia fines
Egreſſa invidiam Themidos mea fata merentur.
Scilicet à prima dum conſtat origine mundus,
Factaque dum ſuperas tangunt mortalia mentes,
Cultores habuiſſe licet, ſemperque licebit,
Quos ultro ſua fata vocant. Præſtantia Divos
Quippe hæc ſola beat, ſanctoque adſcribit Olympo,
Et laudes facit, atque aras, & templa mereri.
Et quo noſtra magis virtus ſe oſtenderit orbi,
Hoc magis excreſcunt, augmentaque debita ſumunt.

 Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Non hæc invidia, non hæc onerare querelis
Debueras, Themi ſancta, tuis. Sin exigis, artis
Æmulus ut tecum repetam præconia noſtræ:
Numquam Pæoniæ concedent legibus artes,
Atque ego te quovis commiſſus judice vincam.
Sic Tu Diva licet, ſis vaſto antiquior orbe,
Connubioque olim fueris conjuncta Tonanti,
Poſtquam ita tunc rerum immutabilis ordo volebat,
Nec licuit pugnare illi. Non iſta nocebit
Propterea nobis duri inclementia fati.
Quippe ego non potui naſcendi tempora, & ortus
Anticipare meos: potui tamen addere cœlo
Nomen, & invitis tranſcendere ſidera fatis.
Cætera quid multis operoſus dicta refutem?
Nempe ego quo ſolas relevem medicamine pœnas
Sum datus: haud pugno, maneatque hæc unica laudis
Summa meæ. Nil tam præſens agnoſcere Numen
Fecerit, & ſolis propria eſt clementia Divis.
Sed quod crudeles denſantur in omnia pœnæ,
Hoc Themidos donum eſt. Nempe hæc immitis in omnes
Effingit tormenta modos. Hac ſanguine leges
Scribebat dictante Draco. Sævire flagellis
Hæc jubet, & diro compeſcere crimina ferro,
Et ſontes animas puris immergere limphis:
Culeus hac, laqueique hac inventrice parantur,
Quæque nimis miſeras deturpant ſtigmata frontes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Inque cruces agit hæc, & vivos ignibus urens,
Aſſidua mundum funeſtum ſtrage cruentat.
Sunt mites nobis animi, deponimus iras
Ocyus, & faſſis faciles ignoſcimus ultro.
Hinc numeroſa cohors nobis manſueta clientum:
Te fugiunt omnes, immania regna peroſi,
Atque horrent tantos, deteſtanturque rigores.
Attamen hiſce tuis mundi ſtat machina curis,
Et magna imperia, & gentes, urbeſque, domoſque
Jure tuo socias. Te conſervante ſalubres
Effundunt juſtæ vires in corpora mentes,
Et quovis fugiunt diræ de pectore peſtes,
Et pax alma redit, concordia priſtina ſurgit
Mentibus, unanimeſque iterum renovantur amores.
O ſi facta Tuis lucerent congrua dictis,
Nec ſolis ſtaret celebrata potentia verbis:
Quam tua te merito reverentia ſancta maneret,
Complerentque tuæ mundum præconia famæ!
Nunc quoniam hæc ſomno, volucrique ſimillima vento
Dicta volant, ſtudioque nimis luctaris inani:
Indomitus ciet uſque furentia pectora Mavors,
Et ſcelera abripiunt, & fæda per omnia ducunt,
Diraque ſejunctos agitat diſcordia ſenſus,
Nec leges ultra curat veſana libido:
Laudatæ ceſſant vires, Tua gloria ceſſat,
Teque magis tua regna potens exercet Erinnys.
Hæc defende Tibi, cumque illa jurgia jacta,
Et repete tua ſceptra, & docta volumina pande,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Enumera leges. Sin immutabilis ordo
Obſtat, & arcani verſantes omnia motus:
Ne pugna, fatiſve vias occludere tenta,
Et quæ regna tenent, quæque auxiliaria tantis
Peſtibus occurrunt ſine numina mundus adoret.

Vos ergo ſeptem gelido quos axe triones
Quos rate viſendos luſtrat fulgentior Argo,
Quoſque calens medius terrarum continet umbo,
Nos colite, & noſtrum manibus rogitate ſupinis
Auxilium, noſtras incendite honoribus aras.
Namque meis promptas monitis ſi traditis aures
Conſtabunt veſtris ſemper medicamina morbis.
Non equidem faciles adeo, nulloque labore
Quærendos auſim tantos promittere fructus.
Nempe ſuo (ſic fata volunt) ſudore parantur
Præclara: In nullas deducunt ocia laudes.
Non ego quæ per ſe pateant, naſcentibus ortu
Quæ primo cunctis dictat natura docebo:
Obvia res & trita nimis, memorandaque ſolis
Queis hebetes multa nigrant caligine mentes,
Et queis lethæa obfuſcant oblivia ſenſus.
Numquam hæc effugient animos dictamina cautos,
Nec repeti hæc curat ſapiens, ſibi figere leges
Doctus, & arcana juſtum deſcribere norma.
At vires quæ ſint quas tellus educat herbis,
Innumeras numero: quæ reddere robora nervis,
Quæ valeant imis educere noxia fibris,
Hæc latet, & ſolis conſtat prudentia nobis.

Non

Non hic invita luctanteis prendimus aure, (f)
Nec manus injicitur rebus, (g) jactuve lapilli,
Infeſtatur opus; (h) non hic dimittitur Orco
Libertus; (i) non hic ſtudio certamus inani

(f) *De more rapiendendi in jus, auricula vellicata, res notiſſima eſt. videſis Acron. & Porphyrion. in Horat. lib. 1. Sat. 9. Hinc anteſtari. Adrian. Turneb. Adverſ. lib. 28. cap. 14. Hotomann. Antiquit. Rom. lib. 1. adde Roſin. & Cujac. Obſervat. lib. 7. cap. 16 Ludovic. Carrion. Antiqu. lect. lib. 2. cap. 12. Rævard. in L. L. XII. Tabb. cap. 5. Plaut. Curcul. Act. 5. Sc. 3.*

(g) *Rei vindicatio per manus injectionem fiebat antiquitus, cujus argumenta extant in l. ſed ſi 10. §. proſtituta 1. ff. de in jus voc. l. Titius 9. ff. de ſerv. exp. l. cauſam 20. §. 1. ff. de manumiſſ. l. imperat 7. Qui ſine manumiſſ. l. 1. §. ſimili 4. C. de Lat. lib. toll. l. ſi ut manus 2. C. de Serv. exp. ubi adde Dd. & Comm. & Macrob. Saturn. lib. 3. cap. 7. Quintil. 7. c. 7. Ovid. Amor. 2. Eleg. 4. & alios.*

(h) *Novum opus nunciabatur jactu lapilli conſule l. de pupillo 5. §. meminiſſe 10. ff. de nov. op. nunc. l. 1. §. ſed & ſi. 6. ff. Quod vi aut clam. & l. vi facit. 20. §. 1. eod. tit. l. & ſi forte 6. §. 1. Si ſerv. vind. ibique Dd.*

(i) *Orcinus libertus, de quo vid. multum apud Barn. Briſſon. de V. S. lib. 13. & Cujac. lib. 3. Obſerv. cap. 3. ubi leges plurimæ adducuntur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Antenuis vili cedat pictura tabellæ: (k)
Vel quo ſtilla loco cadat, (l) aut quæ cætera juris
Ambigui, in magnas ducunt certamina nugas.
Seria tractamus. Quidquid complectitur orbis,
Quæ cœlum, quæque aſtra ſuperſtant omnia, primis
Veſtigata ſuis deducimus undique cauſſis.
Hinc quæcunque juvant, vel quæ fugienda nocendi
Obtineant vires addiſcimus: inde mederi
Novimus, & ſævis producere tempora fatis.
Sed quorſum hæc facient, ſi mox Themis aurea mundo
Digreſſa extremam ſecum trahat una ruinam,
AEterni Regina poli, Reginaque mundi.
Qua ſine nec ſocias conjungunt fœdera gentes,
Nec

(k) *Magna eſt inter Ictos controverſia, an Tabula Picturæ cedat, vel contra, ob antinomiam §. Si quis in aliena 35. Inſtit. de R. D. cui conſentit l. Qua ratione 9. §. 2. ff. de A.R. D. cum l. in rem actio 23. §. 3. ff. de Rei Vind. ubi leg. Gothofred. Pacium. Nicol. à Paſſeribus, in concil. leg. pag. m. 156. & opiniones Bartoli, Monticuli, Gelkenii, Azonis, Alberici, Belloni, Giphanii &c. apud Nicol. Genoa. concil. pag. m. 76. & ſeqq.*

(l) *De Stillicidijs, eorumque ſervitutibus lites tædioſas decidere ſatagunt Cæpolla, Claſſenius, Harprechtus, Stammius, & alii de ſervitutibus qui ſcripſere, & Commentatores in tit. ff. & C. hujus argumenti.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Nec coëunt urbes, in patrum funera nati
Vix nati, & matrum properant in funera natæ:
Juppiter ipſe preces, atque impia thura per-
oſus,
Tela manu temere jactans fabricata Cyclopum
AEterna injiciet perituro incendia mundo.
Scilicet hic metus eſt Superis, hi corda timores
Plus quam fæminei nunc immortalia terrent.
Quin abis hinc quo fata vocant? Rex Juppiter
idem
Semper erit, ſemperque preces agnoſcet Olym-
pus,
Et thura, atque inopum miſerans lamenta que-
rentum.
Et qui nunc metus in ſocialia fœdera gentes
Ire jubet, (m) junctiſque ædes circumdare mu-
ris,
Et formare gravi ſibi propugnacula bello
Dum pax læta manet, junctas retinebit eaſdem,
Et nimiis etiam ponet moderamina damnis.
Quod ſi tu vacuo ſine me conſederis orbe,
(Namque minas, quoniam ſic vis, repetemus
eaſdem,)
Quæ mundi facies, quæ rerum forma manebit?
Scilicet aut ipſos prævertent funera partus,
Aut primæ vitæ exortes, & ab ubere raptos
Aut certe in grato creſcentes flore juventæ

L 7 Atra

(m) *Civitates ex mutuo metu coaluiſſe, Ciceroni, Diodoro Siculo, & Herodoto jam olim credita eſt ſententia: nuper à Thoma Hobbes, libro de Cive è tenebris revocata: cujus tamen falſitas ex ſolo Ariſtotele ſatis eſt perſpicua.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Atra dies perimens ad triſtia Tartara coget.
Et leve principium ſurgens quodcumque nocendi,
Continuos nulla capiet prohibente vigores,
Et ſubito in totum ſparget contagia vulgus,
Atque idem cunctos abſumet lethifer annus.
Tunc tua Simplicitas, tunc ſancta coletur Honeſtas,
Solaque Tu votis, Themi, tunc pollebis & aris.
Et quoniam certum eſt vires oſtendere verbis,
Nec jam diſſimulare licet: proh deſine tandem
Certare, & victas tandem, Themi, porrige dextras!
Concedam quocunque placet: tua dicta probabo,
Subſcribam, & pedibus deſcendam in ſingula promptis,
Nec tamen effugies. Nempe hoc quodcunque citabis,
Si quid habes laudis: tota hæc atque unica noſtra eſt.
Nam duce me matres clemens Lucina reſolvit,
Adſpiciuntque novi regnantia ſidera partus,
Cultoreſque Deûm ſurgent. Non hactenus ullum
Heic Themidi imperium. Quin me cogente calores
Vitales creſcunt, alimentaque debita membris
Diſtribuunt, nondum innatum naſcentibus æquum.
Ergo ſuos, nobis, ortus, augmentaque debent
Pri-

Prima tui: noſtris oritur laudata propago
Auſpiciis. Nulli ſine me ſpirare licebit,
Et teneris agitare leves pulmonibus auras.
Num majora cupis miracula? Namque fatebor
Omnia, jamque, artis pandam ſacraria noſtræ.
Apta regi quod ſunt, veſtris quod ſubdita dictis
Pectora ſunt hominum, doctique capacia juſti,
Noſtrum munus habent, nos primo rore rigamus
Pectora, nos primis perfundimus intima ſuccis.
Quique animi cuſtos per venas diditur humor,
Hic noſtra formatur ope, & qui ſpiritus inde
Solvitur, inque omnes magis igne volatilis artus
Commeat, & pulſus perfert à mente receptos.
Exin membra ſuos acceptant ſingula ſenſus,
Si nihil impediat, partes ſi nulla per omnes
Figant, vel celeres tardent obſtacula motus.
Sic manus artificis naturam imitata ſequendo
Mille modis formare rotas, & nectere docta
Juncturis extrema aptis, per ſigula caute
Dividit inſtrumenta ſui moderamina motus.
Hoc ergo impulſu mentes de corpore ſumpto
Accepta motus agitantur lege, nec ulla
Mutantur per verba. Negat rationibus aures
Incenſa cui bile jecur cui pectora flavent,
Et rapido flammans ferveſcit ſpiritus igne,
Sic odia haud ullis lacrumis flectenda, vel arte
Exercent, queis dira latent ſub corde venena,
Naturaque ſtupente uſque in contraria fertur
Iñ toto nigrum fermentans ſanguine virus.
Contra cui gelido glaciatur frigore pectus,

Illi corda pavor pulſat, trepidique timores
Concutiunt, laſſantque gravi formidine membra.
Non huic pro patria confecta ſtrage tepebit,
Sanguinolenta manus: monſtrabit vulnera tergo,
Imbellique fugæ cupiet committere vitam.
Queis vero tenui ſtimulantur ſanguine venæ,
Non illos ſermo doctus prohibebit amare,
Et bello veneris ſtipendia larga mereri:
Cui gelidus venis craſſuſque inſederit humor,
Illi livor iners, alienaque ſata dolores
Nec profecturas incendent ſæpius iras.
Sic alios aliæ morbos de corpore mentes
Accipiunt: quæ, ni reddatur debita venis
Temperies, numeroſque redactus ſanguis in aptos
Artibus à noſtris fluat, atque potentibus herbis,
Non, Themi, non veſtris poterunt revaleſcere dictis.
I nunc, Teque tuos jacta ſubducere duris
Fatorum imperiis, divina laude beare,
Atque immortales poſt funera ſiſtere cœlo:
Et quæ plura potes, noſtros augebis honores,
Atque invita meas cogeris dicere laudes.
Hactenus hæc docto referens Epidaurius ore,
Deſiit, & toto ſunt facta ſilentia Pindo.
At Phœbus gemitu pectus concuſſit acerbo:
Quo ſimul audito nutant Heliconia late
Culmina, turbatæ ſtagnant Aganippidos undæ,
Et ſacra mugitus reboat cortina, fragores
Ingeminant ſilvæ: trepidant præcordia Divis.
Ipſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Ipſe animo motus ſolitoque loquacior ora
Solvit, & in tales reſerat ſacra pectora voces.
Tantane proh potuit Divum ſub pectore naſci
Ambitio, & laudum ſuperis tam dira cupido eſt?
Quæ mala vos, Divi, retro diſcordia adegit,
Quisve furor mentes nimis inconſultus acerbans
In diverſa trahit? quorum conjunxit Olympus
Officia, & ſtudiis juſſit communibus artes
Creſcere, & unita mundum virtute tueri.
Non etenim (arcanas liceat mihi pandere ſortes,
Et ſummi decreta Poli) mortalia durant
Vel Themi, Te ſola, vel te ſolo auſpice, nate.
Nempe animo adflicto nullas ſibi corpora vires
Adſumunt, & nulla juvant ſolatia mentem,
Aſſiduo quatiat ſi ſpiritus æger anhelum
Pectus, & arentes exſiccent intima flammæ.
Scilicet arcta ligant, nimiumque tenacia vincla
Corporibus mentes, communis ſenſus utrique
Ingruit, & partes penetrans ſubit ocyus ambas,
Hinc adeo pariter ni reſpiciantur utræque,
Optatam fruſtra quæret medicina ſalutem.
Vos igitur ſancto gratiſſima numina Pindo,
Ne poſthac ultra veſtris certate faventes
Exitiis: juncto ſemper creſcetis amore,
Et par veſter honos, & laus æquata manebit
Donec longa ſuos abſolvant ſecula curſus.
Nec quia vulgares nequeunt cognoſcere ſenſus
Æque animi vitium latitans, ac corporis ægri
Non occultandum fundens per membra dolorem:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Atque hinc Pœonii magis exoptantur amores
Mentibus humanis, quam ſacratiſſima jura,
Hinc tua prudenti minuetur gloria Pindo,
Templaque continuo, Themi, diripientur & aræ.
Quin ſemper juſtas ſolito labentia motu
Servabunt ſibi fata vias, ſemperque manebunt
Numina, ſemper honor vobis & gloria ſurget
Uſque nova, & Sol ipſe ſuos contrarius ortus
Ante petet, gelidaſque arctos incendet, & Auſtrum,
Quam ſua templa Deûm quemquam, vel turba ſequentum,
Vel laus, vel cantus, vel ſplendida deſerat ara.
Quin etiam veteres longe ſuperantia Delphos
Templa tibi, Themi, perpetuo Patavina relinquet
Partibus ex æquis natus, præconia ſurgent
Hic tua continuo renovata, & prodiga ſemper
Lucebunt onerata novis altaria donis.
Tu modo ſollicitos deponens corde timores
Parce ſacras verbis terere indignantibus aures.
Quod ſi quæ ſtudiis adſit præſtantia veſtris,
Hoc ſolum dubitatur, & hanc me judice, Pindo
Definire libet motam præſente querelam:
Hic quoque ſuccumbet neuter, vincetis uterque.
Utque Deos quoſcunque videt Parnaſſia rupes,
Cœleſtis virtus partes diviſa per omnes
Æquat, & hac dignos ſacrata ſede reponit;
Omnia ſic vobis etiam diſcrimina tollit
Mens æque divina, æque admirabile numen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Scilicet in varias eadem prudentia partes
Finditur, & curis non ſemper inhæret iiſdem
Sic ubi Tu morbos miſeris, Themi, mentibus arces,
Primaque per lenes cohibes primordia pœnas:
Si porro tetrum ſe partibus inferat imis
Virus, & obſiſtens mites eluſerit artes,
Fortior applicitis merito medicina paratur,
Et juvat admoto membrum immedicabile ferro
Scindere, Vulcanove urendam tradere partem,
Improba ne reliquum lædant contagia corpus:
Quantum Pœonias, Themi, condeſcendis in artes!
Sic parili natus ratione nec arte minori
Ut ſua jura ſibi reddant in corpore partes
Mutua, perque ſuos demittant trita meatus
Ora cibos, ſtomachique parent fermenta calentes,
Proſpicit, albenteſque bibant ut congrua venæ
Fœcibus excretis,aptaſque ut quæque receptent
Viſcera particulas: avidum ne injuſtius hepar
Præripiat ſicco ſua nutrimenta lieni,
Aut nondum concocta alimenta immitia venis
Comittantur, & hinc ſanguis ſine lege reſiſtat,
Atque induratus penetralibus hæreat imis.
Aut nimio exiguæ partes ardore ſolutæ
Ordinibus ruptis properent volitare per artus,
Aut ſtagnans hinc inde reſidat putidus humor.
Hæc adeo natus dum legibus omnia juſtis
Temperat, & mores membris componit amicos,
Et paci ſociat communi, & fœdere firmat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Et tribui ſua cuique jubens, ad debita cogit
Obſequia, & finem corpus conſervat in unum,
Non Themi, non ne tuas exercet providus artes?
Poſtquam igitur veſtris eadem eſt prudentia curis,
Atque eadem medicina animos & corpora ſanat,
Non ſecus ac ſuetus lentandis navita tonſis
Laude pari proram torquet, dat carbaſa ventis,
Seu gemmis abies, ſeu plena oneretur arena:
Uſque pares etiam vobis reddentur honores,
Et (ſic fata volunt) ſtabunt communia templa,
Communeſque locis radiabunt omnibus aræ.
Ergo ſimul veſtras poſthac concordia mentes
Una liget: pulchro niteat præſtantia nexu,
Junctaque adoranti donet ſua munera mundo.
Sic ait: & laudata Dei decreta benigni
Excipiunt alacres Themis atque Epidaurius ultro,
Amplexuſque hilares, atque oſcula dulcia jungunt,
Oranteſque ſibi veniam mox mutua firmant
Auxilia, & ſtabiles per ſecula longa favores.
Applaudet Parnaſſus ovans, clamoribus auræ
Commotæ nova feſta ſonant, adolentur honores,
Serta nitent templis, & numina prompta Camœnæ
Ingeminant feſtos divina per ardua cantus.
Hæc tibi nunc repetit communia gaudia Pindus,
Iſta renaſcuntur tibi feſta, augentur honores
Dum

Dum MELMI dilecte tui, & tibi præmia digna
Ipſe Coronides juncta cum Pallade confert.
Ergo iterum exultant Divi, lætiſque feruntur
Unanimes per templa ſonis, bona ſidera voces
Gratantum pulſant, jactantur in aëra plauſus.
Ipſa memor pacti, atque ſuis ut nupera Phœbi
Pœonias artes ſtudiis reſponſa ligarint,
Ecce Themis ſe ſe properans gratantibus infert,
Ipſaque conjungit plauſus, & protinus artes
Commendat laudande, Tuas, doteſque recenſens,
Virtuteſque animi, & laudes in ſingula ducens,
Proſpera fatidicis accendit gaudia votis.
Salve Cecropiæ cui nunc nova bacca Minervæ,
Doctaque cui lambit felicia tempora Daphne:
O Salve dilecte nimis, quam ſe tibi Virtus
Complet, ut anguſto Parnaſſi vaſta coërces
Corde, novemque Deas animo Phœbumque recondis!
Nempe tuo exemplo Pindi decreta probaſti,
Et commiſſa tibi Patavini NATIO Phœbi
Nos GERMANA docet, quantum diſcordia bella
Corporibuſque animiſque eadem prudentia placet.
Fortunate nimis, quantum tibi proſpera lætos
Fata, beaveruntque tuos felicia partus
Sidera, continuos ſemper renovantia motus.
Vive igitur, greſſuque alacri ſuper aſpera ſurge,
Atque Machaonias quamvis ſectaberis artes,

Non

Non contemne tamen quæ nunc tibi munera
confert
Haud ſpernenda Themis: nec dextra, provide,
lances
Depone, ut juſto diſpenſes pondere ſuccos,
Atque herbas, lapideſque ſua virtute juvantes:
Ferrum læva gerat, raro quod tradere dextræ
Auſit, & haud umquam niſi mortua membra
recidat.
Sic miti auxilio, placidiſque potentior herbis
Semper eris, ſemper morbis metuendus, &
atræ
Terribilis morti, completo laudibus orbe
Sic tibi jam tactus pridem pandetur Olympus.
Hæc & plura ferens, laudes hortatibus addit:
Quas mihi ſi liceat ſero nunc fine referre,
Et queis templa modis, moti quo carmine luci
Perſonuere, manuſque piæ quæ vota Dearum
Veſtris, diſperſæ ſacrata per avia lauri,
Corticibus nulla carie exedenda notarunt:
Tunc ego & æſtivos facundus condere ſoles,
Et valeam doctum cantando rumpere Phœ-
bum.
Nunc quoniam numerique vetant, me tanta,
tuiſque
Laudibus ipſe Deus Pindi laſſatus anhelat,
Dum vera virtute tumentia pectora, dumque
Quæ ſtupuere tuas reſonantia pulpita voces,
Et quos dexteritate nova medicamina mixta
Diſpulerint morbos, numeroſo carmine
pandit:
Non auſim parcus largi laudator honoris
Sur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Surgere, & inviſo Pindum confundere cantu.
Interea hoc ſuperos omnes, Heliconaque teſtor,
Quique tenent Helicona Deos, quoſque ambit Olimpus,
Inſolito penituſque novo mihi gaudia motu
Pectora pertentare. Etenim cor ſubſilit imum
Uſque mihi, calidoque exultant ſanguine venæ,
Et ſpargunt hilari ſalientia viſcera ſucco.
O ſalve nunc, chare bonis, chariſſime doctis,
Atque amor une tui, ſit fas hoc addere, PLACCI.
Ergo vides quantum tua te doctrina bearit,
Et certans fortuna illi, ſociata perennent
Iſta diu, & noſtros ſine fine imitentur amores,
Quos fata, & radians in amicis Juppiter aſtris,
Et natus Maia felici ſidere regnans
Junxerunt, auxere locus, commune ſalinum,
Et ſuavi ſermone dies noctesque peractæ,
Et ſemper ſic viſa magis tua candida Virtus,
Et quamvis diſcreta imitans inſignia, recta
Unitis eadem GERMANICA NATIO curis:
Et quæ plura nimis quondam meminiſſe juvabit.
Scilicet hic animos urens præſentibus ignis,
Abſentes inter numquam extinguendus, in annos,
Inque dies omnes, omnes cumulatus in horas
Creſcet, & in momenta etiam: ſolvendaque numquam
Mutua perpetuo junget concordia nexu.

Lau-

Laurus Philoſopho-Medica FRANCISCO HOPPIO HAMBURGENSI In Archi Gymnaſio Patavino,

A. D. cIɔ.Iɔc.LXIII. *d*[illegible] v. *Id. Nov.*

SAcrata noſtris ergo pulpitis templa,
Aræque rurſus, verticeſque Parnaſſi
Divinitate, ſanctitate concedunt;
Aganippidoſque Brenta deſpicit lymphas,
Et Cirrha tectis invidet Patavinis:
Poſtquam huc recedit omnis uſque Parnaſſo
Deûm caterva, frondibus ſacris textas
HOPPI, coronas vertici tuo portans.
HOPPI beate, quam tibi polus lucet,
Felicitaſque larga ſe tibi complet.
Tibi propinquat iſta numinum turba,
Tibique ſeſe Phœbus en cito greſſu
Infert, comeſque lætior Coronides;
Hygia pone nata cujus inſiſtens
Veſtigiis, Saluſque fauſta feſtinans
Et Vita ſemper vividas ferunt frondes.
Tibi Tonantis flava nata jucundum
Severitate blanda ridet exuta,
Tibique non mortalibus gerit textam
Dextris coronam. Laurus hanc tibi, Pæan,
Dilecta tantum, candidiſque componit
Oliva baccis: Addidit ſimul Virtus
Palmas recentes, neve quod decus deſit,

Et

Et floſculos hic millies coloratos
Charites benignæ, & grex favens Camænarum
Intexuere: frigus hoſce non uret,
Caurive frangent, nullus æſtus hos perdet.
Ut iſta fronti congruunt tuæ ſerta
HOPPI, decuſque mentis abditum cunctis
Plene figurant, totque noctibus tandem
Deſideratis præmiis beant curas!
Dilecte ſalve; laureate nunc ſalve
HOPPI, ſereno porro ſors tuis vultu
Noſtriſque ſemper mitis annuat votis.
Sic orbe toto qua lubet pererrato,
Tandem relictis patriæ focis recte
Redderis, & poſt invidente Plutone
Animas abire ſegnius ſua ſede
Jubens, in annos ultimos reſervabis.
Sic tu Machaon audieſque ſic Hermes
Alter per orbem, laudibuſque ſic ſummis
Æquata pridem ſerus aſtra transſcendes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Piæ & luctuoſæ Memoriæ

JACOBI TROLLEN EQUITIS DANI. TUMULUS.

HOSPES.

QUISQUIS. ES. QUI. TRANSIS.
HEIC. SUBSISTE.
INTUERE. SAXUM. HOC. ET. HONORA.
ETIAM. HUMATORUM. CURATIO. HUMANITATIS. EST.
NEQUE. CURATIO. SOLA. SED. ET. VENERATIO.
PRIMA. QUIDEM. ET. PALMARIA. EXHIBENDA. IIS. QUI. DE. BONO. COMMUNI. HUMANO. BENE. MERUERE.
MINIME. TAMEN. ET. HIS. DENEGANDA.
QUOS. JAM. ID. ACTUROS. FATUM. INTERCEPIT.
FATUM. INACCERSITUM. ACERBUM. PRÆCOX.
ET. NISI. AUCTOREM. RESPICIAS. PENITUS. DAMNANDUM.
EX. HOC. ORDINE.
GENEROSISSIMUS. OLIM. ET. NOBILISSIMUS. JUVENIS.

JACOBUS TROLLE
EQUES DANUS.

HOC

HOC. SAXO. TEGITUR.
QUI. A. PATRE. VIRO. ILLUSTRI.
NICOLAO TROLLE.
MULTIS. MAGNIS. CONSILIIS. ATQUE. OFFICIIS. ET. IMPRIMIS. PROREGIS. NORVAGIÆ. MUNERE.
FIDELITER. FORTITER. AC. FELICITER.
OBITO.
REGI. REGNOQUE. SUO. AC. TOTI. ADEO. TERRARUM. ORBI. CELEBRATISSIMO.
ET. MATRE. NOBILISSIMA. ET.
SPECTATISSIMA.
HELLA ROSENKRANTZ.
SUMMISQUE. RETRO. AVIS. ET. PROAVIS. ACCEPTUM. NATALIUM. SPLENDOREM.
NON. CONSERVARE. MODO. SED. ET. AUGERE. OMNI. OPE. NITENS.
CONSUMTA. LITTERARUM. STUDIIS. ET. VARIIS. PEREGRINATIONIBUS.
PRIMA. JUVENTUTE.
SCIENTIARUM. TRADITA. SIBI. OLIM. PRÆCEPTA. PARTA. MULTIS. EXPERIENTIIS.
PRUDENTIA. VERE. SUA. FECERAT.
LINGUARUM. PROMPTAM. VARIETATEM.
DOCTA. FACUNDIA COPULAVERAT.
MORUM. DECORAM. VENUSTATEM. AD. OMNEM. FORTUNAM. COMPOSUERAT.
CORPORIS. NATIVUM. VIGOREM. AD. QUÆVIS. SE. DIGNA. MUNIA. OBEDEUNDA.
INDUSTRIOSE. FIRMAVERAT.
DENIQUE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

SE. TOTUM. PACIS. ET. BELLI. ARTIBUS.
BONIS. OMNIBUS. PRÆPARAVERAT.
SED. EHEU!
CUM. HÆC. OMNIA. IN. PATRIÆ. COMMUNE. BONUM. COLLATURUS. DOMUM.
TENDERET.
IN. ITINERE. MORBO. FATALI. CORREPTUS. ET. ABREPTUS. EST.
AURELIIS. A. D. cIↄ. Iↄc. LXIV. DIE.
III. NOVEMBRIS.
ANNO. ÆTATIS. SUÆ. XXXII.
LUGENDUS. NON. PARENTIBUS. SOLUM.
ET. AGNATIS. AUT. AMICIS. SED. BONIS.
OMNIBUS.
MIHIQUE. CUMPRIMIS. QUI. EXTREMI. ITINERIS. COMITI. SUAVISSIMO. MEMORIAM.
HANC. QUALEM. POTUI. NON. QUALEM.
DEBUI. IPSE. MORBO. GRAVISSIMO. PRESSUS. ET. TANTUM.
NON. OPPRESSUS. CUM.
LACRUMIS. ET. DOLORE. SONTICO. POSUI.

O. SALVE. LONGUMQUE. VALE. MIHI. COGNITE. TROLLI.
SIC. TULIT. INFAUSTUM. PER. BREVE. TEMPUS. ITER.
MOX. ITERUM. SOCIANDE. TAMEN. SINE. FINE. DIREMPTO.
HINC. MIHI. CUM. REQUIEM. PATRIA. VERA. DABIT.

EPICEDIUM.

SCilicet antiquum retinent mortalia. Magnas
Præcipitant plerumque celerrima funera
mentes.
Stat lex fatorum. Naſcentia primitus aſtra
Talia viderunt Parcarum currere fuſis
Fila, ſecuturos rerum ſignantia motus.
Nam citò quæ fulvo creſcebant ſpiſſa metallo
Rumpebantur, & in primo diſcerpta rotatu,
Hærebant Stygiis fragmenta inſignia dextris.
Cætera vel modico vel prorſus lumine nullo
Clara, per immenſos durabant plurima tra-
ctus.
Quis non agnoſcat defuncti ſtamina TROLLI,
Inviſis nimio ſplendore nitenta fatis!
Illi nempe favens claro de ſtemmate naſci
Sors dederat, quo poſſet avos, poſſetque vetuſtos
Heroas proavos ſerie deducere longa,
Inque illis numerare Patrem, quem reddere
jura
Et Regis præſtare vicem Norvagia vidit,
Nunc in conſiliis miratur Balthica tellus.
Junxerat huic Natura bono formæque de-
corem
Quique animum, corpuſque queant ornare
vigores:
Huic Charites, Phœbuſque & ad incunabula
Muſæ
Adfuerant, doctisque rigarant pectora limphis,
Suadaque dilectis tulerat ſua mella labellis

Sic accenſa ſacro ſpiramine, fomito ſancto
Ardeſcit virtus, cumque horis, lucibus, annis,
Gliſcunt innatæ generoſo pectore flammæ,
Et flagrant, ſeſeque agitant, & limite nullo
Arctari claudive volunt, obſtacula rumpunt,
Auraque qua ſeſe præbet liberrima, tendunt.
Non igitur patriis quæcunque docentur in oris
Sufficit apprendiſſe, & ſingula magna notaſſe
Indefeſſo animo, quandam quæ geſta feruntur,
Cum nondum ultores meruiſſent crimina nimbos,
Primus & Aſſyrii Ninus fundamina regni
Poneret, & turres Babylon inferret Olympo.
Cumque orbis terræ moderamina Perſis haberet,
Donec ſpreta diu mundi captaret habenas
Emathia, Eoas audax ſubmittere gentes
Imperio, & reliquis leges imponere terris,
Cum quibus ipſa ſimul per tot jam prælia victis
Dardaniis, & poſt tot funera ſæva renatis
Sæpius innumeris ſerviret adacta triumphis,
Et bellatrici ſua propugnacula Romæ
Traderet, in varios mox diſtribuenda Tyrannos.
Hæc & plura domi chartis relegenda vetuſtis
Antiqua, & paucis hodiernis uſibus apta,
Non ſatis eſt cupidæ rerum, mentique ſagaci
Noſſe: juvat prodire ultra, conſueſcere in aulis
Præcipuis, Regum cauſſas, & maxima rerum
Magnarum momenta ſuo quæ cardine verſant,
Æquantes reliquum juſto libramine mundum.
Heic agere, & varios vivendi diſcere mores,
Expedit, & variis ſua promere ſenſa loquelis
Ar-

Arcanaſque artes regnandi, & noſcere leges,
Et quantum ſtet ubique ſuo prudentia talo
Cernere. Quo juncti ſerventur fœdere Belgæ,
Utque caput variis unum Germania membris
Maluerit præferre, tenent ubi quilibet artus
Imperium pro parte ſua, quod tradidit uni
Gallia;cum populo voluit commune Britannus,
Italia in variis monſtrat ſubſiſtere formis.
Hæc adeo luſtrans oculis animoque ſagaci
TROLLIUS,& doctis addens bene prodita chartis,
Noverat ex primis ſcite deducere cauſſis,
Sæpius irato quidquid derivat ab aſtro
Et fallens & falſus Arabs. Convertere mundum
Scilicet, infeſtosque armis committere gentes
Quæ ſoleant, rurſuſque tenaci fœdere mentes
Concordes quæ vincla ligent. Inferre furentes
Vel ſibi vel Regi populos inſania dextras
Quæ moveat. Tum res quo ſtent fundamine firmæ
Communes, ruptæve cadant violenter, & ipſâ,
Sponte reſolvantur. Jam quæ nutantia firment
Imperia, inſtanteſve queant tardare ruinas,
Et quæ præterea paci componere mores
Apta, vel inviſis metas præfigere bellis
Commoda divulgare vetant arcana periti.
Hæc patriæ magnos olim prompturus in uſus
TROLLIUS, egregiis collegerat omnia curis.
Cætera quid memorem?Mores quos eſte venuſti
Exemplum,& recti quos poſſes dicere normam,
Et quæ plura feros nimium renovata dolores
Intendunt, luctuque novo præcordia complent,
Et faciunt revocare dies, quos condere, TROLLI

Te comitante datum eſt. O ſuaves undiq; luces,
Sed nimium curtas! Non illis tempora vitæ
Ulla queam præferre meæ. Faſtidia duræ
Nempe viæ mixto ſermone fefellimus, & nos
Vix quoque Taurinas tranſcendere ſenſimus
Alpes,
Et nimbos hyememque pati, contentus utrique
Dum gaudens animus ſolitos in corpore ſenſus
Fixit, & ad primos clauſit penetralia motus.
Sic igitur propere tardas ubi volvere limphas
Diſcit Arar, mixtus longe citioribus undis,
Venimus. Hei quid muſa, ſiles! quo cætera
differs,
Quid Ligerim turbata times? Non funera nobis,
Sæva renaſcuntur, ſolito nec tardior amnis
Nunc iterum prohibet fatalia tangere tecta
Aureliiſque animum mundo diſcedere TROLLI.
In quæ cæca feror? pulſo mihi lumina viſu
Quæ nox pertentat? Quæ mors inopina per
artus
Obreptans tremebunda quatit formidine
membra?
An tecum morior, TROLLI, vel mortis imago
Febris ſæva redux lanquentia viſcera vexat?
Et me migrandi tecum ſpe lactat inani;
Deficio certe, cor ſiſtitur à glaciali
Frigore, diffugiunt ſenſus, animuſque liqueſcit,
Fallor, an umbra mihi Tua nunc ſuaviſſime
TROLLI
Cernitur, & luctus prohibens, lamentaque
carpens,
Exangui tales, fundit de pectore voces.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Et quorſum hoſce moves queſtus, ſuſpiria quorſum
Nil tibi profectura ciens, animumque dolore,
Et fletu ſine carne cutem ſiccabis inani?
Non ea, crede mihi, mea ſors nunc exigit omni
Lætitia celebranda magis, votiſque petenda.
Sed vos præmatura nimis mea fata vocatis,
Hoc etiam erroris cæca de gente tenentes,
Quæ vera pietate carens, quæ neſcia CHRISTI,
Præſenti ſola menſurans omnia vita
Tangebat nullo cœleſtia munera ſenſu.
Multos quippe dies vobis numerare peractos,
Et menſes animis, annoſque evolvere tanti eſt,
Sæpius adducto pulmones tendere vento
Queis licuit, gratoſque cibos donaſſe palato,
Et feſto placaſſe madentia guttura Baccho,
Poſſediſſe domos, vel culti jugera campi,
Aut nummis valuiſſe, & cætera vana probaſſe
Quæ non enumerare libet? Perpendite cuncta
Quæ poterant addi nil imperfectius illis
Ipſa etiam veſtri ſenſit ſapientia ſecli.
At famæ victurus eram, ſi fata dediſſent
Longius & vitam, & cum vita ducere nomen.
Scilicet hæc veſtræ numeroſa incommoda vitæ
Quæ mereatur erit: quæ tot conſumere curis
Indefeſſum animum, & periturum exedere corpus
Et tantis contra bene ſuadeat ire periclis.
Aura levis, vento ſimilis, vel ventus, & uſque
Alterius pendens ex ore volubilis aër,
Exiguo plerumque loco, vel tempore parvo
Septus, & ad ſenſus numquam penetrabilis omnes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Incerto quovis pulſu impellente vigores
Accipiens, illoque iterum ceſſante remittens,
Nec tangens animas laudando funere functas,
Plus nimio miſeras, iterum ſi vexet inanis
Speſve, metuſve, vagi quæ ſit ſententia vulgi.
(Vulgus enim cœli vos curia judicat omnis,
Exiguum cui veſtra facit ſapientia punctum.)
Quem vel ſenſus iners falſo diſcernere verum,
Vel cæco perverſa vetat laudare voluntas
Motu animi, volucris ſuperante rotamina venti.
Namque quid hoc? Laudant omnes, laudantur & omnes,
Quos alii culpant: rurſus culpantur iidem.
Et tandem unanimis veri, conſenſus ubique
Deficit, & quavis ratio pro parte citatur.
Sic partu quod priſca dedit felice Stagira
Fauſtum naturæ monſtrum, mera fingere falſa,
Et fictis animos credentum eludere formis,
Atque alias aliaſque novas fabricare Chimæras,
Quæque habeant nullos abſtruſa vocabula ſenſus,
Audimus plena reſonantia pulpita voce.
Et juvenem, quem Pella dedit cognomine Magnum,
Audacem ſunt qui malint, quam dicere fortem,
Et contra ſatagunt infandi facta Neronis,
Tot diras cædes, & in excuſabile lethum
Illatum miſeræ poſt cætera funera matri,
Conſilio recto cautæque adſcribere menti.
Quid Tulli eloquium memorem, cantuſque Maronis
Non-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Nonnullis ſordere etiam, qui carmina Mœvi
Et raucum magno clamantem Stentora plauſu
Indice deſignant, & preſſo pollice laudant,
Qui medio monſtrandus erat: ſtant nempe probantum
Pro ſenſu arbitria: atque hic eſt ubi cedere nemo,
Sed pollere cupit quiſque, aut pollere videri.
O vanæ mentes hominum, vitæque beatæ
Indociles nimium, nimiumque per avia longe
Incerto, & penitus cæco ductore vagantes.
In ſumma vos parte manet, quod quæritis infra,
A cœlo repetenda ſalus, atque omne levamen
Solamenque mali, tranquillæque ocia vitæ.
Hic, hic intemerata quies ſedet omnis, & omnis
Æternum ſecura mali pax læta triumphat.
Hic exhauſtorum ſunt præmia longa laborum,
Huc animus tollendus erat. Spes tota locanda
Hac regione venit, flagrantibus ardua votis
Hæc ſola eſt vobis ſedes veſtriſqe petenda,
Sive novus primo ducatur ſpiritus ortu,
Seu jam confectos ſenio meët aura per artus.
Felices nimium, maturè ponere vitam
Mortalem, exuviaſque bonæ mala tegmina mentis
Queis cita mors, ſed ſancta tamen, dat ponere terra,
Atque animam quo nata fuit dat reddere Cœlo!
Sed quo chare fugis, quæ vis ſubitanea rurſus
Te rapit? ô dilecte mane, ſic linguis amicum
Nunc iterum? O rurſus mihi mortue, mortue

Sed verbis lugende bonis , ſanctiſſima poſt-
quam
Hæc monita , & nimium mihi vera effata tuliſti.
Vive igitur , longumque vale , Dulciſſime
TROLLI,
O TROLLI venerande , bonis chariſſime
cunctis,
Atque ipſi dilecte Deo , ſtatione vocatum
Mortali qui te immortalem reddidit alto ,
Et qua natus eras , quam mens erecta petebat
Aſſiduo niſu maturum ſede locavit.
Aſt ego , Mi TROLLI , quem pallida febris
eadem
Tecum aggreſſa die vicibus concuſſit acerbis
Hactenus , & dubio rediens abienſque viciſſim
Circuitu , jam mortis in ipſo limine feſſum ,
Incertum certâne fide dubiâne , reliquit.
Me miſerum , quem nunc extrema per omnia
ductum ,
Et vix ſemianimem , ſi cernas , ducere mortis
Vitam fata jubent , quemque infelicior aura
Nunc etiam invitum nutrit , ſortique reſervat
Neſcio cui ! Quam te facilis ſequar , optime
TROLLI,
Et rata ſint mea vota ! brevi ſequar , optime
TROLLI,
Sic precor , ô mors grata veni , quæ reddere vi-
tam
Sola potes ; tibi namque uni nos naſcimur , uni
Vivimus , & per te cœleſti ſede potimur.
O mors ſancta veni , precibus votiſque rogata
Quæſo veni , feſſamque animam de corpore
ſolve.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Sit modus his etiam votis tamen, omnia ſummo
Hæc maneant commiſſa Deo, qui dum volet iſta
Nunc quoque vix ægrè diro ſubrepta feretro.
Plus medio moribunda traham ſine viribus oſſa.
 Interea vos ô defuncti vivite TROLLI
Vivite contenti Manes, vocemque cientis
Exanimes umbras, vultumque exanguis amici
Accipite, & raucum quod forte minuſque ſonorum
Excidit, hoc morbo, juſtoque referte dolori.
Mox ubi læta dies aderit quæ me quoque terris
Ereptum cœlo reddet, moderamine nullo
Æternum noſtros iterum jungemus amores.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

AMOR RATIONABILIS
Amorum Variorum Princeps.

EPITHALAMIUM,
Nuptiis Feliciſſimis

MICHAELIS KIRSTENII
Ph. & Med. D. & P. P.

E T

ANNÆ MARIÆ DASSOVIÆ
Celebratis Hamb. A. D. cIↄ Iↄc LXV.
Dicatum Lutet. Pariſior. à
V. P. H. I. V. L.

PRÆLUDIUM.

COrporeas fragili ſumens de corpore vires
Solo quo crevit fomite durat Amor.
Hinc varius vario pro corpore ſurgit, amat-
que
Mutati cunctas paticipare vices.
Bile flagrat fervente, tumet, furit, intima verſat,
Sanquineo rurſus fonte tepente tepet.
Hæret, viſcoſus ſi venis torpeat humor,
Limpha ſuâ fluidum mobilitate facit.
Febricitante ſibi febrem de corpore ſumit,
Ægrotat corpus, lanquet & æger Amor.
Admotum fatis mortem ſi ſentiat, illam
Jam majore ſui parte recepit Amor.

At

At Ratio quem recta parit, quem nutrit Amorem,
Non ſentit dubias corporis ille vices.
Non illum pallor, macies, mutatve ſenecta,
Natura aut quidquid ſorsve caduca movet.
Non moritur Veſtæ ſacer ignis: funera vincit,
Extremos ſuperat flamma ſacrata rogos,
Fervet inextinctus tædis cœleſtibus ardor,
Dum non mortalis pabula mentis habet.
Hos ignes, flammas tales KIRSTENIUS ardet,
Cui ratio aut certe eſt pars rationis Amor.
Illius æternus, (ſit fas hoc poſcere Muſæ,)
Verſibus æternis concelebretur Amor!

EPITHALAMIUM.

QUam non unus Amor mortalia pectora verſat,
Quam variæ Veneres, variiq; videntur Amores,
Diverſis totum flammis accendere mundum!
Quis numerum innumerum, quis ſingula nomina fando
Exprimat, obſcuro vel quis deducat ab ævo
Confuſam ſeriem naſcendi, & ſtemmata primis
Vix etiam bene nota Diis, ac ordine certo
Nondum etiam diſcreta, aut diſcernenda Tonanti?
Scilicet ipſa Jovis circum incunabula parvi
Jam variæ Veneres, jam verſabantur Amores:
Antiquum genus eſt, primævi ſecula mundi
Ante ſatum, nondum radiantia Cynthius aſtra
Cum premeret, certo diſtinguens tempora motu,
Non-

Nondum noctivagos agitaret Cynthia currus.
Exin prolificum genus omni tempore crevit,
Inque dies creſcit, nec creſcere deſinit umquam,
Oceani numerus quamvis præpolleat undis.
Non ego tam tenui tot dicere numina verſu
Coner, & arenti tentem deducere vena,
Quos cœlum, quos alma Dies, quos Falciger, aut quos
Ingenti Tellus partu, vel denique rerum
Principium commune Chaos produxit Amores.
Nec mihi cantandi veniat tam dira libido,
Ut vel Paſiphaës, vel Myrrhæ aut Biblidos ignes,
Quoſve arſit merito laceratus Thracibus Orpheus,
Aut ſimiles alios infando carmine dicam.
Non illis Veneres, nec credere fas ſit Amores
Inſediſſe animis: Furiæ mala pectora diræ
Diræ Erebi peſtes, ſpeciem vel nomen Amoris
Mentitæ, Stygiis agitarunt intima flammis.
Nec quoque te memorem, quæ nomine falſis Amoris,
Et Venerem mentita, genas, fucata Libido,
Undique per totum baccharis noxia mundum,
Pectora tabificis temerans incauta venenis.
Non te fœda canam: peperit te triſtis in Orci
Veſtibulo Nox cæca truci conjuncta Furori,
Te Morbi, Pallor, Livor, Macieſque ſequuntur,
Ignes, ira Jovis, vibrataque fulmina dextra,
Enceladi diro cum ſanguine mixta miniſtrant,
Et Phlegetontéos redolent tua tela liquores.
Non tales animus nobis fert dicere flammas,
In-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Innocuos, & non culpandos poſcimus ignes,
Carmine Semideos & numina caſta ciemus.
Calliope ſi digna precor, ſi te quoque quondam
Uſſit Amor, mea cœpta juva, ſuccurre canenti,
Et quoniam genus, & numerum comprendere verſu
Non licet, at ſaltim ſimiles da fingere Amorum
Diverſas ſpecies, & quo diſcrimine tanto
Tam variæ diſtent veneres, & ab ignibus ignes,
Et cur non unas habeant tot ſpicula vires.
Sic liceat quodcunque boni, quodcunque malorum
Quilibet incenſis apportet cordibus ignis
Cernere, & optandas miſeris diſtinguere flammas.
Non cunctis ſecreta patent ſacraria: ſenſus
Admittunt paucos, paucis reſeratur Eleuſis.
Eſt locus arcano procul à tellure receſſu,
Abditaque ignoto penitus jacet inſula ponto,
Hactenus innumeris multum quæſita, nec ullis
(Fatorum ſic jura volunt) detecta carinis.
Huic Paphos, atque Cyprus, cedunt huic alta Cythera,
Nec locus eſt alius toto felicior Orbe
Fertilitate ſoli: ſemper tractabilis aër
Sponte ſua natas cum floribus educat herbas,
Ignaraſque hyemis, conſtanti vere tuetur:
Planitiem pars una tegit, pars altera colles
Aut valles decorat: pars latè flumina circum
Sparſa repercuſſos geminant in fonte colores:
Pars ſoli innocuo nemorum defenditur umbrâ,
Um-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Umbrâ quam ſolito magis alta cacumine
myrtus,
Et jam non frutices inter numeranda roſeta,
Ordine compoſito per preta virentia pandunt.
Hic locus innocuas Veneres, hæc regia ſedes
Teligeros volucreſque Deos, ſocioſque Deorum
Et ſocias tenet: heic errantes ordine nullo
Quot Veneres totidem juxta cernuntur Amores,
Non ſine Amore Venus, non eſt ſine matre
Cupido.
Nempe ſimul per prata meant, veſtigia firmant
Preſſa ſimul, ſimiles unà meditantur iiſdem
Cordibus ardores, & miſſa Cupidinis arcu
Tela volant, junctim Veneris qua ſpargitur
ignis.
Ne numerum quæras, numerus tranſcendit
arenas,
Quoſque humus hic flores, vel pictas educat
herbas.
Ducitur in noſtras hinc crebra colonia terras,
Hinc Paphon, Idaliaſque domus, hinc alta
Cythera,
Et Cypron, atque Amathunta Dii petiere miniſtri,
Et dudum mediis juſſi conſidere Gallis
Legati, flammas ſimul & mandata ferentes,
Et qua lege datum eſt, ſpargentes tela per orbem.
Interea remanent placita nec ſede recedunt
Primores, proceresque Dii, queis quatuor arces
Quatuor ad ventos ſolers Natura locavit:

Qua-

Quatuor æternæ decorant altaria flammæ,
Hoc uno ſimiles, quod deducuntur ab aſtris,
Quod plerique illis hominum debentur amores.
Quatuor hos juxta lætos vaga flumina campos
Irrorant, queis tela lavat mittenda Cupido,
Pro variis varias limphis ſumentia vires.
Ergo cohors bis bina Deûm ſub principe Diva
Quælibet, atque ſuo ſub principe degit Amore,
Atque aras ſibi quæque ſuas, & flumina, & arces
Servat, & abſimiles ſuccendit cordibus ignes.
Nam qua phœbeos hæc Inſula reſpicit ortus,
Læta Venus reliquis formoſior una, comeſque
Lætus Amor colit has reliquis ſpecioſior oras,
Hi ſemper ſaltant, hilareſve per avia luſus
Exercent, citharamve ſonant, vel carmina pangunt,
Suaviter aut junctis dant oſcula mille labellis.
Gaudia, ſollicitis nec non procul otia curis,
Et Riſus, molleſque Joci comitantur euntes:
Inſequitur licitis gaudens Petulantia furtis,
Atque roſis carptaque tegens veſtigia myrto,
Brachia nunc faciemque levi nunc percutit ictu,
Collaque, vel frontem ſtudio titillat inani,
Nullaque facturos minitatur vulnera jactus.
Hi raro tectis ſubeunt, atque atria raro
Complent, ni poſitis celebrent convivia menſis,
Vel nox plus medio ludis tranſacta quietem
Imperet, atque invita ſerat per membra ſoporem.
Conſimilem Divis vitam quoque ducit amantum

His

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

His ſubjecta manus, gratos in corda tepores
Queis mittunt moderati ignes, & ſanguine venas
Diſtendunt agili, facileſque accreſcere motus
Cordis, & ad nullos faciunt ſtagnare dolores.
Auroræ digitos referunt imbuta liquore
Tela, nec his ullum dant vulnera facta dolorem,
Titillantque hilares ſuavi prurigine ſenſus.
Fortunata Venus, qua blandior altera non eſt,
Fortunatus Amor quo non jucundior alter!
Non ſic aut procul hinc medio ſub ſole quieſcens,
Fervidior Venus ardenti ſociata puello
Pectora demulcet: non his levis æſtuat aris
Ignis, & innocuæ delectant lumina flammæ.
Siccior heic tellus, & collibus ardua nudis
Indicat occultis latitantia ſulphura venis:
Et cunctas acuens ſpinis pungentibus herbas
Vix patitur ſummos ſine ſanguine carpere flores.
Diſcordes errant hinc inde per avia Divæ,
Angor, & inviſo comes Indignatio Zelo,
Et trepidi falſa cum Suſpicione Timores,
Jurgiaque, & raucos inter Maledicta ſuſurros,
Et fractas agitans mala Deſperatio mentes.
Ipſa videns torvum Venerum dux Diva minorum
Ardentes vivis dextras carbonibus armat,
Et puer auſterus ſimiles qui ducit Amores,
Aſſerit eſſe ſuas non ludicra tela ſagittas,
Quas ſimulac tinxit multum flaventibus undis,
Fel ſulphurve putes. His tactum carpitur igne
In-

Intenſo pectus, ſævis precordia flammis
Tabeſcunt, mediis flagrant incendia venis,
Et vagus in cunctos ardor diffunditur artus:
Angores animum pulſant, mæſtoque furore
Corda pavent. Ah quam parva dulcedine tantam
Miſcet amaritiem Venus, immitiſque Cupido!
Infelix quæ te dementia cœpit amator?
Cruda nimis magno das nutrimenta dolori,
Candeſcis, furioſe, nimis, mihi crede, nimiſque
Seria res amor eſt tibi, non hac arte fovendus.
Flammam oleo jungis. Non hac feritate ſevera
Fas eſt imbelles tibi debellare puellas.
Ipſe tibi, male ſane, noces, obſtacula ponis
Ipſe tibi, non hanc rivalis credito culpam.
Spernit rivales, bene ſibi quærit amores.
Non hæc in facie gravitas, auſteraque verba,
Quæque tuis addis recitans præconia factis,
Non hæc ambitio vultus, adductaque ſumma
Fronte ſupercilia, & parvis contraria juſſis,
Quæque puellares ſpernunt faſtidia curas,
Inſpirant aliis quos tu tibi concipis ignes.
Muta animum, aut muta, ſi non potes illud, amorem,
Vel potius depone, aut mox extrema malorum
Turbatam vertet tibi deſperatio mentem.
Mitior occiduas qua deſpicit Heſperus oras
Degit Amor, Modicos ubi Sol declivior æſtus
Temperat, & grati demulcent æquora venti.
Heic denſos inter lucos, nemus inter opacum
Neſcio quid meditatur Amor: Venus ipſa profundum

Neſcio

Neſcio quid volvens animo, & ſecreta retra-
ctans
Murmure ludentes tacito ſedet inter Amores.
Lætitiam nunc ore ferens, nunc lumina mœ-
ſtum
Dejiciens, variis miſcet ſuſpiria votis,
Multa animo, reputans, tacitoque in pectore
verſans,
Nunc flores, non illud agens, nunc gramina
carpit,
Carptaque rejiciens, rurſus rejecta reſumit,
Et variis in ſerta modis plicat, inque corollas
Conſilii male certa ſui. Mox ſurgit amatæ
Subducens ſeſe, ſubito reditura cohorti,
Et relegit quondam miſſas ab Adonide chartas,
Aut alias ſignat, myrtiſve inſcribit amores,
Hinc blandum ridens dulci tamquam excita
ſomno
Suaviter amplexus molles, atque oſcula nato,
Jungit, & incumbit puerili longius ori.
Jam quibus, & quales cupiant accendere flam-
mas
Non ſine conſilio comitum, votiſque Deorum
Conſtituunt. Nam rara Fides comitatur euntes,
Et tenui nullove nitens velamine Candor,
Nec quamvis duris cedens Conſtantia fatis,
Et Spes cum veris gaudens promittere falſa,
Et promptum Obſequium, ſtudiumque inſig-
ne placendi,
Et quæ vel licitis ſunt grata Silentia furtis.
Pulchra manus comitum, laſſus niſi lanquor
adeſſet,

Et

Et Dolor, & longæ tenuantes corpora Curæ,
Palloriſque metus genitrix, comiteſq; dolorum
Anxia ſollicito Suſpiria pectore ducta.
Hic poſtquam unanimi voto decreta Senatus
Confirmans ſtatuit binis dare cordibus ignem,
Quem Sol occiduus curſu jam feſſus anhelo
Produxit, lentum quamvis flammaque minantem
Exigua, ſed qui ſeſe penetralibus imis
Inferat, & nulla reſtingui poſſit ab arte,
Ipſe ſibi longos præbens fomenta per annos:
Continuo cœlo deterſo concolor amnis
Inficit armatam gracili mucrone ſagittam,
Intrima quæ cordis referet, penetrabilis imis
Oſſibus, & medias quæ tangat in oſſe medullas.
Hanc ſimul ac pectus tenui cum vulnere ſenſit,
Nativoque hauſit victuras fomite flammas
Nullo extinguendas poſthac conamine flammas,
Senſim intrat, ſenſim nutritur, ad intima ſenſim
Serpit amor, primoque leves moderatior ignes
Suſcitat, & vires tarde dum quærit eundo,
Inſontes cauſſas variis prætextibus addit,
Pectoraque arcanas nondum noſcentia flammas
Fallit amicitiæ ſpecioſo nomine, fallit
Nomine cognati, aut ſpecie civilis honeſti,
Quoſve alios titulos occaſio nata miniſtrat.
Poſt ubi jam nulla fervet medicabilis arte,
Et fibris ſolito flagrantior æſtuat imis,
Tum demum ſe prodit amor, tum denique vexat

Fru-

Fruſtra obluctantes, & cum ratione furentes
Imbelles animas. Faciem tunc cogit amatam
Luminibus ſtudio majori cernere fixis.
His etiam miſcent incendia nata vapores
Quos à Sole tenent, quem nubila multa cadentem
Majori faciunt mortalibus orbe videri.
Non aliter quæcunque vident hoc lumina fumo
Obſita, majori ſolito fulgore coruſcant,
Inque ipſo obtutu creſcunt, augmentaque ſumunt,
Splendidiora nitent vero, & meliora videntur.
Hinc adeo niveas frontes, & eburnea colla,
Labra roſas credunt, atque alba corallia dentes,
Et dignos Phœbo crines, digitoſque Lyæo,
Optandoſque ſinus Veneri, ſuraſque Dianæ
Dignaque Semideis, deſumptaque cætera cœlo.
Dumque adeo laudant, collaudanturque viciſſim,
Aſſumit vires, nec jam ſe continet ardor.
Jam puer infelix creſcentes duplicat æſtus,
Jam vultu, mœſtiſque oculis, atque ore fatetur,
Jam gemitus iterat, jam ſe male ſentit amare,
Jam ſcit quid ſit Amor, jam ſe miſerabilis ipſum
Appellat miſerum, jam fata incuſat & aſtra.
O utinam illa meos ſaltim cognoſcat amores,
Inquit, ut inde lubens moriar! Dum pugnat amori,
Multa cupit, ſperatque parum, nil denique poſcit,
Cun-

Cuncta timet, ſpes ipſe ſuas atque omina damnat.
Sæpe ſuo fruſtra ſolantia verba dolori
Dicit, & heu fruſtra medicinam in carmine quærit.
Littera mox caræ perfert ſua vota puellæ.
Ipſeque jam ſeſe genibus provolvit amatis,
Semper adoranti ſimilis, ſemperque dolenti,
Dum lacrumas precibus votiſque ardentibus addit.
Nunc Venerem, facileſque vocans implorat Amores,
Non audituro promittens munera cœlo.
Numina mox iterum mittit, ſolamque puellam
Numinis inſtar habet, cui templa dicanda, vel aras,
Ponendoſque aris ſtolidè meditatur honores.
Totus in hac animus, ſolam hanc in pectore ponit,
Huic ſe committit ſoli, præcordia ſoli
Huic reſerans, ſenſus animi & ſecreta revelat,
Huic ſoli ſervire cupit, mandataque poſcit,
Quæ confecta ſuos illi teſtentur amores.
Jam ſe mancipium, contempto nomine ſervi,
Captivum jam ſe vocat, & ſibi vincla, catenas,
Et mala neſcio quæ non tam crudelia fingit.
Felices talis queis pectora mutuus ardor
Conjunxit, niſi tanta fides ratione careret
Interdum, ſaperetque parum, curaſque cieret,
Contemptam raro patiens requieſcere mentem,
Atque infinitis metas imponere votis.
Ultimus ad gelidos Amor eſt torpentior Arctos,
 Ob-

Obtuſoque vibrans albentia cuſpide tela,
Extremum lenta vix ſtringit arundine pectus.
Et Venus exiguos fundens in membra tepores,
Vix primos agitat ſenſus. Facit illa videri
Nomine quos vero vix dicere fas ſit amantes,
Aſt imitatores quos dicere fas ſit amantum.
Hi faciles laudant temere, luduntque puellas,
Omnia promittunt alacres, munuſcula mittunt,
Obſequium parvis præſtant, ad magna recuſant,
Irritaque in tenues jactant perjuria ventos.
Attamen interea læti comitantur euntes,
Atque jocos lepidos miſcent, & mellea verba,
Nugantur, ſaltant, cantant, dextraſque protervo
Conjuncti nexu ludunt pueriliter una,
Et dant amplexus, & cum licet oſcula figunt,
Se faciunt quales libitum eſt, & mille figurant
Ora modis, ipſumque imitantur Protea vultu.
Nunc hos zelotypo credas ardore furentes,
Nunc, indignanti ſi diſplicuiſſe puellæ
Se videant, duro credas occumbere fato,
Et jam velle mori, jam velle ad Tartara mitti.
Si lubeat, cogunt oculos lacrumare peritos,
Et varios animi turbati fingere vultus,
Miſcentes doctis ſuſpiria mille querelis.
Verum intus tranquilla quies, atque otia nullo
Hac certe de parte gravi rumpenda tumultu.
Non illis vigiles diſtendunt pectora curæ,
Nec violat dulces pernox meditatio ſomnos,
Ni mox verus amor (nam nil durabile fictum)
Interiora ſuas adigat ſub corda ſagittas.

In-

Interea reliquæ divum ſejuncta catervæ
Sola vagabundos mendacia pone ſequuntur,
Et ſimiles vero fingens Simulatio vultus,
Diſcordeſque agitans mala Diffidentia mentes,
Et mutare novas levis Inconſtantia ſedes.
Haud quiſquam illorum pectus mihi lædat Amorum
Nec cæcas condat mea ſub præcordia flammas.
Unus Amor Princeps turba præſtantior omni
Semi-Deûm, divos inter numerandus, ad oras
Rarius huc noſtras cœlo delabitur alto.
Juppiter hunc uno quo doctam Pallada partu
Edidit, atque ſibi vicina ſede locavit.
Non illum liceat puerum dixiſſe, juventam
Quamvis ore ferat. Non huic velamina viſum
Impediunt, ſtant ſigna oculatæ lumina mentis.
Non arcus geſtat, crudelia tela, ſagittas
Vulneraque ignorat, nullo cor ſauciat ictu.
Ignis inextinctus, Veſtali ſanctior ignis
Incendit modico venas & corda calore,
Vis illum ſecreta manet, cœleſtis origo,
Cœleſtis virtus, ipſis divinior aſtris.
Accedit divina Venus, Venus aurea, ceſto
Conſpicua inſigni, cui gratia, forma, venuſtas,
Atque joci, & modicè miſcentes ſalſa lepores,
Et riſus, luſuſque, & non damnanda Voluptas,
Atque uno liceat rem totam dicere verſu,
Contentæ ſecum mentes debentur amantum.
Quam ſecretus amor, quanta eſt concordia divis!
Quam bene conveniunt, & mentes ſemper amicas

Congruaque unanimi conjungunt pectora voto!
Ut ſe Philoſophum præſtat cum matre Cupido,
Ut docta ratione locos deducit in omnes
Argumenta, ſacroque modum præſcribit amori!
Non hæc Socraticis cedat ſapientia chartis:
Concordant iſtis doctæ præcepta Stagiræ,
Octavoque viri flammas ſe prodere luſtro,
Et quarto teneras faciunt ardere puellas.
Tunc ceſtum Venus alma, ſacros tunc injicit ignes,
Et non rumpendis ſociat duo pectora vinclis.
Hæc vos KIRSTENI & felix DASSOVIA jungunt;
Scilicet haud alios vobis fas pectus Amores
Tangere, non alios fas eſt accendere Pindum,
Et Muſis miſcere ignes. Venus una ſacratas
Parnaſſo flammas infert Permeſſidos undæ
Non extinguendis addunt nutrimina flammis.
Non illum fugiam reliquis inimicus Amorem.
Hos tibi felices, KIRSTENI comprecor ignes,
Et tibi laudandas grator, DASSOVIA, flammas.
Quam vos læta quies, quam vos ſincera voluptas
Et tranquilla manet, contentæque otia vitæ!
Quam fortunatas vobis concordia mentes
Colligat unanimi nodo, quam ſemper eoſdem
Cordibus & ſanos ſenſus inſpirat utriſque,
Et ſimul arcano connexa ligamine ducit
Pectora, qua virtus & qua Sapientia vertit.
Nempe eadem cupiunt, eademque precantur, & horrent,

Et paribus ſtudiis, & eodem tempore motus
Æquales capiunt, æquali tempore ſervant,
Rectaque non rectis non ſunt conformia veris
Vera magis, quam quæ jungunt has fœdera
mentes.
Fœdera ſint æterna precor. Tu Rector O-
lympi,
Qui cœlum Imperio premis, utraque fata gu-
bernans,
Qui nutu ſubjecta foves, vel concutis uno;
Quo ſine nec noſtris caſti naſcuntur amores
Pectoribus, nec vera ligant connubia mentes,
Nec bene conjuncti ditantur prole parentes.
Te precor, hoſce piis accenſos cordibus ignes
Conſerva, radiiſque fovens, Pater alme, be-
nignis,
Fac durare, tuo flagrantes nomine tædas.
Da precor, in ſeros KIRSTENIUS ardeat annos,
Ardeat in longam DASSOVIA læta ſenectam,
Tardaque felices impugnent funera flammas.
Da parvæ Veneres, parvi naſcantur Amores,
Qui te KIRSTENI, quæ te DASSOVIA vultu,
Reddentes, animis referant utrumque paren-
tem,
Seraque vos faciant poſt funera ſæpe renaſci,
Et pulchra totum gaudere propagine mundum!

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

AD
THEODORUM ANKELMAN HAMBURGENSEM,

Cum impetratâ Heidelbergæ in utroque Jure Licentiâ, una cum communi Amico

CHRISTIANO MARTINO DORN,

Holſato, peregrinationi accingeretur.

IN Themidos ſanctum Pindo plaudente Senatum
ANKELMANNUS eat, nodiſque ligata reſolvat
Jura ſuis, legumque ſciens oracula pandat.
Et valitura ferat populo reſponſa petenti.
En tibi judicium Divæ, quam juris & æqui
Arbitrium penes omne manet, cui turba clientum
Annuit, & vulgant decreta recentia Myſtæ
Heidelbergenſes. Conſtant ſua gaudia Pindo,
Et Phœbus Phœbique comes pia turba ſororum
Certatim tua templa, Themi, & tua feſta frequentant
ANKELMANNE, novoſque tibi gratantur honores,
Seria conjuncto teſtantes gaudia plauſu.
Gaudia quæ Divis, & quæ, dulciſſime DORNI,
In-

Invideam tibi ſoli, unum niſi pectus utriſque
Jamdudum foret, & tibi quem præſentia & arctus
Auget amor, ſpatiis idem tranſmiſſus iniquis
Quam libet, in noſtro geminaret pectore ſenſus.
Rarior his etiam præſens Venus aurea feſtis
Advolat, & præbet puerilibus omina votis,
Inſpicatque faces hilari cum matre Cupido,
Ipſa decus formæ ſolito ſtudioſior addit,
Mores qui placeant, geſtum qui poſſit amari
Fingit, & auratum, ne quid ſibi deſit, adaptat
Ipſa manu ceſtum, qui formam, animumque miniſtret,
Verbaq; queis functo ſtudiis commendet Amico
Se puerumque ſuum. Sed jam ſacraria pandens
Intima, & attentis relegens myſteria divis,
Fatidicæ Themidos, doctique oracula Phœbi
Promit Atlantiades: & qua ducendus in orbem
ANKELMANNUS eat; quam ſe duce ſalvus ad aulam
Commigrare ſuam, cultoſque videre Batavos
Debeat, & nullo jungendos ponte Britannos,
Inde virum lætis Gallorum deſtinat oris,
Et tandem quacunque patet Germania, multis
Caſibus, & variâ per tædia longa viarum
Fortunâ, incolumem tamen, & comitante fideli
Felicem ſocio, (quo bina cubilia Solis
Aut Arabas, vel utrumque Polum non cuncter adire,)
Deductum, patriis reddit feliciter oris.
Hic Tibi, chare, Deum munus, pulcherrima claro

Stemmate nympha gravi ſeſe cum dote reſervat,
Quam tibi Magna Venus lecto ſociare jugali
Tendit, & in ſeros dat amare fideliter annos.
Sic ait, & promptis jam dum talaria plantis
Nectit, iterque vias properat ſociare per omnes
I felix, comes i felix, dulciſſime DORNÎ,
Quo vos fata vocant: & ſeu nos Rhenus in altum
Oceanum multis gravidus qua proruit undis,
Seu Liger, aut Tameſis, vel quam nunc, Sequana, poto,
Barbaricaſve rigans Iſter violentior Urbes,
Aut variis demum præcingens tempore cannis
Albis, & uſque tuas contemnens, Alſtria, lymphas
Nymphis, Billa tuis ripiſque ſuperbus amœnis,
Nos iterum nobis, & noſtris reddet ovantes;
(Quæ mihi quæ totis lux optatiſſima ſeclis
Gratior exiſtet,) Quam tunc nos fronte ſerena
Amplexus inter dulces, atque oſcula læti,
Miſſa per abſentum communia gaudia mentes
Fraternoſque iterum coram jungemus amores
Rectius, unitis geminantes omina votis!

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

LACRUMÆ
AD
GODOFREDUM MELMIUM
DUSSELDORPIO-MONTANUM

Ph. & Med. D. Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Principis Neoburgici Medicum Aulicum, & Patriæ ſuæ Archiatrum, Phyſicum & Polytriatrum feliciſſimum

In funere

CATHARINÆ MELMIÆ
Sororis dum vivebat, cariſſimæ,

PRÆFATIO.

JAm ferme totum, Sol circumvolvitur annum,
Ex quo nulla mihi Muſa vocata fuit.
Sive vocata fuit (memini nam forte rogatam
In Themidos laudes,) fruſtra vocata fuit.
Ergo vale, dixi, quondam cariſſima nobis
Quæ canis in doctis turba novena jugis.
Si Themis eſt odio vobis, at ſemper amatum
Præ cunctis vobis hoc mihi numen erit.
Conticuere Deæ, tenuitque ſilentia Pindus,
Nec revocare mihi numina læſa fuit,
Donec an inferias, & funera mœſta ſororis
Pro ſolito Pindi convoco more tuæ.
Annuit antiquos renovans mea Muſa vigores
Et verbis noſtris promptior ipſa fuit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Sponte ſua verſus, neglectaque plectra reſu-
mens,
Officioſa mihi triſte peregit opus.
Sive tuis, rara ſeu virginitate ſororis
Conſpicuæ meritis hoc mea Muſa dedit.
Hoc precor, ut quia nunc olim quæ ferre ſolebas
Lætior ad noſtros non licet ora modos.
At quantum fas eſt excuſſo è pectore luctu,
Fronte ſerenata carmina mœſta legas.

LACRUMÆ.

ET indolere me doloribus MELMI
Tuis, boniſque, publiciſque nunc verbis
Ornare fas ſit hoc ſororium funus.
Etenim fateri ſi mihi licet verum,
Querulaque voce mentis intimæ ſenſus
Proferre: non jam dixerim tibi, MELMI,
Tuus ne, proprius ne nunc magis luctus
Venis tepentem ſanguinem gelu figat,
Animumque menti, & ſpiritum neget membris.
Uterque certe pectus occupat totum,
Geminumque mœſto corde ſentio luctum.
Et vero, MELMI, ſi tuo meum pectus
Sic ſeparari poſſet, ut tuo poſſet
Contrarios, ac diſpares pati ſenſus,
Non mente ſanâ, corde non forem dignus.
Jam quid beatæ virginis decus cantem
Virtute partum, quam domeſticus quondam
Teſtis ſilere nolo, nec loqui poſſum
Immane triſtis, heu! doloris augmentum!
Ne multa dicam, (nunc quod impedit luctus)
Me-

Meritiſque quamquam, & teſte vel Deo veris
Manes modeſtos laudibus gravem longis,
Hoc proferam unum verbuloque defungar.
CATHARINA nomen omini ſuo junxit.
Et vera puritatis integræ norma
Vixit, ſuoque comprobavit exemplo
Hoc quod ferebant fortis incolæ Spartæ,
Generoſa nullis corda protegi muris.
Non ergo clauſtris noſtra, non feris digna
Caveâ, nec altos inter abdita eſt muros.
Coacta virtus, & licentiam ferre
Inepta, ſæpe carcere indiget clauſo,
Et labis intus conſcium ſuæ pectus,
Metuenſque, propugnaculum putat muros.
At Chriſtiana mens, & intima ſecum
Virtute tutum, prorſus unicum CHRISTUM
Obtendit, æs & robur optimum cordi.
Cuſtode ſolo hoc fata quos dabant annos
CATHARINA vixit, & modeſtia ſumma,
Pietate ſumma, Numini, & bonis vixit,
Satiſque fecit, donec impigram curis
Domeſticis, laboribuſque conſuetis
Studio vacantem ſedulo puellari,
Monuit ſubire, quod diebus hinc paucis
Subiit citatum mente maſcula fatum.
Hanc flemus uno, plangimuſque nunc uno
Dolore MELMI, ſed dolore condignô,
Qualiſque fato convenit pio functis,
Qualiſque debet eſſe Chriſtianorum,
Quos, nocte quamvis dormiant inæquali,
Tamen lux una mox beat reſurgentes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

PRODROMUS TRIUMPHI FAMÆ JOHANNIS FRIDERICI GRONOVII, J. U. D. & P. P. Lugduni Batavorum,

In Parnaſſo decreti.

GRONOVIANÆ tot laboribus doctis
Scitiſque ſcriptis ſat ſuperque ſpectatæ
Famæ, triumphum gloria perennanti
Poſt fata, tardatique funeris metam
Qua rite ritu ducat, atque condigna
Æternitati tradat inclytæ pompa,
Et poſteris nepotibuſque commendet,
Jam mente dudum quærit anxia Phœbus,
Dubiuſque magna lite diſputat Pindus.
Quivis Deorum nempe, quæque Divarum,
Queis docta templa, verticeſque Parnaſſi,
Sacræque laurus, ac amabiles luci,
Dulceſque lymphæ Pegaſeii fontis,
Verſuſque molles, litteræque ſunt cordi,
Hic eſſe primas poſtulat ſuas partes,
Suaſque nolit eſſe quiſque poſtremas.
Non ergo vulgo quæ ſolent adornantur,
Titulive vani, laureæve communes,
Indigna ferri dona mentibus tantis:
Inuſitata, parciuſque collata
Animiſque plebis haud habentibus quidquam,
Il-

Illuſtrioribuſque mentibus digna
Parantur, & quæ diſplicere non poſſint
Divis, & ipſi grata quæ forent Phœbo.
Quam ſancta lux eſt! Quantus ille Parnaſſi
Chorique ſacri lucet entheus fulgor!
Quam magna, pulchra, quamque digna te cuncta
Surgunt, GRONOVI: Quanta ſtat columnarum
Series, & alta fulcra, digna vel cœlo,
Titulis, tuiſque laudibus ſacris chartis,
Gemmis & auro dignioribus chartis,
Sculptiſque depictiſque vultibus præbent:
Et nomen arcus evehunt triumphales.
Aſtriſque ſeſe contrahentibus condunt.
Quis cuncta dicat, exprimatve quis fando,
Quæ vota, quanti templa compleant plauſus,
Quibuſque numquam finienda lux tantis
Requireretur laudibus recenſendis?
Quidquid Vetuſtas doctioribus ſeclis
Seu Graja, ſive vidit uſque Romana
Vatum bonorum, ſive nuda qui vera
Sermone docto poſteris reliquerunt,
Hoc occupari nuuc GRONOVIO cernas.
Nec ullus alta tantus eminet turba,
Adſcribat ipſe quin ſuæ lubens famæ
GRONOVIANO nomini ſuam partem,
Et à tenebris vindicare quin pergat,
Illum, ſagaci qui removerat mente
Tantum libellis optimis tenebrarum,
Et ſecla longa quas adauxerant labes,
Et imperitæ duplicaverant dextræ.

O ſi diſerta vox, & aureus ſermo
Et copioſus nunc mihi redundaret,
Sacerque fons rigaret aridam venam!
Stylo GRONOVI pingereris antiquo,
Aſcræus olim, Mœoniuſve quo Vates
Vel orbe docto cognitus Maro toto,
Aut Tullius Demoſtheneſve ſcribebant.
Hi nempe cuncti, quoſque proximos tantis
Sedere leges ordinant ſacræ Pindi,
Tuis, GRONOVI, laudibus, tua fama
Operoſa laſſant ora docta certatim.
Salve, GRONOVI, lucidum refulgentis
Decus Lycœi, quo nec adſpicit majus,
Nec docta cui par tota novit Europa:
Doctrina cujus omne quod vetuſtatis
Grajæve Romanæve reſtat, exhauſit,
Tibicen, & columna litteraturæ
Alias ruentis, eruditior nemo
Quo poſſit alter eſſe, magiſve ſincerus
Verè elegantis elegantiæ doctor,
Humaniuſve humanitatis exemplar,
Præcepta pulchra moribus probans rectis,
Socianſque verba magna maximæ menti.
Quam te, Sorores teſtor hoc novem doctas,
Ipſumque Phœbum, quam te deſero prorſus
Invitus, & ſilentio & colens triſti
Taciturnitate, fulgidiſſimum lumen
Vitutis, admirabiliſque doctrinæ,
Faſtu decoro, debitoque ſplendore
Orationis impotens adæquare.
Quod ſi quid olim, ſi licebit, ô Phœbe,
Quam, tunc cothurno celſior Sophocleo

Gradiar, GRONOVI, & concinens tuas laudes
Dicabo totos nomini tuo Soles.
At nunc inertis conſcius mihi Muſæ
En delicatis auribus tuis parco,
Dum quod canendum reſtat oppido magnum,
(Si quidem, quod opto, quodque corde nunc toto,
Ardentioribuſque comprecor votis,
Valere quidquam det benignius numen,
Nec ferre ſpem det hanc volucribus ventis,)
Quondam Camœna doctiore pangendum
Fluentiori deſtinamus hoc venæ,
Perfectiori deſtinamus hoc arti,
Maturiori deſtinamus ætati.

PIA VOTA

Fratri cariſſimo, & honoratiſſimo
JOHANNI PLACCIO
Laurum Medicam

In Academia Electorali Dugsburgenſi oblatam acceptanti.

Poſt longas ſic ergo moras, dulciſſime, tandem
Te, Germane, tuus tamen exoravit Apollo,
Perſuaſitque ſacra præcingere tempora lauro,
Et doctas ornare comas, pectuſque modeſtum
Plus nimio juſſit titulis adſueſcere dignis
Doctorumque choro ſeſe ſociare medentum,

Ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Ex meritis, Germane, tuis, quæ numina Pindi
Jam dudum reſonare docent, in carmina ſylvas
Cogentes, & laude tua laureta notantes,
Majores tecum ſemper ſumptura vigores,
Et latis auctura perennia nomina ſulcis.
At nunc imprimis, feſtæ ſolemnia lucis
Dum tua ſacra vocant, largis Helicona fatigant
Cantibus, atque tuas non uno nomine dotes
Concelebrant, & digna bonæ præconia mentis
Ætatem perferre jubent, & creſcere ſeclis.
Hoc Chorus Aonidum, Chariteſque, & Pallas, & omnis
Parnaſſi divina manus molimine magno
Hoc agit, exempliſque bonis accenditur ardor
Cantantum, atque artis, Phœbeæ jura cientum.
Tum Phœbus, veros ubi jam ſe poſcere plauſus
Audiit, optatoque moras non amplius ullas
Officio ſupereſſe ſuo perſpexit, amicis
Numinibus, doctiſque Deûm cultoribus addit
Se ſocium: dux inde viam dum monſtrat eundo,
Vertitur, obſcuro qua ſe ſacraria luco
Implicitis condunt adytis. Reverentia magnâ
Relligione locum longis ab origine ſeclis
Induit, & denſis terrorem admiſcuit umbris.
Montis inacceſſus ſublimi vertice clivus
Aſſurgens terris ſeſe ſubducit, & alto
Nubibus emergens ſuperatis tollit Olympo.
Radices ſubtus vario curvamine latè
Labentes liquidæ fontis Permeſſidos undæ
Defendunt, plebique arcent, turbamque profanam
Illotis prohibent veſtigia ponere plantis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Planities ſuprema tenens, non arcta, nec ampla,
Deſpicit affuſos, & Majeſtate decora
Ornat adorantes humili moderamine valles.
Poſſet & illa latens quamvis excelſa vocari,
Undique dum denſæ conferta cacumina lauri
Subducunt oculis ſoles, imitamine docto
In nova formantes dubiæ crepuſcula lucis.
In medio auratis ſtant ænea tecta columnis,
Ardenteſque fovent æternis ignibus aras,
Quæ circum fuſas dirimentes luce tenebras
Auguſtos aditus venerando lumine complent,
Inſpirantque metum, & præſens agnoſcere numen
Cogentes, cultus magna formidine puros,
Præcipiunt, pulſantque arcano corda pavore.
Sola patent doctis ſanctiſſima limina divis,
Quos magni Heroum circumſtant undique Manes,
Et quas doctrina, aut virtus accedere famâ
Jam non mortales dedit immortalibus umbras.
Cætera turba fores, atque atria longa frequentat
Eminus, & flexis genibus veneranter adorat.
Huc properat Phœbus, valviſque patentibus altis
Excipitur tectis, hinc celsâ ſede repoſtus
Cultum accepturus venientum, & vota ferentum,
Clarior ipſe ſuis ſolio ſupereminet aris.
Ut primi cultus, & ceſſavere ruentum,
In pia vota, preceſque intenſa voce tumultus,
Omnibus ecce novus præſtringit lumina fulgor,
Majoreſque vomunt ſolitis altaria flammis:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Et diffuſa ſolo poſtes innoxia ſcandunt,
Feſtaque ſe totis ſpargunt incendia tectis.
Accipimus fauſtum, ô Superi, atque agnoſcimus omen
Phœbus ait: celerique gradu, non plura locutus,
Qua ſeſe arcano condit cortina receſſu,
Et ſoli reſeranda patent ſacraria Phœbo,
Feſtinat, dextraque apportans nobile ſertum
Exhibet, & mediâ ſpectandum luce reponit.
Enthea mirandis laurus variata figuris
Non vulgaris erat, foliis ornata ſuperbis,
Frondiferiſque comis, & floribus obſita pulchris,
Non immaturis & fœcundiſſima baccis.
Seu ſancti natura loci divinior illam
Seu Superum juſſere manus formare coronam,
Multaque fatidicis foliorum pandere fibris,
Magnaque ramoſo prætexere nomina flexu,
Et lævi nutrire inſcriptos cortice verſus.
Scilicet hic doctis per tot jam tempora curis,
Atque tot annorum ſpatiis quæſita, tot oris,
Ingenioque inventa tuo, Germane, leguntur
Plurima, quæ noviſſe olim ſtudioſa laboret
Poſteritas, ſerique, habeant diſcenda nepotes.
Hic nulli ceſſura Scholæ ſe JULIA jactat,
Teſtaturque tuos celebris PHILURÆA labores,
Atque Antenorei ſtant ſigna ſuperba PATAVI
Frondoſis efficta notis: juxtaque refulgent.
Nomina clara Virûm tibi qui Phœbea petenti
Culmina, prælato monſtrarunt lumine calles
Arcanos, poſtquam matura morte peremptum
Hic lugenda etiam fata invidere parentem.
Mille

Mille alia arrectos procul effugientia ſenſus
Signa, ſecuturos olim teſtantur honores,
Et ſortis memorant felicia fata futuræ.
Dumque ea ſpectantum curas & lumina figunt,
Dum tenet attonitos pulcherrima laurea Divos:
Talis, Phœbus ait, cultoribus ardua noſtris
Laurea debetur, noſtrâ quos voce citatos
Sæpius, inque ſuas laudes in parta vocatos
Præmia, nunc animus vani contemptor honoris,
Et nimis, ah juvenum nunc rara modeſtia menti,
Diſcendive ſatis non commendabilis ardor
In ſerum titulos ſuaſit differre paratos.
Nempe ſuas habeant, quos importuna cupido,
Atque excuſandus juvenili in pectore fervor
Vix ſpe promeritas, nullo præbente petitas
Nondum maturas, nec læta fronde virentes
Invitaſque adigunt in tempora cogere lauros
At queis longa dies, queis experientia multis,
Et variis quæſita viis, & mille periclis
Confirmans præcepta artis ſolidavit ab annis,
Oblatamque ultro, aut majorum more petitam
Acceptare dedit Parnaſſo judice laurum:
Illis perpetuo cum flore, tumentia baccis
Serta damus matura, manu nunc qualia noſtrâ
Accipit, en, decorique ſuo jam PLACCIUS hic eſt.
Hunc mecum celebrate precor, quæ Numina Pindus,
Quoſque ſibi manes doctos Medicina faventes
Heic habet, noſtro vocem conjungite plectro.

Sic

Sic ait, & citharam divinis cantibus aptat;
Docta ſonaturas properans adducere chordas.
Exoritur plauſus, feſtivaque gaudia totis
Ingeminant tectis, vaſti gratantia Pindi
Felices pia vota ferunt per culmina cantus.
Accedunt promptæ tumulis felicibus umbræ
Compoſtæ, doctoque locati vertice Manes,
Queis olim vivis magnæ medicamina curæ
Semper erant, eademque manet mens docta ſepultis.
Creſcere quæ Medicam non invidioſa cohortem
Hoc membro lætata manus, frondentibus aris
Hi flores, alii ſylvis fragmenta beatis
Carpta, perennanti nectunt nova ſerta coronæ.
Imprimis, Germane, tui ſtudioſa decoris
Non humiles umbras inter, non ima medentum
Gloria, cui quondam fuerat dignata ſalutem
Hamburgum mandare ſuam, dum vita manebat,
Nunc per te victura tibi cognominis Umbra
(Sit tamen heic etiam, ſit fas meminiſſe) Parentis,
Accelerans, plenis fert candida lilia dextris,
Atque exauditis teſtatur gaudia votis,
Gaudia, quæ cineres recreent tellure ſub imâ,
Mortua quæ moto pertentent oſſa ſepulchro.
Aonidum interea læta recinente caterva,
Laurigera doctum ducens teſtudine plectrum
In cantus Thymbræus agit, quod ubique Deorum eſt,
Utraque qua ſeſe tollit Parnaſſia rupes,
Et Cirrham tegit, & ſubjectos undique valles,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Et ſortes, Germane, tuas, & proſpera fata
Non interruptis vicibus connexa, nec ullis
Te radiis poſthac umquam adſpectura ſiniſtris
Aſtra legit, laudeſque tuas attollit Olympo,
Et ſeram ſpondens in poſtera ſecula famam,
Sollicitat doctas, & reſpondere paratas,
Et ſatis aſſuetas, in grandia carmina ſylvas.
Non ego neglecta jam me fugiente Camœna
Hæc repetam, non hæc fugientem in carmina poſcam,
Laudatorque tui nimis invidioſus honoris,
Et media pro parte mei (communia fratrum
Cuncta putans) auſim luces numerare Minervæ
Et ſeras Phœbo vigilatas dicere noctes.
Nec tibi lecta canam, ſpinoſiſve eruta curis,
Quæ data, ſed multis ceu non data priſca reliquit
Romanis Grajiſve libris obſcura vetuſtas.
Parco verecundo nimium, Germane, pudori.
Parco tuo, pariterque meo, quem lædere quamvis
Parva ſolent, & nota ſuo præconia vero.
Nec minus hæc ideo peragentur, & ora canora
Tot Vatum te mecum una, Germane, ſilebunt.
Non ſinat hoc Pindus; qui dum doctrina modeſtos
Inveniet, nulla dumque ambitione tumentes
Ars dabit artifices, dum proferet improba Virtus
Magnanimos, factiſque ſuis ſine laude beatos,
Addet & invitis qui tempora digna coronent,
Et non quæſito tollant ad ſidera faſtu,
Altius hoc, quo tarda magis ſe prodidit ipſam
Per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Perficiens, ſtudioque recondens Inclita Virtus.
Non ſecus ac ſulcis recte mandata profundis
Serius injecta eluctantur ſemina terrâ,
Aſt ubi comprenſa teneant radice, ſuoque
Stipite ſe fundent, ſuperas nituntur in auras
Vi ſuffulta ſuâ, vicinaque gramina celſo
Vertice deſpiciunt, nec curant ætheris iras,
Egelidum Jovem, tempeſtatumque potentem
Hippotaden ſævos miſcentem grandine nimbos.
Vel potius flammam videas ut forte ſepultam
Intus materiem quæ verſat, & abdita ſecum
Incendens movet, atque rapit, ſpiramina claudens
Sæpe ſuâ, & proprias frangens ſibi noxia vires:
Quæ poſtquam largo nutrimine fortior, omnes
Perfregit, fecitque vias, adituſque patentes,
Proruit, & flagrante polo ſe vertice tollens,
Verberat obſtantes agitata valentior auras.
Non aliter, Germane, Tuæ præconia famæ
Hactenus haud ullis votis quæſita, ſed uſque
(Non ſecus ac ſummum foret inclareſcere crimen)
Aſſiduo Studio tectis damnata latebris,
Ore olim celebrata diſerto, & divite vena
Materies Vatum ſurgent optata, tuumque
Ni pergas celare nimis, quod deprecor, ipſi
Parnaſſi proceres tollent ad ſidera nomen.
Aſt ego, quem connata vetant, æternaque jura
A propria, Germane, tuam diſtinguere ſortem,
Quemque pares tecum & communes carpere ſenſus
Læ-

Lætitiæ, vel quod nolint bona fata, doloris,
Sancta fides, pietaſque jubent, ſolvendaque numquam
Vincula, communi quæ ductus origine ſanguis
Texuit, & non his probitas, non indiga virtus
Subſidiis numquam violando junxit amore:
Quæ tibi nunc bona verba feram? Solennia plauſu
Quo tuo feſta beëm, poſtquam laudare merentem
Ipſe vetas, digitoque inviſa ſilentia ſuades.
Non tamen hæc ſervem, frater dulciſſime, non hæc
Permittit tam feſta dies; jam ſentio, Frater,
Sentio, quæ noſtras depoſcant carmina curas,
Quæ diſceſſuram valeant tardare Camœnam.
Jam taceo laudes; Non hic incredule livor,
Quod carpas erit, aut metuas, formidine cæcâ,
Ne quid juſtus amor, fraternaque gratia vero
Adjiciat, cui vix dignum ſuperaddere quidquam
Docta Meletéis valeant præconia chartis.
Nec quas lætitiæ merito laxamus habenas
Nunc ego decantans operoſo carmine dicam:
Mutuus & perſpectus amor nil teſte papyro
Indiget, & vel ſe mutus commendat amanti,
Et ſimiles gemino deſcribens pectore ſenſus
Non aliis ſignis, non verbis indiget amplis.
Denique nec varia pictas in imagine formas
Multum olim dilecta meæ ludibria menti
Nunc revocare vacat: poſtquam vaga nubila rerum

In

In plenum ceſſere diem, frarernaque tandem
Gaudia non ficto recreant mea viſcera motu.
Scilicet hic umbræ, hic luſus, hic ſomnia ceſ-
ſant,
Et ceſſant fictæ veri ſimulacra figuræ,
Et verus penetrat præcordia ad intima ſenſus.
Hoc igitur ſolum nobis quod reſtat, agamus,
Dulce decus, Germane, meum: pia vota, pre-
ceſque
Nunc etiam ſociemus. Amant bona numina
junctas
Concordeſque preces, & amantes numina fra-
tres.
Unanimes ergo tollamus ad æthera palmas,
Et mentes, atque ora ſimul tollamus Olympo,
Immenſaſque Deo grates, laudeſque feramus,
Auxilio cujus nunc contigit eſſe beatos
Præteritis, rebuſque aptemus vota futuris.
Æternum celebrande Deus, qui cuncta tre-
mendo
Concutis imperio, qui Majeſtate verenda
Æterni convexa poli, numeroſaque comples
Sidera, conceſſumque ægris mortalibus orbem,
Naturæque vices, fatique arcana gubernans
Non dubio volvis momenta perennia motu.
Te ſine nil, venerande Parens, mens inchoat
altum,
Proſequitur, finitque nihil. Tu ſolus in omnes
Impellisve rapisve auſus. Tua gloria, ſi quid
Te dignum, noſtra ſi quid memorabile mente,
Vel verbis, factisve piis cum laude paratur.
Tu poſtquam patriis juvenes excedere tectis,
Octa-

Octavamque hyemen, toties jam meſſe peracta
Juſſiſti peregre diverſis degere fatis:
Caſibus ah quantis, ah quot, quantiſque periclis
Nunc ambos una, nunc per diſcreta vagantes
Ceu fors, ceu ſtudii ratio diverſa ferebat,
Ereptos, huc uſque tuo, Pater optime, fretos
Auxilio durare jubes, fatiſque benignis,
(Sic voveo,) & placidæ nos adſervare quieti.
Quas tibi condignas, toto ſi corde velimus,
Pro tot muneribus poſſimus reddere grates?
Nil tibi ſufficiat. Totum quod reddimus, illud
Acceptum Tibi nempe uni, ſolique ferendum
eſt.
Hoc igitur, quodcunque dedit tua gratia nobis,
Munere quodque tuo noſtrum eſt, quodcunque
tenemus,
Reddimus, imperiiſque tuis ex aſſe dicamus.
Tu ne ſperne precor, ſed conſervare memento
Summe pater, tibi victuras cum corpore men-
tes.
Nempe tibi propriæ ſunt, pars quotacunque
bonorum
Atque domus, Pater alme, tuæ. Tu, quæſo,
potenter
Rem tutare tuam: turbæ defende nocenti,
Atque orna, decorique novum decus inſuper
adde
Perpetuo, cumulaque piis pia pectora donis.
Da faciles curſus fatorum, & mollia ſurgant
Tempora, da reditus dulces, patriamque videre
Pacatam, claroſque focos, ſalvoſque penates.
Binaque da viduæ redeamus gaudia matri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Expectata diu. Da lætis ſanguine juncti
Incolumes, fidique una gratentur amici,
Præteritoſque dies, atque aſpera multa viarum
Sæpius, & dubiæ ſuperata pericula ſortis,
Atque exantlatos poſſint meminiſſe labores.
Sic Tibi, tranquillæ peragentes otia vitæ,
Vivamuſque bonis, donec tua gratia nobis
Hic indulta ſatis, nil jam telluris egentes,
Nil cupidos mundi, toto tibi tempore promptos,
Spemque imperfectam vitæ melioris alentes,
Sanctorum ſummo ſocios adſcribat Olympo.
Hic æterna quies, & mens puriſſima nullis
Corporis impedienda malis, perſpectaque plenis
Luminibus, ſoli myſteria cognita cœlo
Hactenus, æternis magnum & venerabile Numen
Laudibus, æterniſque dabunt celebrare triumphis.

SOTERION VOTIVUM
DEO TRINO ET UNO
Pro ſalute toties olim, & nunc denuo reſtituta, & hactenus clementer conſervata, ac impoſterum conſervanda, dicatum.

TAndem Magne DEUS, mundi mirabile Numen,
Productum Verbo, Verbi qui viribus orbem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Conſervas, verboque tuo nutuque gubernas,
Te quoque dicemus. Tibi poſt tot vana laborum,
Et male conſumptos ad inania ludicra verſus,
Carminis extremas ſit fas impendere curas.
Indigno ſic ore licet, licet impare venâ;
(Namque Tibi ſperare nefas par dicere quidquam)
Aſt animo magno, & magno cantaberis auſu.
Tu modo quem quondam Dominum cognoſcere ſolum
Nomine terrifico ſervi poteramus inertes,
Aut animo Regem timido trepidare ſeverum,
Nunc tua quod nobis indulſit gratia, blandum
Poſſumus ingenti ſolamine ferre parentem
* Et ſalva pietate Deum quoque dicere fratrem.
Tu mundique hominumque Parens, ac alme Creator,
Et tu ſancte puer, dulciſſime frater, JESU,
Et tu præ reliquis Sanctus qui Spiritus audis,
Quod Trinum colimus (myſteria!) Numen in Uno.
Te precor, eſto mihi præſens, auctorque canendi,
Tu noſtros moderare modos, Tu pectora ſenſis
Imple piis, ſenſiſque piis pia verba miniſtra.
At vos, o ficti, jocularia numina, divi,
Et vos ollares, & nil niſi nomina, divæ,
Stultitiâ quondam nimium mihi culta protervâ
Non mihi nunc votis umquam revocanda valete.

(* *Hebr.* 2. v. 12.)

Nulla mihi poſthac tam cœcam nubila mentem
Obfuſcent, & nulla mihi tam dira libido
Cantandi veniat, rabieſve inſana furores
Concitet amentes, ut verâ numina voce
Ficta colam, ſtudiove vocem ſuccenſus inani
Non audituros me vel mea carmina divos,
Non adjuturas me vel mea carmina divas.
Nec vos nunc etiam, ſtudiorum emblemata, Muſæ,
Et Te Phœbe, tuo doctas qui nomine ſignas
Ingenii dotes, animique inventa ſagacis
Tu, Pallas, quæ flava notas, arteſques figuras,
Non ego nunc dignos in carmina ſancta furores
Exoptans, veſtrum auxilium, veſtroſque favores
Quamtumvis alias conceſſa voce ciebo.
Non hic ingenio locus eſt, vel ſi quis & hic eſt,
Non proprius, non amplus erit. Nec pervia noſtris
Senſibus hæc: nec quod canimus penetrabile menti eſt,
Aut arti cedit, ſtudiove attingitur ullo.
Hic animus ſubſiſtit, & hæc qua parte vigemus
Quaque homines ſola ſumus, hic ſe deſerit, & ſe
Dum quærit, nimis ipſa fugit miſeranda, fugatque,
Nec ſeſe inveniens ratio rationis egena,
Non capit obtuſo cœli myſteria ſenſu.
Sancta canam, divina canam, procul omne profanum
Abſit, & ex animo cantantis & exulet ore,
Ter-

Terrenum quodcunque ſapit terræque magiſtros.
Scilicet humanos fugiunt cœleſtia ſenſus,
Atque infinitum finito pectore Numen
Haud umquam capietur. Amant puriſſima puros,
Nec niſi luſtratis hæc ſe ſecreta revelant,
Nec niſi bis natos Subeunt myſteria ſenſus.
Quin nemo celebrare queat, vel voce probanda
Compellare Deum CHRISTUM, dominumque vocare
Ingenio quantum docto vel carmine præſtet;
Ni ſacra ſe cœlo Sapientia miſſa ſupremo
a Infundat, valido convertens pectora motu
Diſſimileſque ſui mentes, novaque ore figurans,
Ipſe poteſtatem cantandi talia donet,
Inque Deum Deus ipſe ferat, linguamque gubernet
Spiritus, & cœlo veniens dimiſſus ab alto
Se totum inſpirans animis, terrena beatis
Separet, & ſolidis diſtinguat inania curis,
Et numen ſolito præſentius inferat imis
Cordibus, impulſuque animos graviore fatigans,
Digna ſonaturo tam grandia verba miniſtret.
Hæc precor, hæc, Venerande Parens, Sapientia ſeſe
Infanti mihi pandat, hic arida ſanctus inundet
Spiritus ora mihi, & ſacrato corda liquore
b Irroret, qui ſede tua divinus, & illi

a 1. *Corinth.* 12. *v.* 3. *b Apocal. c. ult. v.* 1. *& ſeqq.*

Conjuncta qui ſede ſacra cryſtallinus Agni
Exit, & in totam ſanctorum labitur urbem.
Sic tua jacta meo bona ſemina corde feraci.
Hoc ſucco macerata Tuo, radice profunda
Figantur, teneantque ſolo, & nutrimen eodem
a Accipiant, & mox ſublato vertice terras
Deſpiciant, cœlique ſacras tollantur in auras.
Et cum centeno redeant, fœcundaque fructus
Dent tibi, dentque tuis, cunctiſque volentibus umbras.
Sic ego divino cantandi concitus æſtu,
Arcanis ſtimulis, ſanctiſque furoribus actus,
Et Tua facta canens fœcundo carmine,. quali
Jeſſæus, vel ſi quis adhuc facundior illo,
Dignè cuncta Tuo pandam miracula mundo.
Sed quorſum miſerandus ego, quorſum feror, aut quo
Me nullo vectante levo? Mens ſcilicet intus
Ardeſcens fervore pio, ſpiramina flammis
Ipſa ſuis addens volucres ſe tollit ad auras,
Et vires ſuperare ſuas nimis ardua tentans,
Heu nimio commota canendi fluctuat æſtu.
Quo mens cæca ruis, quo te vagus abripit error?
Immenſò tam parva paras committere ponto
Carbaſa, tam fragiles remos, temeraria, cymba
Tam lacera pelago ne audes incumbere tanto?
Quo properes neſcis: ſi te committis aperto
In ſcopulos, brevia & ſyrtes, avidamque Charybdin
Qua te ventus & unda ferent rapiere; nec ullas
Ars latebras, peritura nec ullas brachia vires,
Au-

a Matt. 13. *Marc.* 4. *Luc.* 13. *verſ.* 19.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Auxiliumve preces, nec habebunt vela recurſum.
Si ſapis, ô nimium turgentia contrahe vela,
Contrahe, nec temere ſecuros deſere portus.
Aut notis vicina ſequens lege littora terris,
Quo fundum tereti poſſis contingere conto,
Et ratis undoſæ curſus inhibere volantes,
Et quoties libet è ſicco ridere procellas,
Quo mens cæca volas? ad te, temeraria, tandem
Ad te quæſo redi. Tenui tam grandia voce
Improba, & hac arente uberrima munera vena,
Oreque formato terræ cœleſtia luto
Tune canes: immenſum, imperſcrutabile Numen
Menſura, numeroque modoque carentia, rerum
Natura trepidante, dedit quæ plurima terris
Omnibus, & prima longis ab origine ſeclis
Infidæ quamvis miracula cernere genti?
Non ea ſi totus conetur dicere mundus
Et quidquid linguis valet, & quod ubique diſertum eſt,
Et cœli cœlorum, & quod ſupereminet illa,
Sufficiant finem tantis imponere cœptis:
Aſſiduo quamvis ſtudio, nullaque quiete
Interrumpendo confundant ſecula cantu.
Scilicet ante dies & mundi finiet ævum,
Succumbenſque oneri moles operoſa labaſcet,
Quam minima vel parte queant miracula magni
Numinis immenſa, & primas abſolvere curas.
Sit labor hic etiam curſus inhibere volantes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Qua fas eſt, vireſque ſinunt, pia vota ſequamur.
Sufficiat dixiſſe aliquid. Quotacunque bonorum
Infinitorum, Majeſtatiſque ſupremæ
Pars, animis noſtris, & noſtris viribus æqua eſt.
Hic etiam voluiſſe ſat eſt. Quin ipſa voluntas
Humanas vires, hominum molimina ſupra eſt,
Et ſoli referenda Deo: quo pectora noſtra
Vitam omnem inſpirante vigent, animique caleſcunt,
Eſt Deus in nobis; miſeri, quid quærimus extra,
Quem jam viſceribus noſtris, animiſque tenemus?
Eſt Deus in nobis, agitataque pectora pulſat
Arcana virtute ſua. Virtute benigna
Illius, inque illo nos vivimus, atque movemur,
a Atque ſumus quodcunque ſumus. Te ſpiritus artus
Hos auctore fovet, Te membra jubente relinquet,
Et tacito fracti requieſcent corpore ſenſus:
Non tamen ante mihi, quam ſolo hoc fine creato
Ore Tibi, Pater alme, & grato pectore laudes
Quas meditor, liceatque pias abſolvere curas.
Hæc maneat, memorande Deus, Tua magna voluntas,
Si fas eſt, ſi jam nec longa, nec ardua quæro,
Denique ſi conceſſa peto, caligine mentis
Nec ſolia occæcatus iniquis æſtuo votis.
Parva paro, conceſſa paro, non amplius alto

Im-

a Actor. 17. *verſ.* 28.

Impetus eſt volitare, legentur littora tuta,
Extimaque immenſi libabitur ora profundi.
Non ego mortali tento deducere vena
Quæ numquam extentum licet immortalibus
ævum
Finiat. Ille manet nobis ſemperque manebit
Æternus labor, illa novæ nova gloria vitæ.
Nunc quæ mortales poſſint admittere ſenſus
Pauca lubens, paucis & ſponte oblata profabor.
Non aliena loquar, nec me quæſiverit extra
Infelix ſtudium: ſua quilibet integra ſervet,
Et laudet collata ſuo facundior ore
Dona Dei. Proprias tenui nunc carmine grates
Sufficiat dixiſſe mihi. Sic munera larga
Sæpe Tua conceſſa manu, nil tale merenti
Sæpe nec optanti, nec adhuc quid dona vale-
rent
Optima noſcenti, cogunt, Pater optime, ſic me
In mediis magniſque malis ſummiſque periclis,
Deſperata Salus mihi reddita, redditus ægro
Spiritus, & moribunda & lethi limine in ipſo
Conſiſtens vita huc ſuperas revocata ſub auras,
Munere nunc quoque læta tuo, jubet, imperat,
addens
Currenti ſtimulos, animanſque in carmina
vires,
Et veri cultus ac ſancti pignus amoris,
Ingenti tenues agitat molimine verſus.
Hos ne ſperne precor, ſummi Moderator
Olympi
Nec cantus humiles, humilem nec deſpice
mentem,

Nec niſi te cenſendam animam. Da robora
nervis,
Da vires cœptis, placeant Tibi carmina voce
Fuſa pia, ſimiliſque piæ meditatio voci.
Da Pater, hoc, nam ſole potes. Tu, Magne
Creator,
Nempe tuum pernoſcis Opus, dextraque po-
tente,
Ceu probat hoc nobis non exploranda voluntas,
Deſtruis, aut reficis, nunc nocti immergis opacæ,
Et letho detrudis, ad imaque Tartara mittis:
Nunc terra terræque malis atque eximis um-
bris,
Et tuta regione locas, ſedeſque beatas
Corporis exutos vinclis, craſſoque levatos,
a Pondere, das oculis animorum & mente tueri,
Nec noſtras aures noſtras ſubeuntia linguas
Das recreare pios ſolatia maxima ſenſus,
Alternaſque vices alternaque gaudia miſcens
Quos tua fata volunt recte das ferre dolores.
Nempe tibi, Pater alme, haud perfunctoria
cura,
Mortales miſeri ſumus. Hæc tua ſola voluptas
Hæc bonitas ſuprema Tibi, ſtudiumque juvandi
Hoc ſedet, & cunctis clementia nota creatis,
Sed noſtro imprimis generi, quos ſede beata
Deſuper adſpiciens, alto ſuper aſtra receſſu
Cuncta tibi ſubjecta moves, curaſque benignas
b Vel minimis adhibens, ne vel ſine lege capillus
Decidat, aut media moriens paſſerculus aura,
Imperio ſic cuncta tuo nutuque gubernas,
Ut

a 2. *Cor.* 12. *v.* 4. *b Matt.* 10. *v.* 30. *Luc.* 12. *v.* 7.

Ut bene ſit nobis, modo ne nolimus, & ipſi
In mala, damna, necem, perverſaque fata ruamus.
O nimis indignos, nec quidquam tale merentes
Nos miſeros, quid quæſo ſumus, niſi pulvis, & umbra,
Immo nihil, Deus alme, nihil; nil te ſine certe,
Omnia ſed tecum, poſtquam nos, ſumme Creator,
Reſpicis, & luce, ac vita dignaris, & orbis
Imperio, nutuque tuo, verboque potente
Inſtruis, & pia nos indelaſſataque poſtquam
Circuit Angelicæ vigilax cuſtodia turmæ.
Cui, precor, ô venerande Deus, tam cornea fibra
Tam ſint Tartareâ preſſi caligine ſenſus,
Ingratuſque ſui contemptor ſpiritus ortus,
Tamque ferum, dignumque Hircana Tigride pectus,
Atque animus vecors, ac inconſulta voluntas,
Oſque oris linguæque expers, ignaraque recti
Et rationis egens, tam denique ferrea mens ſit,
Cui Tua tot numero benefactaque tanta notanti,
Non ſubeat totos alta admiratio ſenſus,
Concutienſque humilem nova conſternacio mentem
Abripiat, trepidamque pia formidine complens,
Cogat adorantem præſens agnoſcere Numen,
Et ſeſe in laudes dignaſque effundere grates,
Atq; onerare almum ferventibus æthera votis?
Hæc adeo me cura manet. Volat ima per oſſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Impetus, exagitantque piæ præcordia flammæ,
Oraque muta, cietque imo de pectore voces
Jam ſolito major, jam non ſpontaneus ardor.
Plenaque divino ſuccenſaque corda furore
Abripiens, animum currentem in carmina
pellit.
Ergo juvat tentare aliquid, juvat ora ſacratis
Atque animos laxare modis, & pangere carmen,
Quod Te, ſumme Deus non ſat laudabile Nu-
men;
Et tua dona mihi, coacervatoſque favores
Commemorans tenui vena, miretur amorem
Infandum, immenſum, quem Rex celſiſſime
præſtas
Ingrato generi noſtro, ſemperque rebelli,
Æternaque malas pœnas ſibi morte merenti:
Inque illis apprime mihi quæ plurima præſtas,
Æternum Venerande Pater, Clementia quanta,
Quæ bonitas Tua, quantus amor, primordia
mundi
Ante mihi decretus. Ut ô nec luce fruentem
Nec dum etiam genitum patrio complexus
amore
Nunc etiam nutris, conſervas, inſtruis, ornas,
Et patria pietate foves, fotumque tueris.
Mens ſtupet, attonitos ferit admiratio ſenſus,
Imaque divini pertentant oſſa pavores,
Præſentemque Deum ſancta formidine pectus
Agnoſcit, cultuque humili veneranter adorat,
In primos quotiens menſes revocatus & annos,
Natalemque diem, vitæque exorſa retracto
Admiranda meæ, dubioſque ex ordine caſus,
Vix-

Vixque exantlatos deſudatoſque labores,
Fataque diverſo plus quam puerilia curſu
Tot vicibus diſtincta, & tot metuenda periclis
Sæpius, æternaque timendas nocte tenebras
Diſcuſſas, operaque tua auxilioque perenni,
Emerſis tandem poſt nubila longa ſerenis
Lucibus, & lætis concedere juſſa diebus.
Hæc memori quotiens & grata mente revolvo,
Conſilii, Rex Summe, tui decreta potentis
Vimque Tuæ fatum non expugnabile dextræ
Suſpicio, Venerorque lubens, & ſentio prorſus
Fortuitum nihil eſſe bonis, ſed cuncta ſuperno
Arbitrio, validiſque Dei ſubſiſtere juſſis,
Et placitis variare modis. Hinc læta vocari
Hæc aliis, alii rurſus quæ triſtia dicunt,
Quæ tamen hoc differre uno diſcrimine ſolo
Advertas, quod ſola malos incommoda vexent
Vera, nihilque juvent ſceleratis congrua votis
Fata, ſecuturæ niſi quod prænuncia cladis
Durius inflictum ſecuris vulnus acerbent,
Extremamque gravent ſimul accelerentque ruinam.
Sola pios at vera manent æternaque vitæ
Commoda, non illis duriſſima credita vulgo
Fata nocent, quæ tandem ipſorum cedere ſummo
Coguntur converſa bono, certæque ſaluti.
Non ſecus ac ægrum quæ cernas lædere corpus
Agreſteſve graveſque cibi ſint, ſive ſalubres,
Et duri ſint ſive leves facileſque labores,
Quæ firmis ſaniſque ferunt nutrimina membris,

Et ſolidis augent athletica robora nervis.
O Rerum ſupreme Parens, da quæſo petenti
Juſtorum numero cenſeri ac ordine ſacro
Me miſerum, precibuſque piis, votiſque co-
lentem
Te Dominum, fatique Deum, Aſtrorumque
potentem.
Sic ſeu læta mihi currant, ſeu triſtia fata,
Mens animi maneat conſtans, nec mobilis ullis
Fortunæve hominumve minis, ſed conſcia
CHRISTI
Atque DEO ſecura ſuo confiſa parenti,
E cunctis ſalvanda malis illæſa triumphet.
Hoc precor, hoc, Venerande Deus, concede
precanti,
Et ſcio concedes. Sic ſpes divina futuri,
Nec dubioſa fides, fidei ſic Spiritus auctor
a Promiſſus cupidis, ſic experientia certis
Exemplis, propriiſque mihi collecta probatis
Spondet, & ad cunctos præſtat ſolatia caſus.
Quippe mihi (nam non invitus ſæpe re-
cordor,
Et memori quoque nunc obverſant omnia
menti,)
Quanta mali, vis ſæva mali quam ſæpe miſello
Incubuit, monuitque utentem ſorte piorum
b Communi, facienda bona, & mala multa fe-
renda
Eſſe pio, Sed cuncta tamen ceſſere benigno
Numinis auxilio devicta, fugata, nec ullum
Permanſit conſtans aut irreparabile damnum.
Quam

a Luc. 11. v. 13. b 1. Petr. 2. v. 29.

Quam cuperem nunc, Alme Pater, numeroſa profari
Ætatis mala magna meæ, ſuperantia longe
Menſuram annorum modicam, numerumque dierum,
Corporis & juxta vires, animique tenelli.
Quam cuperem; juſtique canens exempla furoris,
Et mea condignis exercita crimina pœnis,
Addere quæ primæ capiens faſtidia vitæ,
Senſi magna Tuæ mox adjutoria dextræ!
O utinam digno detur Hæc mihi pandere verſu
Singula, quæ numerare vetat ſua copia, quæque
Munera nondum etiam nato tua ſancta voluntas
Decrevit, vitæ fingens mihi fata futuræ:
Ne tamen ingratæ probroſa ſilentia linguæ
Nocte premant collata mihi benefacta perenni,
Obvia nunc, animoque meo ſiſtentia ſeſe
Laudator tenuis, qua tandem voce licebit
Pauca canam, vel multa canam, ſed plura ſilebo.
Nempe Tuo Venerande DEUS ſum munere natus
Natus homo, ratione & imagine Numinis almi
Nobilior brutis, fragilis licet illa tegatur
Corporis exuviis, animo quod viribus impar
Sæpius injecit volucri retinacula menti.
Scilicet hoc etiam certo Prudentia ſumma
Conſilio Tua fecit, ut ortum ſæpe recordans
Debilitate ſua atque inſtantis imagine lethi
Luctificum, matura Tuæ primordia ſummæ
Nec merito reputanda meæ pietatis adorem.

Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Nam ſiquidem non vana fides, & vera meorum
Si conſtant narrata ſibi, non Sparta tuliſſet
Martia me, natumque necaſſet decolor Indus,
Philoſopho vel Cive furens auctore Stagira,
Cum pallor, macieſque brevis prænuncia vitæ,
Et ſolis obducta tenerrima pellibus oſſa,
Extantes tali, planta calx longior, & pes
Articulos numerare omnes, nec ſegmine facto
Qui ſineret tremulos viſu diſcernere nervos,
Et tergum ſerram quod poſſes dicere, lumbi
Elumbes, pro ventre locus, neque muſculus omni
Corpore vel ſaturum qui poſſet paſcere murem,
Et tuſſis, gelidoque tremiſcens frigore pectus,
Vix ſibi conſpecto præcocia ſæpe juberent
Pœoniæ dubioſa artis præcepta ſecutum,
Invitum quamvis, prædicere fata parentem.
Nate vale, vix nate vale, divellimur ergo
Momento ſociati uno, vitamque recentem
Neſcius, ingreſſuſque modo fugitive relinquis?
Nonne foret ſatius nec te, dulciſſima conjux,
Infirmum hunc peperiſſe, nec illum ad funera natum,
Gaudia quæ optato dederas relevata puello,
Mox immaturo rurſus deferre ſepulchro?
O nimis immitem Lacheſin, ô ſtamina vitæ
Curta nimis! Jam cerno, puer dulciſſime, cerno
Ora propinquanti male ſingultantia Letho,
Jamque extrema trahens tenerum ſuſpiria pectus
Adſpicio, tenuique oculos jam luce natantes,
Et magna de parte intus jam morte receptâ
Elu-

Eluctantem animam fracto de corpore cerno,
Sic ſecum Pater. At ridens Deus æthere ſummo
Firmus in infirmis, perferre volucribus auris
Hos queſtus, & læva vagis dedit omina ventis.
Me ſternutantem calidis nutricula pannis
Involvit, pavidoque inſpexit pallida vultu
Sæpius, an etiam nunc ſpiritus æger anhelum
Quaſſaret pectus, vacuaſve volaſſet in auras.
Hinc tepido modicoque fovens me lacte miſel-
lum,
Jam deſperatæ ſuffudit pabula vitæ.
Congenitam mox ergo mihi mea crimina la-
bem,
Rore ſacro laticiſque ablutus fonte beato,
Spes ego decepi potius, quam vota parentum,
Effuſaſque preces: creſcenſque infantia cœ-
lum
Fortior in plenos hauſit mea lætior annos,
Nil morbo, morbive metu, mortiſve gravata.
Jamque animus vivax puero creſcebat, &
annos,
Corporis & modico pollentes robore nervos
Ingenii vis aucta mei ſuperare laborans,
In varios luſus agilem & molimina vana
Et curas tenues acuens, ad inania mentem
Accendit, cunctos imitatrix ſimia mores
Ceu fingit, motuſque hominum ſe format in
omnes,
Viſaque ridiculis commutat ſeria nugis:
Sic ego, neſcio qua nimio temerarius auſu
Adſcendens, mox præcipiti turbatus ab alto
Procubui lapſu, quo rumpi debile guttur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Et caput excuſſo terræ alliſiſſe cerebro,
Atque ipſam effudiſſe animam proclive fuiſſet:
Aſt ego, divino ſic me cuſtode regente,
Nil niſi brachiolum propius qua jungitur armo
Infregi, quod poſt cura ſtudioque parentis,
Succeſſus addente Deo, vireſque tenellas
Augente, haud magno ſolidatum tempore rurſus
Concrevit. Nec jam veteri de vulnere tanto,
Ulla manent, alias ſoliti, monumenta dolores,
Nec monſtranda tenet veſtigia nota cicatrix.
Cætera quid memorem Tua munera, Maxime Rector,
Cunctaque quo digne cantem verboſior ore,
Præmatura Tuæ quæ munificentia dextræ
Jam puero primis numeroſa indulſit ab annis,
Nondum noſcenti nec Te, nec dona benigna
Larga Tua conceſſa manu. Quod nempe Parentes
a Chriſticolas, vereque pios, quales prece multa
Tharſiades, votiſque piis, lacrumiſque petebat.
Quod Patriam, quæ verba Dei, quæ nomen honoret
Imperio Germano & toto nobilis orbe,
Denique quod fratrem quo non mihi carior alter
Inveni modo natus, id ô Pater optime, totum
Muneris eſſe tui fateor, ſemperque fatebor.
Quod porro ingenium, præceptorumque capacem
Ac docilem nactus mentem, ad meliora, parentum
Im-

a *Rom.* 9. *v.* 3.

Imperio, durique licet terrore magiſtri,
Applicui, aſſueſcens ſtudiis veroque labori,
Quodque ſacræ pietatis amans, Te ſæpe puſillus
Tentavi precibus, votiſque & ſimplice cultu,
Gratia ſola Tua eſt, qua Spiritus intima ſanctus
Rexit, & auctorem docuit cognoſcere ſummum,
Clementemque Deum, & puerili arceſſere voce
Juſſit, & abba Pater, ſonuit lactantis in ore,
Non effabilibus cumulans ſuſpiria votis.
Sic igitur virtuti incumbens atque libellis,
Conſiliatricem præceptricemque malorum
Deſidiam excuſſi membris, atque otia lenta
Effugiens, vitium effugi, tollendaque ſeris
Vix annis primæ communia crimina vitæ.
Sicque manum ferulæ tandem ſubduximus, & nos
Ætatemque ſuó primam fervore calentem
Auſpiciis propriis ſolo adſpectante Parente
Reximus. Aſt illum ſævi inclementia morbi
Pœoniis ſuccis, cunctiſque ſalubribus herbis
Fortior afflixit, nec adhuc ætate gravatum
Aut annis preſſum fatis admovit. At ille
Pauca ſuper miſeram genetricem, noſque precatus,
Atque Deo ſoli nos commendare laborans,
Ipſe lubens obiit, lethumque interritus hauſit,
Et jam confractam morbo, ſedemque caducam
Corporis averſantem animam permiſit Olympo.
Felix ille quidem, & quantum licet eſſe beatus,

Cui placidè, nec detrectans, ſanctequе pieque
E vita hac, quam mille gravant & mille malorum
Uſque novæ ſpecies, quam nox ſuper incubat atra,
Atque ambit, CHRISTO ducente, jubente, receſſit,
Ad vitæ properans ſedem melioris & ævi.
Nos vero miſeros magis, infelicior aura
Poſt illum quos nutrit adhuc, & plurima ductos
Per mala, nunc etiam terrarum detinet umbris
Implicitos, ſortiſque vices & vana timentes.
Hoc cœlum, memorande Pater, nunc teſtor, & aſtra,
Et cœlum hoc magnum, cœlique quod aſtra gubernat
Numen, ut optavi morientem Te comes olim
Ipſe ſequi, ac una componi frigidus urna.
Nec juſti tamen atque recentis ſola doloris
Vis fuit hæc: eadem plures mens manſit in annos
Et nunc firma manet. Nec enim mea vota preceſque
Nunc damnem: repetam potius, quæ ſæpe precatus
Tandem certa feram. Da clementiſſime Rector
Orbis, & alme Deus, fragili da corpore ſolvi
a Ocyus, atque meo propiorem degere CHRISTO.
Sic precor, atque puer, memini, ſic ſæpe precabar,
Sive

a Philipp. I *v.* 23.

Sive futurorum ſic mens præſaga malorum
Suadebat, ſeu cæcus & annis impetus illis
Inconſultus erat, ratio ſeu vera precandi
Jam tunc ſtans de parte mea mihi nota patebat.
Non certe languor nec deſidioſa quietis
Spes mihi cauſſa fuit voti. Non lenta placebant
Otia. Non primis umquam mihi defuit annis
Ingenium vigilax, animi mens, corporis ardor,
Et juvenum cunctis conſtans audacia cœptis.
  Nempe omnes ſubii deſudavique labores,
Centenos tamquam certo victurus in annos.
Liberioris & aucta mihi cum copia vitæ
Non abjectum animum varios pulſaret in auſus,
Quo-me-cunque furor juvenilis, & impetus acer,
Et novitatis amor, ſtudiumque immane ſciendi
Pellebat, laudum cupidus, feſtinus, & audax,
Auſpiciumque ſequens famæ, ingeniique fatigans
Nil detrectantis nervos, veſtigia doctis
Et magnis calcata viris, charoque parenti
Qua poteram relegens, confidentiſſimus ibam,
Fortunam famulam mihi, præventuraque ſemper
Votum fata putans, ſuperandaque cuncta labore
Aſſiduo, humanis, concedere pervia curis,
Spem magnam invidiam fatis facturus habebam.
Jamque puer (ſi fas ſaltim ſine crimine vanæ
Ambitionis adhuc mihi commemorare talenta
Uſibus ah! aliis, indultu credita ſummi

Nu-

Numinis,) attigeram quarti primordia luſtri
Et mea ſedulitas, animique volatilis ardor
Cunctas penè vias ſtudiorum, altoſque receſſus
Sponte ſua, ductore carens pervaſerat omnes.
Non hoſpes Latio poteram turbæve videri
Grajorum: ratio conſtabat certa loquendi.
Argumenta locos noram ducenda per omnes,
Et quibus eloquii ſtant ornamenta figuris,
Sive ſolutus eat, ſeu celſos ſermo cothurnos
Induat, & numeroſa exhalent verba furores.
Et fuerat noviſſe parum, niſi concitus ipſe
Grandia fudiſſem puerili carmina vena.
Et memini fudiſſe olim, & ceciniſſe Columbum
Carmine verboſo, memini ceciniſſe parentem,
Agnatoſque, bonos & amicos, & prius hiſce
Omnibus, ut par eſt, in honorem Numinis hymnos.
Verſibus hinc majora addens, quæcunque vetuſta
Grajorum, gentiſque jubent monumenta togatæ
Fortia facta virum ſeros memoranda per annos
Et ſucceſſuris repetenda ſeneſcere ſeclis,
Evolvi, & ſtudio vitanda imitandaque magno
Diſcernens, chartis fidis animoque locavi.
Et mores, quos quæque probaſſet terra, vel omnes
Quos collaudaſſent, didici. Quæ norma decori
Quæ juſti, quis verus amor, quæ meta laborum
Optima, quæque hujus ſit vitæ ſumma beatæ.
Porro quam varia poſſit reſpublica lege
Uniri,

Uniri, cives qui præſtantiſſimus ordo
Conjungat, dio cujus pars magna Platoni
Nondum etiam perſpecta fuit, neque nota Stagiræ.
Quid memorem numeros numerorum, & diſcere leges
Quas placuit menſuræ, & eodem linea plano
Quam varias varie componat ducta figuras.
Inde artem radio pingendi gentibus orbem,
Terrarumque ſitum, & ſtellis radiantibus axem,
Occaſuſque ortuſque aſtrorum & tempora certa,
Quæ variant diſtincta ſuo vaga ſidera motu.
Tum quæ decipiat tremulum fallacia viſum,
Quæve admota juvent, & cætera plurima, quæ nunc
Singula vix numerare vacat, quibus impiger olim
Imbutus, patriam maternaque tecta reliqui,
Impatiens reſidere domi, peregreque vagari
Imprimis avidus: Nec jam me vota meorum
Multum immaturos annos teneramque juventam
Sæpe objectantum, lacrumæve movere parentis
Ulterius poterant, curſuſque inhibere paratos.
Ergo lares patrios fugiens, charoſque propinquos,
Et cum fratre una peregrinæ creditus auræ,
Liberior totas animus laxavit habenas
Ipſe ſibi: nec pars ſtudiorum intacta remanſit
Quæ decoret, vel quæ poſſit recreare colentem.
Qua ratione domos variis fundare columnis

Aptata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Aptatas ſolidare trabes, & tollere cœlo
Conveniat celſo minitantes culmine turres.
Ut Vallis, latiſque urbes circumdare foſſis,
Et bene firmatis quæ propugnacula muris
Expediat poſuiſſe, aut quâ fulcire caduca
Arte detur, ſubitaſque cito reparare ruinas,
Aut facere, utiliterque inimica advertere muris
Agmina, quâ foſſas liceat ſuperare profundas,
Eminus aut multo congeſto ſtipite vallo
Deſuper impendere urbi. Tum prælia quali
Conſerere opportuna loco, quove ordine, quantum
Obliquam, aut ſinuatam aciem, flexamve moveri
Expediat, cuneare etiam, aut compage ſoluta
Quando globos laxare omnes, atque agmine facto
Hinc atque hinc vacuo præſtet ſe effundere campo,
Et quas præterea bellorum figere leges,
Quæque ſolent variare Duces edicta periti.
Nec tamen heic etiam diſcendi ſubſtitit ardor:
Laſſus præteritis, & mox præſentia damnans
Ad nova pergebam. Cujúſvis nomen ad artis
Auditæ jam me pruritus, & inde ſciendi
Prima rudimenta & primordia cura tenebat.
Ergo etiam præcepta avidus præſaga futuri
Addidici, nocturnus Arabs, aut accola Nili
Quæ cœlo collecta dedit non pauca ſereno,
Plurima vana quidem, ſed non tamen omnia vana,
Si ſperanda fides etiam hic comperta loquenti,
Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Exemploque probata meo, qui ſæpe recordans
Prævifamque diem, ſævæque pericula mortis
Fatalemque horam; clementia Numinis almi
Quam tamen, hocce meo toties de pectore fuſis
Indulſit precibus, vetuitque immergere letho
Atroci, & damnando animam meliora precantem.
Ne memorem vario quæ conſtans linea ductu
Frontibus, & mediis ſcribit præſagia palmis
Et quæ præterea non delaſſandus, & omni
Intentus generi ſtudiorum ſedulus hauſi.
Scilicet omne genus diſcendi, ars quæque placebat
Ingenio laudanda meo, nulli tamen omnem
Olim impendendam potui decernere vitam.
Nec ſtudiis ſolum capiebar: in omne laborum
Uſque genus poteram juvenilem flectere mentem.
Nunc mare, nunc terras peragrare, & mercibus Indos
Aut Afros, Arabaſve vagos ſpoliare libebat,
Mens quoque ſæpe fuit furibundum poſcere Martem,
Signa ſequi, lituoſque tubaſque ac æra ſonoro
Agmine, quæque exploſa cient tormenta tumultus.
Omnia mens agilis, mens ignea ſingula verſans,
In varias ſe ſæpe vias dubioſa movebat,
Cuncta probans, laudique inhians cujuslibet artis,
Cujuſvis ſtudii. Sed & horum plurima vires

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Corporis, atque animi tandem lentanda po-
teſtas,
Vel matris deſiderium, vel vota meorum,
Naſcendive locus, vel ſors inimica vetabant.
Donec ſancta Themis tandem atque volumina
legum
Voſta ſatis, numeroſa ſatis, confuſaque, molem
Librorum pluteo deturbavere gravato.
Recte equidem, digneque: ſed ô ſi fata dediſſent
Sacta ſalutiferi potius myſteria verbi
Tranctare, atque illi totas impendere curas!
Quam mihi nunc tranquilla quies, nugiſque
maneret
Liberior mens, nec turbæ ſocianda profanæ!
Sed quoniam non hæc Superis fuit alta vo-
luntas,
Nec factum mutare licet: dent crimina pœnas
Hæc mea, caſtigetur temerarius error,
Quique leves juvenem ſtimuli ambitionis age-
bant.
Interea Tu, Magne Deus, dum prima ne-
gantur
Vota mihi, curſus ſtudii moderare ſecundos,
Hactenus & tractata mihi, tractandaque poſt-
hac
Da, Pater alme, Tuo cedant conſtanter honori,
Et proſint patriæque meæ, cariſque propinquis,
Et cunctis, non læva mihi tua ſancta voluntas
Quos olim in patria, aut alibi, volet eſſe clientes
Diſcipuloſve mihi, da denique cuncta ſaluti
Cedant fauſta meæ. Da, Clementiſſime, quæſo,
Hoc, Pater, & cœptis feliciter annue noſtris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Si Te alias largum, nec inexorabile Numen
Senſimus; Immerſum magnis multiſque periclis
Olim Italis cum me peteret nil tale timentem
Fraudibus, invidioſa manus, ſtudioque nocendi
Et cæco in mea damna ruens accenſa furore.
Tunc Tua me, Venerande Deus, Tua gratia ſola
Hoſtibus eripuit rabidis, & acerba furentum
In me odia illuſit, ſemperque obſeſſa viarum
Inſidiis vitare dedit, tutoque reduxit
Tramite, nec ſolum prædæ dedit eſſe capillum,
Tu pariter, memorande Deus, Tu ſole miſello
Præſidium, Medicuſque mihi, & medicina fuiſti,
Toſta mihi ſævo cum languida viſcera morbo
Siccarentur, & obſtructis penetralibus imis
Purpureus venis ſenſim putreſceret humor.
Communique utens ægro cum corpore fato
Vis animi, curſu jam lentaretur in ipſo.
Seu ſic Auſtriacus noſtris inimicus Jacchus
Turbabat venis; ſtudiis ſeu ſpiritus olim
Fixus & abſumptus nimiis, ſtagnare nocentem
Materiam ac imo dederat conſidere ventre,
Immotam ferro, ac chalybi, tritæque cicutæ.
Acceſſit Medicus, quo non indoctior alter,
Qui nocitura, brevique iterum reprobanda propinans,
Ipſe viam letho latam patefecit, & aucta
Vi morbi inſtantem ſatagens prædicere mortem,
Tandem alii invitus me tradidit. Ille vocatus

Arte Machaonia, mixtiſque peritior herbis
Evacuans pigro ſtagnantem ventre ſaburram,
Expulit admiſſi felix primordia lethi.
Scilicet hoc Tu, ſumme Parens cœlique Polique,
Hoc precibus lacrumiſque meis, mœſtæque parentis,
Abſentiſque ſimul fratris commote jubebas.
Nec minus Aureliis, etiam Tua magna Poteſtas
Adfuit, ac aures miſero patuere benignæ
Clamanti, & miſerere Deus, miſerere, cienti.
Aureliis, ubi te quondam, chariſſime TROLLI,
Non revocanda dies & ineluctabile fatum
Abſtulit, & nimis immaturo funere merſit.
Me dolor, atque tui TROLLI miſerande perempti,
Et deſiderium, & gravis inclementia febris
Conſimiliſque tuæ, & Medici melioris egentis,
Spemque metumque inter, magno terrore premebat.
a Ipſaque lethiferis mors irretiverat atra
Caſſibus, implicitumque tenens in cæca trahebat
Tartara, qua Stygiis torrentibus æſtuat Orcus,
Atque animas fido conſolatore carentes
Experiundorum certo ſine fine malorum,
Et miſeri pavida conturbat imagine lethi,
Huc ego deductus, vix præ formidine mentis
Semianimis, media Dominum de morte vocavi,
Qui me de ſolio ſtellati celſus Olympi
Aſpi-

a *Pſalm* 18. *v*. 5.

Aſpiciens fructra luctantem & multa gementem
Præſenti auxilio juvit, dextraque potenti
Eduxit, mediaque adeo de morte redemit,
Eripuitque orco, rictu deductus hianti
Et patulo qui me ſpe ſæpe voravit inani.
Ergo, Deus, venerande Deus, Tibi pectore grato
Thura litare precum juvat, & Tibi dicere laudes.
Nam Tibi conſilium vitæ, auxiliumque regendæ
Committens, Deus alme, meæ, bis terve monendus
Inque animum revocandus eram quam ſtamina fuſo
Noſtra cito, filoque brevi fragilique rotentur.
Hoc Italos odiis, variaque libidine fœdos,
Et notos celeri Gallos levitate petentem
Proderat admonuiſſe, novæ conſortia vitæ
Ne male flexibilem traherent in crimina mentem.
Hos iterum, octava cum feſſus denique bruma
Tantis terrarum ſpatiis, tot caſibus actus,
Reddendus patriæ ſpe non renuente viderer,
Nondum etiam oblito monitus renovare paternos
Viſum forte Tibi. Poſtquam febricula rurſus
Importuna, æquis patriam contingere votis
Me vetat, & miſerum ſpe nunc quoque lactat inani,
Et terret graviore metu, curiſque fatigat.
Magne Deus, terræ cœlique hominumque Creator

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Æternum venerande PATER, Tuque optime JESU,
Vox magni ratioque Dei,& Tu pectora, Sanctus
Olim electorum qui SPIRITUS ima gubernas,
Has humiles ne ſperne preces. Miſerere jacentis
Semper, & orantis, nec dedignare vocantem:
Sed trepido ſuccurre, precor, ſuccurre paventi,
Et tenui Te voce, at magno angore cienti,
Præſentique Deus præſens aſſiſte medela.
Namque, Pater, Tu ſole potes, Tu vulnera nobis
Infligis, ſolidaſque iterum, imponiſque levaſque
Impoſitos faſces. Veri ſolaminis auctor,
Et miſeris promiſſa Salus, atque unica Vita
Tu, Deus alme, manes. Te ſolum ſupplice cultu
Nunc veneror, vitamque & veram poſco ſalutem.
Tu, ſiquidem noſtri cauſſæ ſunt crimina morbi,
Da, precor, humanæ ſorti, primæque juventæ,
Da precor ætati veniam. Peccavimus omnes,
Omnes æterna puniri morte meremur,
Ni mitis velis eſſe Pater, fragileſque tuorum
Ni mox reſpicias vires de pulvere ſumptas.
Sis mitis, ſis ergo bonus, Pater alme, precamur,
Ne ſævi, furioſe, nimis. Non hiſce ferendis
Non ego ſum. Ceſſa tandem, Pater optime, ceſſa,
Sentio commotæ crudelia vulnera virgæ,
Sentio onus, nervoſque metu ac terrore ſolutos,
Et fractas animi vires, magnoque pavore
Brachiaque & dextras laſſas humeroſque labantes.

Tandem parce, precor, Pater, atque ignoſce
petenti,
Da veniam faſſo, patria pietate remitte
Offenſas, vireſque mei jam corporis ultra
Atque animi, ah iram nimium compeſce furentem!
Quod ſi tota mihi ſpes interdicta ſalutis,
Si tandem pueri petulantia morte pianda eſt,
Nil moror. En rata ſit Tua ſancta & magna Voluntas,
Alme Pater, non fata hæc immatura recuſo,
Dudum præſentis ſordent mihi munera vitæ,
Nec mihi munera ſunt: ſed onus, ſed flebile
pondus:
Propria nec tam me quam matris cura relictæ
Angit: eam Tu, juſte Deus, mea crimina numquam
Ferre ſines, culpæve meæ ſibi ſumere partem
Majorem, atque meis preſſam ſuccumbere
pœnis.
Illi magna mei confer ſolatia lethi,
Jamque lubens moriar, vivuſque ſubire ſepulchrum
Nil graver. Aut ſi ſic poſcis, vel fulmine puni,
Dum cita mors curis animam ſævoque dolore
Abſolvat, ſordeſque lavet mihi criminis omnes,
Æternamque ferant hæc funera ſæva ſalutem.
Hanc ſaltim concede, Pater, concede petenti,
Et ſcio concedes. Sic certi oracula verbi
Nempe Tui, nec ſperanti nec clauſa precanti
Et totiens comperta mihi Tua gratia ſpondet.
Cui ſoli acceptum refero, quod tramite recto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Vana ſuperſtitio veri fucata colore
Atque impoſtorum falſæ pietatis imago
Ancipiti nunquam ſeduxit in avia fraude.
Nempe tuo auxilio Sathanæ vitavit abyſſos,
Hoc certe felix animus. Tu perfice porro
Perfice opus, Venerande Deus, nec deſere
cœpta.
Et ſcio perficies. Et ſi mea crimina mortem,
Majores vel morte jubent Te poſcere pœnas,
(Quod tamen hic iterum ſupplex Te depre-
cor unum)
At Tu ferre dabis. Sic me patientia nunquam
Deſeret, & victrix Spes ſemper firma manebit,
Solamenque Fides addet, finemque manere
Extremum faciens,quacunque in morte beabit.
Hoc credo, hoc ſpero, hoc firma pietate fideque
Quotidie precor. Hæc mihi pars certiſſima voti
Conſtat, & in media præſens fiducia morte.
Hæc mihi, ſi ſic fata velint, quæ deprecor uſque,
Impoſitis adverſa malis, ceſſuraque numquam
Ipſo etiam cœlo ſe præcipitante manebit,
Et ſtabit longos indelaſſata per annos.
Si tamen, O Deus alme, genu quod ſupplice
nixus
Te precor, ulla meæ remanent ſolatia vitæ,
Si ſupereſt primæ, ſpes ulla relicta ſalutis,
Si redeunt vires, ut ſentio, ſi vigor artus
Occupat, atque iterum ſi vis ſæviſſima morbi
Viſceribus ſe conſumens deſæviit imis,
Si, ceu ſigna ferunt, miteſcet tempore tracto
Ingenium crudele mali, minuetque furorem:
Da, Pater, hanc Duce Te quam ſolo & præſide
ſolo
Vi-

Vitam qua potui per læta & triſtia ductam
Nunc etiam duco, fata ad meliora reſervem
Denique, nec longos vivam infeliciter annos.
Da requiem feſſo tandem, finemque malorum,
Et curſus faciles fatorum, & ſidera dextra.
a Non ego avarus opes, cenſumque in damna furentem,
Aut male dilaceranda mihi bona nequiter opto,
Nec quos non mereor ſequor ambitioſus honores.
Exulet iſta meis ſemper vecordia votis.
Hoc peto, ne deſit nimium mihi, nilque ſuperſit,
Ne mihi deliciis mentem veſana libido
Corrumpat, nimiave animus dulcedine rerum
Atque voluptatis plenæ languore ſolutus
Negligat, aut ſummum contemnat forte datorem.
Nil ultra modicum quæro. Quodcunque neceſſe eſt,
Et ſine quo non vita placet, ſed vivere mors eſt,
Hoc humili ſolum voce, ac prece ſupplice poſco,
Si locus ullus adhuc precibus, poſco, atque repoſco.
Si Tibi perdita ovis placuit: ſi filius olim
Degener occurſu potuit gaudere paterno,
Illi me ſimilem faxis, Pater, atque peroſum
Plurima tranſactæ puerilia crimina vitæ
Ad Te currentem rape, crimina cuncta remitte,
Et pœnas auffer, patria pietate miſellum
Amplexuque fove molli ſolatia nutu.

a Prov. 30. v. 7.

Da placido, alloquioque Tuo da dulce levamen
Mœrenti, ac animam longa ſub morte trahenti.
Scilicet atroces portavi Numinis iras
Longius, immiteſque dedit petulantia pœnas.
Jam ſatis illuſere hoſtes, vicinia tota
Inſultavit acerba mihi, miſerumque protervi
Vocibus & riſu divexavere procaci.
Non ego, chare Pater, tanto par eſſe dolori
Ulterius, tantiſve queam ſubſiſtere curis,
Jamdudum mens fracta malis animuſque fatiſcit.
Tandem, chare Pater, tandem, Pater optime, finem
Hiſce meis impone malis, venturaque prorſus
Diſſimilis vitæ currat fortuna peractæ,
Aut ſit nulla mihi vita, aut brevis, aut procul omni
A luctu & lacrumis ignominiaque ſeneſcam;
Da mihi, chare Pater, tetrum deponere morbum
Qui cum carne cutem, qui ſiccat in oſſe medullas
Oppreſſumque animum miſero depaſcit & auffert.
Da patriam incolumis tandem charoſque propinquos
Adſpiciam, veterique domum tibicine fultam,
Deliciaſque meas forulos, varioſque libellos,
Et quæ nunc ſpe tarda nimis ſua gaudia poſcit,
Da viduam matrem ſalvo cum fratre ſalutem:
Cumque illa reliquum degam feliciter ævum,
Donec ſola virum quæ diſſociare parenti
Divina

Divina vi vota valent, ineantur, & apta
Moribus, arbitrioque Tuo, Pater alme, probata
Sponſa ſinus, ac ima mihi præcordia pandat.
Sic ego, ſive forum, ſeu curia, ſive cathedra
Me poſcat, bonitate Tua, fretuſque potenti
Auxilio, Pater alme Tuo, pietate, fideque,
Te pura veraque colam, ſervire paratus
Cui potero, promptuſq; bonis, & largus egenis,
Vota tibi ſolvam; nec quod ſemel ore profudi,
Ulla mihi mutent vivendæ tempora vitæ.
Sic ſi forte novæ, veniant in carmina vires,
Seque vigor, quod nunc ſpes abnuit, exerat ultra:
Numquam carminibus, Deus alme, tacebere noſtris.
Soli vena Tibi mea ſerviet, & tua facta
Admiranda pii diſcent me vate nepotes.
Si tamen hic etiam nunc prorſus inutilis ardor
Ingenii veteres neget uſque reſumere vires,
At non propterea decus immortale benigni
Numinis immeritâ condent oblivia nocte.
Æternum laus, ſumme Deus, Tua ſcripta manebit,
Mente meâ, memorique hærebit pectore fixa,
Et quo voce minus potero, Te, Maxime Rector,
Corde magis, vitaque colam. Tibi ſerviet iſte,
Dum meus hac tenui veſcetur ſpiritus aura,
Donec in æthereas ſedes deductus Olympi
Excelſo ſuper aſtra gradus firmante cothurno
Summa ferar, curaſque humiles mortaliaque alto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Deſpiciens cœlo gradiar, ſecurus ab omni
Immuniſque malo, ſubjectaque ſidera calcem,
Lætus ovans, puroque hilaris caput æthere
condam,
Immenſoque Tuis completo laudibus orbe
Cantus ipſe meos ſanctorum cantibus addam,
Angelicaque canente ſimul Tua facta cohorte
Jam non mortali cultu, neque voce profanâ
Heic olim collata mihi tua munera pandam,
Accendens dignis cœleſtia tecta Triumphis.

FINIS.

EPIGRAMMATA
ET ALIA
MISCELLANEA
SERIA PARTIM
ET
JOCOSA.
SIVE
CARMINUM
PUERILIUM
ET
JUVENILIUM
LIB. IV. ET ULTIMUS.

VINCENTII PLACCII
HAMBURGENSIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Nobiliſſimo Excellentiſſimo &
Experientiſſimo

D. JOHANNI PLACCIO
Med. Doctori.

Germano meo honoratiſſimo &
Chariſſimo,

S. P. D.

P*Oſtquam diutius quam vellem ſerio ſum Poëtatus, tandem dulciſſime Frater, tecum ante quam finiam,*

Carum neſcio quid lubet jocari.

Nec vero habeo cum quo malim. Noſti nempe quam non ſoleam bona fide frontem exporrigere, & jocos miſcere, niſi cum iis quos optimâ plane diligo. Horum Te principem mihi eſſe, facilius ſcio credes, quam ego dixero. Neque etiam abſumpto tot verboſis carminibus ſpiritu, ſatis mihi animiupereſt, quo quam effuſe te & magis hiſce oculis meis amem, digne prædicare poſſim. Tum uti modo dictum habet, nolo jam ſerium ad te ſermonem afferre.

Sunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Sunt apinæ, tricæque, & ſi quid vilius iſtis,
Non potes in nugas dicere plura meas.

Non dubito equidem quin Terentianum illud cum Pamphilo tibi nunc in mentem veniat. Quoniam nemini obtrudi poteſt, itur ad me. *Quod ſi ſentis, profecto haud ſtulte ſapis, & neſcio an non rem acu plane tangas. Quem enim ego, meſſe jam Carminum meorum vel vindemia prorſus his acta, ad ſpicilegium & racemationem invitare auſim, præterquam Te, qui quidquid à fratre ad Te venit, non potes honeſte aliter quam boni conſulere? Quod ſi rationem præterea aliam inſtituti mei à me exigis, etiam ſic* ἀνάργυρον *me potius quam* ἀναπολογητὸν *invenies. Meminiſſe, puto, ea quæ Tibi nunc à me exhibentur, pleraque omnia jam olim fruſtillatim ad Te à me perveniſſe. Quare cum non poſſent facto alieno, ad alium transferri, tua merito manſerunt, non facta ſunt. Id quod eo nunc dico, ne quaſi de nova liberalitate mihi novas gratias agens ſuaviter erres, & Tribonianum inimicum capias, vel Juris Conſultorum Scholæ ludibrium debeas, qui quod ſemel tuum eſt, amplius tuum fieri non patiuntur. Sed mitto jam ſpinoſos iſtos Juris apices, ne in eorum ſummitatibus, ſummam injuriam poſitam, exiſtimes, meque repente ex Poëta rabulam prodiiſſe opineris. Scio enim quam ſoleatis vos, ſubtilitatum noſtrarum imperiti, ad legum optima ſæpe verba metu exalbeſcere. Cujus mali ne cauſſa Tibi nunc ſim, malo ſimpli-*

citate

citate plane Philoſophica, imo fraterna hoc quod reſtat proloqui. Nimirum nullam aliam in finem haſce meas ineptias tibi nunc iterum mitto, quam ut iterum tibi riſum haud indecorum excutiant, Tuque ubi non indelectatum te iis ſenſeris, etiam communes amicos noſtris remiſſionibus ad mutuam hilaritatem noctuque non ingratam recordationem provocare poſſis. Quod ſi alicubi liberius aliquid ſcripſi (quod vix contigiſſe puto) à graviori quidem atque illuſtriore cenſura ipſius opuſculi tenuitas facile me eximet: ut adeo hoc nomine apologos nobis parandos non exiſtimem. Quid autem tenebriones & lucifugæ de meis nugis ſentiant, non magnopere mihi curandum duco. Scio præterea eſſe aliquod hominum genus aliena etiam minima curans, ſua negligens, bonis maledicere promptum, bene facere prorſus ineptum. Horum plerique cum vitam probris, famam nequitiis prodegerunt, ne meliores ipſis alii videantur, ſolent fronte fimbriatâ, & oratione ad ſeveritatem compoſita, bonos omnes carpere, & ut ſapere videantur cælum vituperare, & Jovis errata apud plebem traducere. Illi quid de me meiſve verſibus ſentiant parum moror. Neque enim ad ipſorum ſtultas opiniones actum vitæ meæ flectendum cenſeo, ab exemplis peritiorum potius, quam ab inertium reprehenſione emendationem mei meorumque opuſculorum petiturus. Mallem tamen illis talibus diſplicere; ne ſimilis videar. Quod ſi quis ex hoc grege Tibi moleſtus eſſe cæperit, quemadmodum non ſolent ferè niſi apud alios aliena

mor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

mordere, non egebis prolixa oratione. Noſti generoſa ἀποσιωπήσεις *multa optime defendi. Tum* μυκτηρισμὸν *ipſi facile tibi extorquebunt. Ultra* διασυρμὸν *vero progrediendum neutiquam cenſeo, ne inſanos ſapere, aut Arcadica pecora ad rationem redigere velle videaris. Sed utrum denique joco an ſerio hæcce mea ludicra defendi unquam debeant, mihi quidem perinde eſt: modo tu Germane Chariſſime ſerio ut mecum valeas cures.*

Vale.

EPIGRAMMATA
ET ALIA
MISCELLANEA
SERIA PARTIM,
ALIA
JOCOSA.
CARMINUM
PUERILIUM
ET
JUVENILIUM
LIBER IV.

EPIGRAMMATA
ET
MISCELLA ALIA SERIA.

Ad Lectorem.

EN tibi longa breves, Lector, poſt
carmina verſus,
Qui lecti placeant, diſpliceant-
ve parum.
Nempe breves verſus, laus lon-
ga, & longa voluptas
Si nequit, at nequit & nauſea longa ſequi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

In ſenem avarum opes defodientem.

Cur bona das terræ, miſer? an quia tempore parvo
Nunc animam condens corpus habebit humus?

Ariſtippus & Euclio.

Donat Ariſtippus bona, donat & Euclio terræ:
Alter avarus opum, Prodigus alter opum.

In diffidentiam hominum erga Deum.

Eſſe caput merito ſibi fert Eccleſia Chriſtum:
Nam recte membris proſpicit ille ſuis.
Cur tamen huic multi nolunt committere curas?
An quia cor ſedem mentis habere putant?
Sed cum cor habitare etiam qui condidit inſtet,
Neſcio quo tandem hoc jure negare queant.

Mortis recordatio.

Ἠλιθίοις μνήμη Θανάτου φοβερὰ χαλεπή τε,
Ἀλλ' ἀγαθοῖς νέκταρ τ' ἐστὶ καὶ ἀμβροσίη.

Fama poſt fata.

Quæ poſt fata mihi ſupremaque funera reſtat
Fama, nimis ſera eſt, & dubioſa nimis.
Nam quid viventem niſi ſpes ſolatur inanis?
Nec ſcio poſteritas ſitne futura mihi.

Mercator Avarus.

Cur Maja genitus ſomno dat jura, lucriſque
Im-

Imperat, & mentes ad Styga ſævus agat?
An quia cum lucro nobis ſtat vita quieſque,
Credita quæ fragilis nunc ſibi puppis habet.

Idem.

Quid mirum ſi vita fugax mea dicitur eſſe,
Lucra meam vitam pontus & unda ferunt.

Somnia.

Nugæ ſomnia vana ſunt, & umbræ
Rerum, quas vaga mens ſopore preſſa
Et turbata vaporibus retractat:
Sed non omnia vana ſunt, ſed umbræ
Rerum ſæpius, inquieta vinclis
Quas mens corporeis ſoluta tractat.

Differentia amantum & amentum

Scis amens, & amans quonam diſcrimine diſtent?
Ille caput fervens, hic quoque corpus habet.

AD

CHRSTIANUM MARTINUM DORN,

Cum Atlantida ipſi offerrem.

Carmina quæ primis puerilia luſimus annis,
Ecce tibi, DORNI, qualiacunque damus.
Carmina Docta ſuos laudent laudata Poëtas,
Seque ſuâ cunctis utilitate probent.
Hoſce nec utilitas, nec præcox fama labores

Tam

Tam volo commendet, quam tuus unus
amor.

AD

JONAM SCHRIMPFIUM

plurimorum Principum Imperii ac ſtatuum in Aula Cæſarea Vienneni Legatum Reſidentem.

Sunt tria quæ juncta fert hæc tibi charta ſalute:
Dat grates, munus porrigit, atque petit.
Nam conviva tuos inter numeratus amicos
Quod modo ſum, SCHRIMPFI, gloria
quanta mea eſt!
Atque utinam liceat dignas tibi reddere grates,
Nulla foret fati pars mihi nigra mei:
Nunc malè compoſitos fas ſit tibi mittere
verſus
Quos cecinit puero balba Camœna mihi.
Exiguum munus, ſed cui licet addere pondus,
Si pretium ex animo dantis habere ſinas.
Quod peto non parvum eſt; ſubſcriptos nempe
libellos
Per tres ut liceat conſuluiſſe dies.
Hoc mihi ſi dederis, magni admirator amoris
Cogar, & æternus debitor eſſe. Vale.

In albo

CHRISTIANI MARTINI DORN.

Lipſiæ relinquendi cum ipſe Viennam Auſtriæ tenderem.

Ariſtoteles lib. IX. Eth. ad Nicomach. cap. ult.

Ὅ ποτέ ἐςιν ἑκάςοις τὸ εἶναι, ἢ οὗ χάριν αἱρῦνται τὸ
ζῆν,

ζῆν, ἐν τούτῳ μετὰ τῶν φίλων βούλονται διάγειν. διόπερ οἱ μὲν συμπίνουσιν, οἱ δὲ συγκυβεύουσιν, ἄλλοι δὲ καὶ συγγυμνάζονται, καὶ συγκυνηγοῦσιν, Ἢ ΣΥΜΦΙΛΟΣΟΦΟΥΣΙ.

Id eſt:

Quacunque in re ſuum cuique eſſe eſt poſitum, ſeu cujus rei gratia quiſque vivere exoptat, in ea vult cum amicis vitam traducere. Itaque alii compotant, alii teſſeris colludunt: alii una etiam exercentur, vel una venantur, aut UNA PHILOSOPHANTUR.

Ah utinam liceat nobis felicibus eſſe
  Ulterius: quam tunc ſidera fauſta probem!
At jam, Convictor dulcis, dum cœtera ceſſant,
  Et domus, & facies diſſocianda venit.
Durabit tamen arctus amor, fraterna fideſque
  Illius hanc dextram nunc Tibi pignus habe.
In patria veteres iterum jungemus amores,
  Vel prius. Interea, ſint rata vota, Vale.

Ad eundem reducem reverſus.

Tandem igitur nobis iterum felicibus eſſe
  Contigit, atque iterum ſidera fauſta probo.
Poſthac diſtincti ſpatio propiore fruemur,
  Quam vellem nullum nunc foret hoc ſpatium!
Et foret hoc nullum, modo tu, chariſſime, velles,
  Et jam ni fallor, Frater Amice, voles.
Si tamen hæc etiam mihi gaudia plena negantur,
  At quæ nunc capio ſint mihi longa precor.

Na-

Natalis primus & viceſimus.

Natalis ecce, Placci
Primordiumque quinti
Tibi ſurgit ecce luſtri.
Sic hora ſemper horam,
Sic lux peracta lucem
Annuſque ſemper annum
Sic trudit, inſtar undæ
Quæ pulſa pellit undam,
Donec ſatis volutam
Abſorbeant profundæ
Voraginis tenebræ.
Sic ergo non revertens
Revocabiliſque nullis
Precibus, dolis, vel arte,
Cum currat hora, luxque
Prætervolans, & annus
Properans volet, ſuique
Avidiſſimum relinquat:
Non ocioſe Placci
Morare, neve ſomno
Da tempus, aut quieti.
Jam diſce, diſce, vitâ
Celeri brevique vitâ
Bonâ malâque vitâ
Jam diſce, diſce Placi,
Frui, ſatiſque rectè,
Utiliterque fungi.
Quod inſtat ergo luſtrum
Vigeſimum putetur,
Natalis atque præſens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Centeſimus putetur,
Vel ultimus putetur.
Sic temporis volantis
Properus citusque curſus
Et corporis caduci
Sic & febriculoſi
Status, & valentis ægrè
Superſtitiſque ſuadet,
Monetque, præcipitque,
Et cogit, imperatque:
  At Tu, benigne ſummi
Pater atque Rex Olympi,
Natalis hocce munus
Primordiumque quinti
Qui das videre luſtri,
Tibi quas dicabo laudes,
Quam gratiam rependam?
Tibi me, Pater benigne,
Animæque corporiſque
Mei Creator alme,
Creator, & Redemptor,
Totum dico, ſacroque.
Tu da valere porro,
Fruique ſanitate,
Fruique da ſalute,
Vera diutinaque.
Sic optimo tenore
Mihi tranſigenda vita
Quæ reſtat, uſque curſu
Conſideratiore,
Curſuque lætiore,
Conſtantiore curſu,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Moderatiore curſu,
Feliciore curſu,
Beatiore curſu,
Labatur, atque vera
Virtute me ſacraque
Pietate ſemper auctum
Tueatur atque ſervet,
Ætate deſtinata
Donec, brevique vita
Hac innocenter acta,
Quibus Tibi, benigne
Deus, placebit annis,
Tandem mihi, boniſque
Tibique deſtinatis,
Olimque comprobatis
Sol magnus æquitatis
CHRISTUS redux, beatum
Et proſperum, nec ullis
Incommodis, nec ulla
Ætate finiendum,
Exordiatur annum.

Deſiderium illius qui optabat videre Romam in flore, Paulum in ore, & Chriſtum in carne.

Ergo etiam magnæ vidi miracula Romæ,
Et deſolatæ quod manet urbis opus.
Cernere florentem quid ſi licuiſſet. In ore
Reſtaret Paulum, in carne videre Deum.
Sed Chriſtum, Paulumque quidem poſt funera cernam:
Quis Romam in priſco flore videre dabit?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

At quam recte etiam Roma florente carebo,
Cernere cum Criſtum cœlica tecta dabunt.

AD
ANTONIUM MAGLIABECCUM
Magni Etruriæ
PRINCIPIS LEOPOLDI
Bibliothecarium, cum FF. Florentina Mſſ. inſpiciendi, & Sereniſſimum
PRINCIPEM LEOPOLDUM
Alloquendi copiam, aliaque multa comiter feciſſet.

SCribere diſcedens, quas mallem reddere, grates
Verſibus his cogor, MAGLIABECCE, tibi.
Verſibus indoctis quamvis, quia ſorte favente
Acceptum refero talibus eſſe tuum.
Ergo tuum ſemper me credito, flumina Pindi
Dum limphis, numeris dum mea verba fluent.
PRINCIPIS & docti LEOPOLDI magna per orbem
Indelaſſatis fama feretur equis.
Illius extremas ibit doſtrina ſub arctos,
Quaque datum nobis eſt comitate frui.
Cum nos alloquio fuit, & puerilia voto
Carmina dignatus noſtra probare ſuo.
Principis hæc virtus, indultaque gratia nobis,
Dicetur fatum qua modo pandet iter.
Interea tu, chare, vale, ſalve, atque ſaluta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Queis notum voluit me favor eſſe tuus.
Queis noſtris ut memores maneant, & ſemper amici,
Paucula quæ cernis, carmina mitto, Vale.

Extemporale in honorem

JOANNIS MERIANI,

Nomine amicorum Germanorum, cum Patavii A.D. 1663. Doctor crearetur, effuſum.

EUganei colles, Italis gratiſſima Muſis
Culmina, Bœotis anteferenda jugis,
Plauſibus, & læto reſonate per ardua cantu,
Et vos Aoniæ plectra movete Deæ.
Laurus inſpiciat veſter BONARDUS Apollo,
Laurus quos capiti det, MERIANE, tuo.
Vive coronatus longum MERIANE ſuperſtes,
Vive diu, fatis non temerande malis,
Sic cœlum, ſic aſtra volunt, ſic augur Apollo,
Pierideſque Deæ, Pieriduſque chorus.

EPITAPHIUM ITALUM

Io ſtavo bene, & per volere ſtar meglio, ſto qui.

Sanus eram, Medicum quæro, ne redderer æger:
Sic morior ſano ſanior eſſe volens.

Ager Mantuanus.

Sufficit hæc avidis tribus unica terra colonis,
Nutrimenta gerit dum tua juncta ſimul.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

In tenui ſpatio eſt, quidquid domus ampla requirit,
Palladiæ baccæ, Bacchus, & alma Ceres.

Amor Temerarius.

Ut cito quos ſubiit ſtipulas cito deſerit ignis:
Sic cito defervet, qui cito fervet Amor.

Hortanti ut Ovidium de Remediis Amoris legerem.

Amenti Naſo Medicinam quærat amori,
At noſter ſanus non eget artis amor.

Pugillares amico donati.

Ecce pugillares, aliud qui ſæpè notantem
Admoneant memori me quoque mente notes.

Speculum amico donatum.

Sæpius hoc vitrum dum te tibi monſtrat, Amice,
Sæpius & memori, Me tibi ſiſtat amor.

In vincula Pariſina amico donata.

Accipe vincla meum malè quæ teſtantur amorem,
Fortius his vinclis me ligat ille tibi.

Aliud.

Vincula quot flores hæc intertexta figurant,
Tot vel plura tibi me benefacta ligant.

Aliud.

Quæſo meis vinclis ne dedignere ligari,
Fortius hiſce tibi me ligat arctus amor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Aliud.

Non volo vincla ligent mea te, Cariſſime Melmi
Sed volo teſtentur me tibi quanta ligent.

In denti - & auri-ſcalpium aureum amico donatum.

Hoc quoties aurem, vel dentem ſcalpſeris auro,
Quæſo vacet toties commeminiſſe mei.

Excuſatio prolixitatis litterarum.

Sæpe tibi, mecum, ſcribam pauciſſima, dixi.
Et cœpta in magnum littera crevit opus.
Sed nunc imprimis tibi ſcribere pauca volebam,
Tertiaque exceſſit pagina plena modum.
Neve tamen veniam quam das peccantibus oro,
Non ego te fallo, me quia fallit Amor.
Nam tibi cum ſcripſi quæ ſcribere pauca neceſſe eſt,
Quod ſupereſt ſcriptis improbus addit Amor.
Sit meus, anne tuus quæris? communia noſtra
Si ſunt ut debent, eſt meus atque tuus.

Epitaphium

ADAMI KREUTERI,
Pharmacopolæ Duſſeldorpienſis.

Qui obiit 1665. *d.* 30 *July, calculo renum ureteres obſtruente.*

QUi LapidVm Vires, MeDiCas qui noverat herbas
KREUTERUS miſcens Pharmaca mille modis,
Hic jacet. Obſiſtens herbis è rene revulſus
Fecit ut hic ejus conderet oſſa lapis.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Ad amicum in Albo cujuſdam eodem folio mecum una ſcriptum.

Ut noſtras hæc carta manus conjunxit, Amice,
Sic animos noſtros junxit amica fides.

Diffidenti ne fidas.

Fidem qui temere negat ſodali,
Illi non habeat fidem ſodalis.

Aliud.

Qui confidenti temere diffidit amico,
Huic vel juranti non adhibenda fides.

Philoſophicæ divitiæ.

Cur bona fortunæ multis ſapientibus abſint,
Quæris, in hoc ipſo nil ſapientis habes.
Non cupiens, nec eget, vel ſi ſapiens cupit, illi
Pythagoræ lecythi quod cupit omne dabunt.

Victoria Politica.

Si turpe eſt armis vinci, ſuccumbere bello,
Sortis ubi, & fati vis violenta viget.
Fœderibus vinci fictis infame putandum eſt,
Icere quæ puræ ſit rationis opus.

Avarus hydropicus.

Qui ſitis ut potes plures hydropicus undas,
Et cupis uſque novas dives avarus opes,
Vel rumpere ſitu, vel ſuffocabere lymphis,
Et moriens magnas inter egebis opes.
Ni potius nimia purgas ſalſedine ventrem,
Et deſiderium deſeris ipſe tuum.
Nam ſi mens vitio corpuſque careret, haberes
Sufficienter aquas, ſufficienter opes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Febricitans Muſam revocat.

Tu quoque, quæ nuper, dum mens mihi læta manebat,
Currebantque ſuis proſpera fata rotis,
Sæpius invito vel faſtidita ſolebas
Non mihi quæſitos ſponte parare jocos.
Nunc poſtquam patriis procul æger, & exul ab oris
Detineor, nec qua res jubet ire licet,
Deſeris, & nullo recreans ſolamine mœſtum,
Dilatam properas accelerare fugam.
Scilicet amiſſis tot jam reſtabat amicis
Cultorem ut fugeres, tu quoque ſæva tuum,
Quo ſcelerata fugis? Ni jam redis, improba, non eſt
Quod tibi me poſthac poſſe vacare putes.
Si nunc non audis, ſi nunc me deſeris ægrum,
Poſt tibi vel ſanus triſtis & æger ero.
Quod ſi forte fui juſto moroſior olim,
Cum peteres vanis tempora larga jocis,
Non ea nunc ſimili tibi tetricitate negabo,
Et ſano quovis mollior æger ero.
Languida dum prohibet ſtudiorum ſeria febris,
Concedam modulis otia tota tuis.
Eſt mihi mens molli quæ temperet aſpera riſu,
Quæque det invito pectore lingua jocos.
Ut doleat corpus, tecum mens libera ludet,
Scilicet imperium corporis illa tenet.

Preces morbo chronico decumbenti præſcriptæ.

Rex univerſi, totiuſque naturæ
Moderantis omne, quidquid iſta terrarum

Im-

Immenſa moles, Nereüſque comprendit,
Dux ſanitatis, lucis auctor, & vitæ:
Et tu medentum, Chriſte, qui tenes primas,
Seu corporis, ſeu mentis occidant vires:
Et tu benignum, ſancte Spiritus, Numen,
Saluſque ſola, ſola vita credentum:
Miſerere quæſo, & ſupplices meos quæſtus,
Quos voce laſſa, voce teſte mœrorum,
Suſpiriiſque plus loquentibus rupta
Ægrè profundo, vixque jam potens fandi
Totus tremiſco, cœlicam ferens iram.
Deus benigne, ſit modus, precor, pœnis,
En menſibus tot Cinthiæ jubar clarum
Anniſque jam tot Cinthius vacillantes
Mentiſque corporiſque ſpiritus vidit,
Et jam videbit ni medeberis fractos.
Sis quæſo longo ſis ſalutifer morbo,
Ligetque dextra vulnus illa quæ fecit,
Hoc ſpero, perque ſanguinem ſacrum Chriſti,
Promiſſa perque quæ dedit ſuis coram
Obteſtor, obſecroque queis modis poſſum.
Sic laus honorque ſic tuus perennabit
In ore noſtro, non tacendus æternum,
Per hæc & inde ſecla ſubſecutura.

In Sacras litteras.

Chare liber, toto quo nil pretioſius orbe,
Et ſine quo toto nil foret orbe boni:
Chare liber, tot jam retro volventibus annis
Qua potui nulla non mihi lecte die.
Nempe tibi virtus, tibi ſe Sapientia ſoli
Inſcripſitque alibi nulla legenda ſalus.

Quam tibi divina eſt vis, & ſecreta poteſtas,
Cui ſimilem nulla mens ratione capit.
Spem quoties, quoties ſolamen mite dediſti,
Cum tremeret magnis cor mihi menſque malis.
Cum nihil in toto non eſſet inutile mundo,
Et ſine te veram nil mihi ferret opem.
Faſtidita mihi cum lectio nulla placeret,
Olim quæ fuerat lectio grata mihi:
Cum quamvis alias ſano mihi ſana probata
Damnaret vires Philoſophia ſuas,
Cum ſperare nihil ratio veſana juberet,
Nec foret extremi terminus ille mali.
Tunc mihi conſilium vitæ tu ſola dediſti,
Quo foret in mediis mens mihi tuta malis.
Dum divina fides, & ſpes ſecura futuri
Præſentis vitæ nil docet eſſe meum.
Dumque ego ventura menſurans cuncta ſalute,
Compono parvis gaudia magna malis.
Meque voluntati Supremi Numinis uni
Subjicio, curam quod geret uſque mei.
Nempe Deum noſtros, Te præceptore capillos
Ne ſine lege cadant enumeraſſe ſcio.
Illum etiam æternam cunctorum velle ſalutem,
Nec ſinere hunc qui non ſponte perire velit.
Denique cuncta Deum conſtanter amantibus æquum
Cedere, quæ credas peſſima quæque, bono.
Proque modo noſtri ſolamina creſcere luctus,
Ferreque quod nequeam denique ferre Deum.
Quod ſi ſuſtineam paucis miſer eſſe diebus

Hic, ubi quiſque pius cogitur eſſe miſer,
Mox mihi magna dies nulli contermina nocti
Præmia mœrorum gaudia quanta dabit!
Gaudia menſuram nullam nec habentia finem,
Gaudia præteritis non reputanda malis.
Hæc te, chare liber, doctus tam ſancta magiſtro,
Quis ſe felicem non putet eſſe miſer?
Quiſve ſalutiferos non clamet, Chriſte, dolores
Auge pro lubitu; da modo poſſe pati?
At tu, chare liber, propria hæc divina poteſtas
Perfacile auctorem cui probat eſſe Deum,
Chare liber, nullis mihi non volvende diebus,
Queis fatum libros volvere poſſe dabit,
Hæc mihi quæ toties ſolatia magna dediſti,
Sæpius in reliquos da renovare dies.
Da precor hæc, Deus alme, tui ſanctiſſima verbi
Pectore comprendi ſemina jacta meo.
Herbaque da figens radicem in pectore creſcat,
Atque animæ, & carni ſit medicina meæ
Sic mœſti lætique dies, longique breveſque,
Æquales mihi ſint, pro lubituque tuo.
Sic quoque peccatis juſtam perſolvere tandem
Mercedem hoc corpus, cum mea fata volent.
Hæc eadem intrepido mortem defixa ſub imo
Corde ſalutaris det medicina levem.
Det mortem ſentire levem, ſimilemque ſopori,
Nam brevis eſt tantum corporis ille ſopor.
Dum verbi, Pater alme, Tui myſteria, mentem
Dant mihi qua rurſus vivere poſſe ſciam,
Atque ſuo magna jungendum ſurgere luce,
Hæc modo, ſumme Pater, ſit mihi læta dies.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Charitas Philoſophico-Chriſtiana.

Bonis amicos eſſe qui bonos ſemper,
Quamvis nec ore cognitos, nec adſpectu
Primiſve verbis invicem ſalutatos,
Olim docebat mente præditus magna
Plato, meretur nomen inclytum dii,
Et laude dignus, & memoria ſancta,
Docto bonoque diligi nequit nulli.
Ut nempe juncta vera congruunt veris,
Et recta rectis, juſta congruunt juſtis:
Sic mens bonorum juſta, recta, mens verax,
Simili bonæque tota congruit menti,
Animæque ſeſe ſentiunt idem magnæ,
Unaque recti ſtirpe vividâ cretos,
Ut ſe ſorores, invicemque germani,
Fratreſque natos ſanguinem vident unum.
Concordia hinc amoribuſque fraternis
Qua ſeſe habebunt obvios tuebuntur,
Amplexibuſque ſe tenerrimis ſtringent.
Quid eſt amare, ſin amare non hoc eſt?
Jam ſi quod omnes ſentiunt, docent ſani,
Animuſque cunctis conſcius ſui dicit,
Amare mentis, corporiſque opus non eſt,
Hominemque mentem conſtat eſſe, non corpus,
Annon amici ſunt bonis boni ſemper,
Mens magna menti juncta cum volat magnæ,
Nec ducit unà ponderoſius corpus?
  Cum tantus ergo ſit ſapientibus ſecli
Hujuſce fervor, cum profana vel parvæ
Plerumque vel vanæ ſapientiæ cura
Nexu tenaci deditas liget mentes:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Amore quanto, fœderiſque quam ſancti
Nodo tenaciore fas erat ſtringi,
Parentis, uniuſque qui Creatoris,
Originiſque conſcientiam laudant,
Seſeque fratres, & ſapientiæ proles
Unius omnes profitentur æternæ;
Diviniore, ſanctiore quos nexu
Summæque quos neceſſitudinis vinclo
Indiſſoluto diligendus æternum
Deus Creator, & Redemptor, hoc mandans
Unum, perennibuſque ſanciens pœnis,
Æqualiterque diligentis indignos
Cunctis ſequendo quos amoris exemplo
Pro perditis & pro miſerrimis fuſus
Sanguis, ſacrumque corpus uniit CHRISTI,
Salutis arrha, ſpeſque Chriſtianorum.

Mortem nec metuas, tibi nec optes.

Ut pueri tenebras horreſcunt, inque tenebris
Quid propriè metuant dicere poſſe negant:
Sic mortem plebs vana timet, nec quid ſit in illa
Horribile ex multis qui ſciat ullus erit:
Quod ſi nigra dies obſcuret tempora vitæ,
Has tenebras tanquam lumen adire volunt.
Sed veræ fidei, & Chriſti myſteria doctus,
Nec tardare necem, nec celerare velit.
Nam vitam pœnas, & pœnis ponere metam
Scit mortem, propius qua datur ire Deo.
Hinc adeo citius mallet de carcere ſolvi,
Quaque datur ſolâ morte videre Deum.
Sed poſuiſſe ſuis menſuram fata diebus
Edoctus, vana non ferit aſtra prece.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Et quoniam fatum ſcit flecti nolle rogando,
Nec tardare necem nec celerare cupit.

Cur Deus bonitatis fons, paucos bonis abundare patiatur.

Vera boni ſpecies ſeſe communicat omnis:
Et bonitas ſumma eſt & ſine fine DEUS.
Tantopere parcâ cur ergo munera dextrâ
Diſtribuit, nemo ut non ſibi plura velit?
Cenſerine hominum numquam ſatianda cupido
Æterna major ſic bonitate queat?
Abſit, & hæc longum valeant erronea ſenſa.
Non datur æternum quod ſuperare queat.
Nec bona mortales, ſed imagine peſſima falſâ
Sæpe petunt. Negat hæc, non negat illa Deus.
Nam quod ferre nequis, oneri eſt, ſit gemma, vel aurum:
Quodque oneri eſt, certe deſinit eſſe bonum.
Ah ad quam male pauca valent mortalia corda!
Ut potius mala quam commoda magna ferunt!
Hinc inopes multi, multi viſuntur egeni,
Sic quoniam his, aliter nec licet eſſe bonis.
Et quia divitibus raris datur eſſe beatis,
Et miſeros citius res facit arcta pios:
Divitias merito paucis dedit, eſſe beatos
Qui cupit, & cunctos qui cupit eſſe pios.

Votum quotidianum pro morte beata.

Qualis qualis erit ferenda vita,
Saltim Chriſte mihi beata mors ſit!

Cha-

Charitas Amicitiæ fundatrix.

Indignum ſi quis peccat qui nolit amare,
O quantum eſt dignos non redamare ſcelus!

Æquam memento rebus in arduis ſervare mentem.

Rebus ut in lætis hilaris ſic triſtibus eſto:
Hac vulgus differt à ſapiente nota.

Vulgus & Rex Philoſophorum.

Vulgus mobile, vulgus imperitum,
Indoctum, ſtolidum, furenſque vulgus,
Fallax & leve, garrulum ac malignum,
Vanum denique fertur, & profanum.
Nempe hæc inſipientiam popello
Communem comitantur ac ſequuntur.
A vulgo magis ergo ſeparari
Quo quiſque eſt ſapientior meretur:
Et qui denique maximè remotus
A vulgo, inſipientiâque vivit,
Princeps, Induperator, atque Rex eſt.
At Rex inſipiens, & Imperator,
Vulgi non niſi nomen exuiſſe,
Et verè, ſapientibus putantur.

Philoſophia Stoïca.

Si ſatis hunc credis qui nil dolet, eſſe beatum,
Hoc tibi noſtra bonum Philoſophia dabit:
Nam præſtare docet culpam, & contemnere ſortem,
Quæ duo triſtitia fata carere jubent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Comparatio Phyſicæ Carteſianæ cum Scholaſticâ.

Immerito dubiam vexat diſcordia mentem,
Utra ſit ex uſu Philoſophia magis.
Scilicet hæc cunctis ignota vocabula quærit
Et loquitur nullis percipienda modis,
Altera quæ cunctos fugiant corpuſcula ſenſus,
Solaque vix ratio quæ bene prenſet habet.
Quid dubitas? valeant obſcura vocabula longum,
Quæque latent ſenſus, mens ratione notet.

Intemperantia linguæ animi parum intelligentis ſignum eſt.

Non ſemper illi ſentiunt quid proferant,
Qui proferunt promiſcuè quod ſentiunt:
Qui vero cuncta ſentiunt quæ proferunt;
Non proferent promiſcue quæ ſentiunt.

Ἐχεμύθεια Platonica.

Tacere recte, ne ſilenda proferas
Addiſce primum: poſtea addiſces loqui.

In nimiam taciturnitatem.

Tacere ſemper qui ſibi decus ducit,
Signumque raræ cenſet eſſe virtutis,
Iniquus hic injuriuſque naturam
Accuſat, optimoque cum Creatore
Pugnat, nec os nec oris obtinens uſum.
O quam creaſſe præſtitiſſet hunc mutum,
Aut cochleam feciſſe vel pigrum piſcem,
Cautemve, caudicemve vel magis truncum
Deſiderata quo ſuperbiens vita
Taciturnitatis concinat tacens laudes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

At oris uſus nos quibus bonus conſtat,
Pecudumque more qui ſilentio bruto
Non tranſigendam novimus brevem vitam,
Sic colloquamur, ne loquacitas noſtra
Taciturnitate ſit vitioſior bruta.
Nam ſi tacere ſemper eſt eſſe mutum,
Loqui nefanda, pejus eſt eſſe muto.
Et vero præſtat quæ nihil juvat quemquam,
Quam quæ juvare non volens nocet lingua.
Loquamur ergo: ſed loquacitas noſtra
Taciturnitati præſtet optimæ tantum,
Quantum diſertos præſtat eſſe quam mutos.

Poëticæ penitus valedicit.

Valete verſus: Ite nugæ, ac fabulæ
Abite Muſæ, Phœbe cantator vale.
Jam me pigetque, pœnitetque, jam pudet,
Tædetque veſtri. Temporis tantum boni,
Et quod repoſco ſerius nunc otium,
Me collocaſſe ſentio nimis male,
Studiiſque conſumpſiſſe planè frivolis,
Et profuturis vix mihi quidquam ſeni.
Sic infiebam, ſonticiſque temporis
Damnum dolebam concitus mœroribus:
Sed non Tonantis alma Nata me tulit
Diu dolentem, dixit hoc ſolatium.
Jactura quid te torquet acti temporis?
Tranſacta ſi tranſacta non fieri cupis,
Et hoc quod ipſis non datur cœleſtibus,
Revocare poſſint ut tranſacta tempora,
Si tu querelis hoc petis tuis: gravem
Inſaniens lugendus es veſaniam:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Quin ſic habeto. Cunctos Adoleſcentiam
Qui collocare fervidam nolunt male,
Dum mentis imbecillis immaturitas
Vacare nondum rebus arduis ſinit,
Vel verſibus, vel occupari amoribus.
Utrovis horum cautus atque ſobrius
Negotioſo perfruaris otio:
Non pœnitenda te juventus occupat,
Nec hinc redundat in ſenectam incommodum.
Sed cum juventus cerea in pravum nimis
Flecti ſit omnis: hoc, licet præclarius,
Jucundiuſque, ſed periculoſius
Illo, cavere præſtat exemplo meo.
Nam forte ſi quis, ut ſolet, error obrepat,
Poëta ſi quis aut amans peccaverit,
Immane quantum diſtat infelicior
Amans Poëta. Quippe ſi ſic compares,
Ceciniſſe tantum præſtat inficetius,
Quam non amaſſe debitâ prudentia
Et caſtitate: quantum is errat mitius
Dixiſſe quam vixiſſe quem patet male.
Sed cum juventa prima jam te deſerat,
Maturiorque jam, ſtudiiſque maſculis
Non impar ætas te virilis occupet:
Merito ſeveris occupationibus,
Concedis annos ſubtrahendos otio,
Sapientiæque conſecratus optimæ
Tectos inanibus volucris fabulas
Et ficta prudens deſeris ludibria
Totumque nobis atque divis ſeriis
Te nuncupandum ſeparas levioribus.
Meritoque ludis & jocis ponens modum
Annis

Annis virile cor geris virilibus,
Et mente magna voce concinis gravi:
Valete verſus, ite nugæ ac fabulæ
Abite Muſæ: Phœbe cantator vale.

EPIGRAMMATA
ET
MISCELLA ALIA JOCOSA.

Ad Lectorem.

NUnc Saturnia corda, nunc valete,
Muſas quæ colitis ſeveriores.
Nil faſtidia veſtra nunc morabor.
Nunc ridere juvat, juvat jocari,
Et verſus fabricare diſſolutos:
Qui lætis placeant, & otioſis,
Et qui ſponte fluant, amoribuſque
Et magnis ſociabiles cachinnis.
Non illos nimis anxiè dolabo,
Nec natos velut urſa fœta lambam,
Nam ridenda canens, & ipſe molli
Riſu ridiculus carere nolo,
Et triſti ſtudio vacare nugis.
Hos quicunque meos videtis ergo,
Et vultu legitis faventiore,
Et prompti faciles jocos probatis.
Vobis dent Heliconiæ ſorores
Os proclive jocis, facetiiſque
Urbanis, ſalibuſque delicatis:
Vobis mellifluas ſacratus amnis

Det

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Det limphas, ſolitoque largiores
Verſus ſponte fluant, & invocatus
Toto rideat uſque Phœbus anno.

Excuſatio Jocorum juvenilium

Ponamus frontem: concedant ſeria nugis.
Seria Muſa vale, Muſa jocoſa veni.
Dum Phœbus riſu ſemel Ilia concutit anno,
Nempe, Cato, frontem non probat ille tuam.
Et te præferimus Cantorem Phœbe, Catoni,
Fingat Apollo mihi carmina, nulla Cato.
Imberbis lætamque ferens Deus ore juventam,
Ætati, & genio convenis ille meo.
Scilicet ingenio, veroque vigore, juventa
Feſtivo riſu quæ caret, illa caret.
Quique hilaris numquam riſit juvenilibus annis,
Ingenuâque probos condiit arte ſales,
Inſulſam guſtans, ſalſamve dolore ſenectam,
In ſolas lacrumas ingenioſus erit.
Et tamen hæc illis præcocia luſimus annis
Queis riſiſſe quater, non queat eſſe nefas.

SOMNIUM
DE
AMARILLIDE.

Quam fuit illius dulciſſima noctis imago,
Qua, mea lux, coram tu mihi viſa loqui es!
Hæc mihi non Indi niveis, Amarilli, lapillis
Somnia, non Lydiis ſint potiora bonis.
Tunc ego te qualem præſens Amarillida vidi,
Ceu

Ceu quondam cum nos jungeret una domus.
Et tu paſſa meis cingi tibi colla lacertis
Dignata es noſtro ponere membra ſinu.
Addebas lepidos, Amarilli proterva, ſuſurros,
Permiſcens variis murmura rauca jocis,
Deque proco imprimis qui nunc te ſedulus ambit,
Plurima confeſſa es vix reticenda mihi:
Scilicet ut ſit iners, & deſidioſus amator
Utque premat teneros ruſticus ille ſinus.
Plurima per nutus, & per ſuſpiria ſenſi,
Utque ſoles, oculis es mihi viſa loqui.
Multa ſinus dixere adaperti, preſſaque dextra,
Nec pars in toto corpore muta fuit.
Tunc ego jam veros tota mihi mente triumphos
Concipiens, animi vix bene compos eram.
Oſcula mox partes fixi fundenda per omnes,
Ora, genas, faciem, pectora, colla, manus.
Innumera ipſe dedi, ſed longe plura recepi,
Viciſti ſtudium promptior ipſa meum.
Lævâ etiam teneras memini prenſaſſe papillas
Et dextra dextram continuiſſe tuam.
Hæc ego dum tentans ſolito petulantior inſto,
Viſa mihi es totis erubuiſſe genis.
Et leviter repuliſſe manus, me protinus horror
Occupat, & ſomnus protinus omnis abit.
Somnus abit. Vacuo vigilem requiſcere lecto
Me video, & ventis tendere fruſtra manus.
Quid faciam? Tu Somne, & qui mortalia Morpheu

Vexas,

Vexas, & recreas pectora mille modis.
Aut perfecta magis per totam gaudia noctem,
At mihi da ſimiles noctibus hiſce dies.

Ad Zoilum ſomnium præcedens carpentem.

Qui vigilans pejora facis, mea ſomnia carpis;
O ſapiens, cui nec ſomnia mente carent.
Nec tibi jam mirum vigilanti ſi perit uſus
Conſumptum ſomno quem rationis habes.
Aſt ego vana feram patienter ſomnia noctis,
Dum ratio vigili conſtet ubique mihi.

MACARONICUM

In die feſto S. Johannis

Che viva

Il Molto Illuſtre Signore,

il Signore.

GIOVANNI à FELDE,

Acclamatum à commenſalibus

Patavii 1663.

ILluxit feſtum compagno dolce Johannis
Quo rallegrari decet, & bona dicere verba,
Et mangiare bene, & non piccola bevere vina.
Quæ quoniam nemo cupiebat ſpendere noſtrum,
Hæc riverenza tibi facta eſt, SIGNORE GIOVANNI
Et ſpedita ſimul quamvis male povera vincla
Ut tibi banchetti bene ricchi foſſero cauſa.
Hoc tu ſi ſpendes, clamabunt VIVA JOHANNES.

Amantiſſimi tui Commenſales.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

In ſtultum vacuum negantem.

Fallere cur contendis eum qui dixit ineſſe
   Naturæ vacuum, quod tamen ipſe probas?
Namque tuum aut ſano caſſum eſt caput omne cerebro,
   Aut certe plenum eſt undique ſtultitiis.

Epicedium Vetulæ Xantippes.

Fletur, & exquiæ, mirum! celebrantur aniles,
   Res lacrumis digna eſt, ſi moriatur anus?
Cui neque mens, neque dens, hirtuſve manere capillus
   Cui potuit; potuit ſollicitare virum,
Stare jubens illum, & raros ſibi findere crines,
   Virginibuſque aptos tundere in ora cibos.
Horruit hanc dudum, & vix tandem falce tremente
   Poſt longas ſecuit mors ſcelerata moras?
Haſce moras flentes, funus celebramus anile,
   Sic lacrumis digna eſt ſi moriatur annus.

Differentia Anus & ani, cum Etymologia utriuſque.

Quidquid mente caret, Grajis bene dicitur ἄνους,
   Hinc vetula & podex hoc ſibi nomen habent.
Nam fatuum caput eſt fatuus ceu ſenſus anilis,
   Et cerebrum podex nullus habere ſolet.
Si cur prima brevis modo ſit, modo longa, requiras:
   Longo hic, illa brevi tempore mente caret.

Epi-

Epicedium verginis annoſæ.

Annos quid mirum, ſi virgo nata tricenos
Occubuit tenui morbida febriculâ.
Namque ter in denos Venerem quæ diſtulit annos,
Huic naturalis num queat eſſe calor?

Amor ex ſimulato verus.

Amans videri dum volo, nolens amo.

Aliud.

O puer infelix, jaculis quid ludis amoris,
Serius iſte brevi quam tibi luſus erit!

Aliud.

O cor ſincerum! ſimulando diſcis amorem:
Majores flammas quam tibi fingis habes.

Aliud.

Quid facis, o fallax veri ſimulator amoris!
Si nimium ſimulas, jam tibi verus erit.

Aliud.

Viderat auguſtæ noctes vigilare Minervæ,
Viderat, & ſpretus me quoque ſprevit Amor.
Effudi riſus, & verba procacia dixi,
Audaci prenſans fulgida tela manu:
Non tulit, & pœnas nobis dabis, improbe, dixit,
Quem ludens ſimulas, ſit tibi verus amor.
Sic ait, & ſubito mediis hæſere medullis
Spicula, laſciva vix mihi tacta manu.

Quid

Quid faciam, fictus quondam, nunc verus amator?
Fingitur, at non ſic diſſimulatur amor.

In Angelicam.

Angelicam quæris nullo cur carmine dicam?
Angelicam dignè dicere quod nequeo.
Non capitur noſtro mens diviniſſima verſu,
Angelica Angelica voce canenda foret.

Angelicæ caſtitas.

Caſtam credimus eſſe quam rogavit
Nemo. Caſtior at puella quanto eſt,
Quam multi juvenes ſatis diſerti,
Queis ſors non inimica, non avara
Queis natura dedit, quibus placere
Nulli non poterant ſatis puellæ,
Tales quam nequeunt movere nullis
Seu donis, precibuſve lacrumiſve,
Nullo dedecoris metu, miniſve:
Non hanc dixeris eſſe caſtiorem
Te Lucretia, quam metus ſubegit,
Et vivente Deo, Deo vidente
Nullius reputanda fama flocci?
Quod ſi complacitum procum puella
Dilectumque ſibi diu, rogantem
Percellat ſine ſpe rudi repulſa;
Non hanc dixeris eſſe caſtitatis
Exemplar ſine labe, regulamque,
Ipſam ni velis eſſe caſtitatem?
Hac virtute negem quid eſſe majus,
Ni magnum nihil eſſe me doceret
Virtus Angelicæ, decus quod addi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

A ſe cui nequeat. Quod addit ergo
Huic tantæ decus illa caſtitati?
Hoc quo nec ſine caſtitas placeret,
Inviſam ſapiens ſeveritatem.
Nam ſic illa regit ſuos amantes,
Ut nullus ſapiens velit rogare,
Hoc quod quiſquis amans cupit rogare.
Ergo deſipiens habet repulſam
Solus, ni reſipiſcat, ac amare
Hac diſcat ſapientiùs magiſtra,
Hæc eſt Angelicæ ſtupenda virtus.
Sic prudentia juncta caſtitati
Auſteram moderat ſeveritatem,
Sic conſtat ſua caſtitas amori.
Semper ſi fuit hæc, manetque ſemper
Conſtans Angelicæ ſtupenda virtus:
Quis illam Angelicam, vel Angelum quis
Illam jure ſuo neget vocari?

In Menandrum.

Cur non Anglicæ placet Menander?
Nempe eſt Zelotypus, ſenex, maritus,
Et ſtultus nimis, & nimis Poëta.

In eundem.

Angelicæ cur non placeas ne quære Menander:
Cum ſis Zelotypus, ſtultus, amanſque ſenex.

Imitatio illius Martialis.

Pauper videri Cinna vult, & eſt pauper.

Stultus videri vult Menander, eſt ſtultus.

Muſa reviviſcens.

Ne Themidem Phœbumque putes communibus aris

Nol-

Nolle uti, & doctas hinc repuliſſe Deas.
Diſticha non illud meditans, & ſtans pede in uno
Mitto tibi parvo temporo facta duo,
Ecce novos iterum verſus: ni Scribere ceſſo,
Quæ reſtat, video, littera carmen erit.
Scilicet in reſides animos, deſuetaque corda
Antiquus monſtrat ſe rediiſſe vigor.
Hoc mihi ſi durat, qui me Naſone minorem
Aſſerat aut naſo, aut carmine, nullus erit.

Cœlibatus Philoſophicus, ſeu Miſogamia Philoſophica.

Non bene Palladiæ myrtis ſociantur olivæ,
Non bene Philoſophis conciliatur amor.
Eſt inimica Venus generi huic, petulanſque Cupido
Non iſtis ſtudiis vult adhibere faces.

JOHANNI PLACCIO, MED. D.

Germano ſuo cariſſimo, ac honoratiſſimo,

HISTORIAM VIRGINIS HYSTERICÆ

Publicanti.

VIderat has Phœbum chartas præcingere lauro,
Viderat, & myrtos addidit alma Venus.
Scilicet hic morbus quæ noſtra potentia monſtrat,

 Quam-

Quamque rudes Medicæ non ſimus artis, ait.
Sæpe quidem noſtris ſanantur ab ignibus ægri,
Nec ſemper morbis eſt inimica Venus:
Huic vero, huic etiam noſtra felicius arte
Ipſe nihil Phœbus quo medeatur habet.
Sic ait: & Te teſte fidem experientia firmat,
Quam fuerat Veneri non adhibere nefas.
Sæpius hæc igitur cum det Medicina ſalutem,
Cum curet tutò, ſuaviter, atque citò:
Hactenus hæc merito miror, dulciſſime Frater,
Exulet à ſtudiis cur Medicina tuis.
Quid juvat aſſiduas Phœbo conſumere luces,
Si ſuavis nullâ ſit Tibi nocte Venus?
Si Medicum facit, aut decet experientia multa,
Hanc quoque ne ſpernas Te Cytherea monet.
Omnibus Hyſtericum vitium eſt, mihi crede, puellis,
Et vacua eſt tanto fœmina nulla malo.
Hæc magis, illa minus ſentit: ſed libera nulla eſt.
Hinc quoque diſſimulant, hæc magis, illa minus:
Omnibus ex illis unam tibi ſelige, Frater,
Quæ Tibi quæ dicat: Tu Panacea mea es!
Huic lucro ingenti gratiſſima pharmaca vendes
Cum conſtet nihilo Pharmacopola Tibi.
Et tamen his pretium fas eſt Tibi ponere tantum,
Quantum à Phœbeâ ſerius arte petas.
Et communis erit Tibi cum patiente voluptas
Aut certe multo non erit illa minor.
Accedent cari dulciſſima pignora lecti,

Qu:

Quæ nomen ſera poſteritate ferant:
Non video his cunctis quid nam promittere majus
Unquam Pœoniâ poſſis ab arte Tibi.
Quin igitur Veneris Medicam facis ocyus artem:
Forſitan & qui Te mox imitetur erit.
Poſcit in exemplum mihi Te maturior ætas:
Fiemus Medici Te præeunte duo.

AD
MATTHIAM PAISENIUM,
De humorum vitiis pro laurea Medica Lugduni Batavorum diſputantem.

AMans Dearum corculum novenarum,
Phœbique cultor erudite PAISENI,
Quo nemo cauſſas, ſquallidaſque morborum
Sedes, latebris abditiſſimis fruſtra
Doctis tot inde ſeculis requiſitas,
In humido quod omne perfluit corpus
Carnemque nervos, oſſa nutrit & venas,
Quæſivit umquam doctius, vel invenit,
Docuitque dignis laurea ſua chartis.
Amate ſemper ac amande PAISENI,
Per te faventem quem tibi colis Phœbum,
Deaſque doctas, pallidamque Pirenen,
Notoſque nulli quam tibi magis lucos
Obteſtor, & per omne quod favet doctis.
Expone quæſo nomen & genus morbi,

Nomen, genuſque ſontici, gravis morbi,
Qui ſeculum nunc iſtud occupat totum,
Spatioque longi retro temporis vexat,
Ponitque viciniſſimam malo fato.
Fixus ne ſal hic an volatilis peccat,
Acidumne amarum, an viſcidum facit morbum,
An Phlegma, lympha, ſanguis, an nocet bilis,
Veniſne, viſcerumve, vel minutarum
Meatibus ſtat noxa fixa fibrarum,
Solidaſve partes paſcitur ſacer morbus?
Tum qua diæta, pharmacove curandus,
Ni ſectionem poſcat, aut citas flammas?
Serpendo namque membra ſæviens virus
Abſumit, & miſerabili necat morte,
Metuſque magnus eſt, manentibus ſolis
Vix ſemivivis ut diutius parcat,
Ita dira totum corpus inficit tabes,
Nullique parti conſtat uſus, aut motus.
Sapora lædunt delicatulum guſtum,
Cui ſalſa multum perplacent, vel inſulſa.
Luminibus cœcutientibus præſtat
Tenebroſa nox dici, & hiſpidum tactus
Durumque quærit. Nauſeat ſalubreſque
Vomit, coquitque ventriculus cibos crudos.
Manus nec ipſæ ſemper aut pedes poſſunt,
Cordiſque ſæpe ſentias premi pulſum.
Mens verò, mens laborat omnis, & ſemper,
Suumque (magni peſſimum mali ſignum)
Nec ſtulta novit, noſſe nec volens morbum,
Ipſa ſalute ſanior cupit credi.
Fallunt imagines, & ipſa mens fallens

Confundit omnes differentias rerum
Simulacra captans, atque ludicras umbras.
Aliena multa garrit inſolens lingua,
Vix obrepente vel per accidens vero.
Nec continetur amplius, ſed inſurgit
Expers quietis omnis, ac inops ſomni,
Non jam intra verba deſipit: rapit, verſat,
Manibus pedibuſque vim facit, furit, cædit.
Nec neſciens delinquit, impetu ſolo,
Sed artibus, doliſque callidis peccat,
Et perſeverat pœnitentiam ignorans.
En ſigna ſævientis, & ſtatum morbi,
Quo ſeculum præſens, videntibus doctis
Scientibuſque, prægravatur hoc totum,
Brevique fractum cedet, atque ſuccumbet,
Ni mox medelam neceſſariam præſens
Panacæa mixta legibus ferat doctis.
Hanc, laureate nunc Amice, ſi præbes,
Fœdamque curas ægritudinem ſecli,
Jam Phœbus omni magnus audias mundo,
Mihique magno ſis potentior Phœbo.

Excuſat præcedentia quæ febricitans conceperat.

Miranda res non eſt, Amice, ſi fingo
Febriculoſus ipſe morbidum mundum.

ΠΑΙΔΟΓΑΜΙΑ

SIVE

Encomium nuptiarum puerilium.

TEr felix juvenis, Juveni cui contigit uxor,
Et juvenis juveni nupta puella viro.
Felices populi, felix reſpublica lege
Hac regnata, favens huic erat alma Venus.
Illis nempe Venus ſimul & natura favebunt,
Naturæ & Veneris qui ſacra jura colunt.
Lex Veneris lex eſt Naturæ magna potentis,
Lex ſine delicto non violanda gravi.
Non illam variis ſervat peritura papyrus
Caſibus, haud cedro ſcripta, vel ære manet,
Nec ſolidæ durare jubent adamante columnæ,
Vel ſi quid magis his ſecula ferre queat.
Nobilius longe propria virtute perennant,
Quæ Natura notat, quæ Cytherea notat.
Sanguine ſcribuntur, ſed prorſus ſanguine vivo,
Non quo crudelis ſcripſerat ante Draco.
Hoc ſcribunt hominum Natura Venuſque medullis,
Quæ vivis illi pellibus inde notent,
Neſcia neſciri, deleri neſcia, lex hæc
Per mentes hominum, & conſcia membra manet.
Felices populi, pueros parvaſque puellas,
Queis placuit parvis compoſuiſſe thoris.

Cum-

ΚΑΙΡΟΓΑΜΙΑ
SIVE
Commendatio nuptiarum tempeſtivarum.

INfelix juvenis, juveni cui contigit uxor,
Et juvenis juveni nupta puella viro.
Infelix populus, pueros parvaſque puellas
Cui placuit parvis compoſuiſſe thoris.
Infelix utens tali reſpublica lege,
Haud illi certè Juppiter æquus erat.
Et quæſo qui poſſit iis, queis cæca libido
Et ſtimuli carnis præ ratione valent.
Lex eſt æterna nitens ratione Tonantis,
Lex ſine delicto non violanda gravi,
Illam tot doctis laudarunt ſecula chartis,
Secula quot mundo docta fuiſſe liquet.
Hanc merito ſolidæ ſignent adamante columnæ
Vel ſi quid melius ſecula longa ferat.
Nunc tamen hæc charta quoque nobiliore leguntur
Quæ Deus æterna cum ratione notat.
Pectoribus decreta Deus deſignat in imis,
Et non delendas imprimit ipſe notas.
Codicibus vivis ſtant diviniſſima juſſa,
Invitiſque etiam ſponte legenda patent.
Neſcia neſciri celari neſcia juſſa
Per mentes hominum & conſcia corda manent.

Παιδογαμία

Cumque illis una ſe prodit origine cretam,
Sæpe renaſcendo ſe ſimul ipſa novans.
Nec promulgari, nec per præcepta doceri
Indiga, ſecreta ſe docet arte magis.
Nec quiſquam eſt adeo duris è cautibus ortum
Quem videt & gelido Parrhaſis urſa polo.
Cui non innatis dicat mens concita flammis
Et flagrans toto corpore ſæpe calor.
JUNGE PUER THALAMO TENERAM
TIBI JUNGE PUELLAM
JUNGE TUO PUERUM JUNGE PUEL-
LA THORO.
Hoc eſt quod teneris qui temperat oſſa puellis
Dictitat, & pueris qui ſubit ima calor.
Hoc Venus & Natura jubent. Auctoribus illis
Scilicet in nobis ſe movet ille calor,
Maturare monens connubia: nec tamen illi
Hoc etiam ſatis eſt commonuiſſe ſemel;
Sæpius hoc repetit, nec ſponte volentibus in-
ſtans,
Innocuos animos ſpeque metuque quatit.
Scilicet heic etiam parenti præmia cedunt,
Pœna reluctanti quæ minitetur adeſt.
Quod Venus & Natura jubent conamine tanto,
Quis impune aliquem ſpernere poſſe pu-
tet?
Quin tibi tu tantis auctoribus hiſce puellam
Junge puer, puerum junge puella tibi.
Naturæ veneranda manet divina poteſtas,
Cui paribus pollet viribus alma Venus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Καιρογαμία

Cumque illis una ducunt ab origine vires,
  Sæpe renaſcendo ſe ſimul illa novant.
Nec promulgari, nec per præcepta doceri
  Indiga, ſecreta ſe magis arte probant.
Nec quiſquam eſt adeo duris vel cautibus ortus,
  Abderitanæ pectora plebis habens.
Sæpius innati cui non mens conſcia juſti
  Et ratio memoret talia jura Dei.
NON NISI MATURAM JUVENIS TIBI JUNGE PUELLAM,
  NON NISI MATURO NUBE PUELLA VIRO.
Hoc eſt quod ratio ſuprema, & ſancta voluntas,
  Et lex æterni quod jubet alma Dei.
Hoc Deus ipſe jubet, quo ſolo conſcia rectæ
  Largitore uſum mens rationis habet.
Hæc tardare jubet connubia: nec tamen illi
  Sufficit hoc etiam commonuiſſe ſemel.
Sæpius hoc repetit, nec ſponte volentibus inſtans
  Inſontes animas ſpeque metuque quatit.
Scilicet heic etiam parenti præmia cedunt,
  Pœna reluctantem quæ bene cogat adeſt.
Quod Deus & ratio mandant conamine tanto,
  Numquam impune aliquem ſpernere poſſe putem.
Quin tu maturam, Vir, tanto auctore puellam
  Accipe, maturo nube puella viro.
Numinis æterni rata ſit tibi magna voluntas,
  Et ratio interpres non violanda Dei.

Παιδογαμία

Si tamen auctores niſi cum ratione recuſes,
(Sed ſalva ſpernat quis pietate deos?)
Sic quoque ſuccumbes: Nec enim ſapientior ulla
Lex hoc nec poterat juſtior ulla dari.
Stat Veneri caſtæ ratio ſua ſemper, & omne
Quod Natura jubet, cum ratione jubet.
Scilicet, eſt ſecreta Dei natura poteſtas,
Ipſiuſque adeo pars quotacunque Dei.
Inque animos Veneri eſt ſuprema potentia noſtros:
Quid vero hos cogat, vis niſi ſola Dei?
Hoc igitur firmo ſi rem fundamine ponas,
Stultus erit Superi cui ratione carent.
Nec noſtros etiam ſi lege recondita ſenſus
Falleret hæc ratio, falleret illa Deos.
Multa manent illos, nulloque labore paranda
Nobis, quo ſolo multa parare licet.
Quin minus hoc noſtræ capiunt myſteria mentes,
Quo ſibi divinæ plus rationis habent.
Hinc magis eſt ſecreta Dei veneranda voluntas,
Quoque minus patet, hoc eſt violanda minus.
Nec tamen hæc tantis lex eſt immerſa tenebris
Imperioque magis quam ratione valet:
Non aliis conſtare ſua, aut perſpecta probari
Præceptis ratio tam manifeſta poteſt,
Atque illis Natura notat quæ ſanguine noſtro,
Quæque ſuis ſtimulis imperat alma Venus.

Καιεργαμία

Illi qui pugnat, ſummo cum numine pugnat,
Et ſciet iratum quid ſit habere Deum.
Quid quod & utilior, quod lex prudentior illa
Numquam, nec poterat juſtior ulla dari.
Nam quod recta jubet ratio, ſimul exigit uſus,
Quod natura jubet, comprobat alma Themis.
Scilicet eſt ratio divinæ particula auræ,
Ipſiuſque adeo pars quotacunque Dei,
Inque animos noſtros illi eſt ſuprema poteſtas,
Quid vero hos coget, vis niſi ſola Dei?
Hoc igitur ſolo ſi rem fundamine ponas,
Impius eſt violans jura ſacrata Dei,
Jura Dei, quæ ſi neque mens, neque comprobet uſus,
Nec firment noſtris jura ligata modis:
Non ideo ratione carent, nec commoda tollunt,
Nec culpâ violes quæ leviore notant.
Quo magis illa latent, magis hoc violare timeto,
Si ſapis; officiant ne violata magis.
Sancta latent noſtros myſteria pleraque ſenſus,
Sed Superis, homines quod latet, omne patet.
Hanc tamen ut ſat erat mandantis voce probari,
Nunc ratio laudant utilitaſque ſimul.
Non aliis certè multis ſua magna probari
Legibus utilitas tam manifecta poteſt,
Atque huic quam ſummus juris pater omnis & æqui
Mentibus in noſtris pectoribuſque notat.

Παιδογαμία

Hos vobis ſtimulos, pueri, innuptæque puellæ,
Credite pruritu talia ferre ſuo.
Care puer vidui qui ſentis tædia lecti,
Quæque premis duros ſola puella thoros.
Rumpe moras, tædaſque cave differre jugales,
Non majora aliæ dant tibi damna moræ.
Qui cupitis ſocii felicia gaudia tecti
Hoc vobis munus ſola juventa dabit.
Hoc ardet melius, quo quis maturius ardet,
Felices thalamos ſola juventa facit.
Grandior adveniens veniet damnoſior ætas,
Tam thalamis nil quam ſola ſenecta nocet.
Fœcundos, molles, ſecuros atque beatos
Cum puero frangit ſola puella thoros.
Junge ſenes: ſicco veniet querimonia lecto,
Nec venient ſterili gaudia vera domo.
Dum puer es, arde, juvenilibus utere donis,
Utere, dum currit non revocanda dies.
Nunc tibi cum primos ſtimulat natura calores,
Et Venus in tepidos intrat amica ſinus.
Nunc Tibi, dum quid ames, vel cur, vel quid ſit amare
Ignorans, cuperes diſcere cuncta ſimul.
Nunc, docilis puer, æqualem tibi quære Magiſtram,
Quæ te diſcipulum geſtiat eſſe ſuum.
Elige, quæ placeat, quæ par juvenilibus annis,
Atque puellari ſit ruditate tibi.
Nec ſenior, nec te quoque ſit prudentior illa,
Ne te docta magis quid ſit amare ſciat:

Sed

Καιρογαμία

Hanc legem vobis, pueri innuptæque puellæ,
  Credite conſtanter talia verba loqui.
Care puer, vidui qui ſentis tædia lecti,
  Quæque premis duros, ſola puella, thoros:
Necte moram thalamoſque cave accelerare paratos,
  Hic tibi dant parvæ commoda magna moræ.
Qui cupitis ſocii communia gaudia lecti,
  Hæc vobis ætas non niſi adulta dabit:
Hoc ardet melius quivis quo ſerius ardet,
  Sæpe thoros miſeros ſola juventa facit.
Grandior adveniens venit opportunior ætas
  Nec thalamis umquam ſola ſenecta nocet.
Fœcundos, molleſque thoros, ſemperque beatos
  Frangit robuſto nupta puella viro.
Si pueros jungas, fatuo faſtidia lecto,
  Nec deêrunt inopi tædia longa domo.
Qui ſapis ô juſtos Hymenæum differ in annos,
  Nec Veneri temere da puerile latus.
Nec tibi cum primos ſtimulat natura calores,
  Mox Venus in tepidos intret inepta ſinus.
Præripiatque nimis pretioſæ gaudia noctis,
  Ingenio nullus quæ ſine rite capit.
Ne male mox aptis repetas injurius annis,
  Quæ nunc ſimplicitas ſemiſopita tulit.
Elige maturus quæ jam maturior annis
  Et ſimilis juſtâ ſit tibi facta morâ.
Nec tibi ſit ſenior nec te prudentior uxor,
  Nec quoque te multo ſit tamen illa minor.

Tæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Παιδογαμία

Sed quamvis malè quid ſit amor pernoverit, ignes
Sentiat illa tuos, ſentiat illa ſuos.
Jamque ſalutari cupiat, jam dulcis amicæ,
Et titulo pulchræ gaudeat, atque tuæ.
Hactenus & ſpreti jam te ſtudioſior oris
Incipiat curam & frontis habere ſuæ.
Jamque oculis, nutuque, manuque & fronte loquentem
Te capiat, tecum diſcat & ipſa loqui.
Jamque tuo gremio reſidens, tua baſia libet,
Ora columbatim jungere docta tuis.
Cætera ſed quamvis nondum ſibi debita norit,
Gaudia, jam credi diſcere velle queat.
Hanc tibi, care puer, præcocem junge puellam,
Tali te puero junge puella proco.
Jam vobis Cytherea favens, jam pronuba Juno,
Jam quatiat tædis limina feſtus Hymen.
Hac ſola promiſſa thoris ætate voluptas
Expectanda venit. Non manet illa ſenes.
Suavis Amor puer eſt, pueris felicia figit
Spicula, vulneribus non metuenda ſuis.
Et pueris Cytherea favet, gratoſque tepores
Et titillantes in nova corda ſerit.
Inque rudes natura ſinus quem dividit ignem
Multum præ ſero ſuavior ille calet:
Nempe viget cum vere novo formoſior annus,
Mox autumna dies cui decus omne rapit.
Sic amor & primis delectat ſuavior annis,

Καιρογαμία

Tædia conjugii leviter quæ norit, & ignes
  Sentiat icta tuos, ſentiat ipſa ſuos.
Teque proco placeat ſibi ſecum, & dulcis amicæ
  Et titulo pulchræ gaudeat, atque tuæ.
Et placitura tibi formoſis nutet ocellis,
  Et curam formæ norit habere ſuæ.
Jamque oculis, nutuque, manuque, & fronte loquentem
  Te capiat, tecum norit & ipſa loqui.
Et gremio reſidere tuo, & tua baſia libans
  Ora columbatim jungat amata tuis.
Cætera ſed quamvis ſibi debita gaudia numquam
  Sumpſerit, at docta ſumere lege queat.
Hanc vir conjugio ſtabili tibi junge puellam,
  Tuque tibi ſimili nube puella viro.
Sic vobis Cytherea favens & pronuba Juno
  Advenienſque hilaris carmina cantet Hymen.
Et veſtris matura thoris, & plena voluptas
  Conſtet, quæ pueris nulla relicta manet.
Scilicet ipſa, licet patulâ modo prodita conchâ,
  Littore Phœacum ſedit adulta Venus.
Hic ſemper nuptis dea juſta favebit adultis,
  In pueros ſanctas non jacit illa faces.
Inque rudes natura ſinus quos dividit ignes,
  Hi nihil ardoris conjugialis habent.
Scilicet ut nec vere novo cadit arbore pomum,
  Nec fœcunda licet meſſibus albet humus.
Sic ſpem conjugii qui præcipitare laborant,

His

Παιδογαμία

Mox ætate minus quem ſequiore probes.
Utque etiam laudes nondum bene mitia poma,
Dum novitate magis quam bonitate juvant,
Pruna placent pleno nondum turgentia ſucco,
Grata rubore ſuo, grata ſapore ſuo,
Quæ matura nimis putri finduntur hiatu,
Sponte cadunt, & vix qui legat illa venit.
Haud aliter ſocias, dulciſſima gaudia, noctes
Majori pueris condiit arte Venus.
His ſecura quies, vigilis neque conſcia curæ
Otia tranquillo membra ſopore ligant.
Membra ligant, religantque iterum, & connexa reſolvunt,
Ceu jubet hoc cupidus mobilitatis amor.
Atque ſua ruditate placens, ſine legibus artis,
Gaudia natura præcipiente parans.
Dum Sponſi puero Paphia cum matre magiſtris
Componunt variis corpora juncta modis.
Et dulces ludos conceſſa per omnia ductos
Mutuo ſe, nunquam quos didicere, docent.
Denique digna viris operoſa negotia cedant,
At pueris facilis concilietur Amor.
Ut gravitas decet apta ſenes, moreſque ſeveri
Sic pueris luſus convenit atque jocus.
Compoſiti vultus, invita modeſtia, mores
Ignoti pueris ſunt, quibus horret amor.
Candida ſimplicitas, nec diſſimulata voluptas,
Et verus ſermo, ſunt quibus ardet amor.
Amplexuſque rudes, indoctaque baſia ſenſus

Καιρογαμία

His matura thori pignora fata negant.
Utque nimis ſtultè laudes immitia poma,
Quæ novitate parum, nil bonitate juvant,
Prunaque vix primo leviter turgentia ſucco
Nulla rubore placent, nulla ſapore placent.
Sed matura ſuos gignunt cum ſemine fructus,
Quæ nova poma ferant, quæ nova pruna ferant.
Non aliter ſocias, dulciſſima gaudia, noctes.
Maturis demum, ſervat adulta Venus.
His fœcunda ſuæ ſibi conſcia pectora flammæ
Non inconſulto membra ſopore ligant.
Membra ligant, religantque iterum, & connexa reſolvunt,
Ceu jubet hoc conſtans nec puerilis amor.
Nec ſine conſilio, doctæ ſine legibus artis,
Gaudia natura longa probante parant.
Dum ſponſi Paphiaque deâ & ratione magiſtra
Componunt variis corpora amica modis,
Et dulces ludos conceſſa per omnia ducunt,
Et luctam neuter immeditatus adit.
Non puerilis amor jocus eſt. Tria dentur ephebo
Baſia, ſed maneant cætera ſalva viris.
Ut jocus, & riſus pueris, ſic conſtet adultis
Serius & vere conjugialis amor.
Effera ruſticitas, nec diſſimulanda libido
Oſque loquens nugas, his perit omnis amor.
Sed probitas prudens nec ſollicitata voluptas,
Et ſermo conſtans, his calet auctus amor.
Et tempeſtivi amplexus, & baſia docta

Hoc

Παιδογαμία

Hoc magis afficiunt, quo minus artis habent.
Hæc quoque quæ dulces dant humida gaudia noctes,
Ingenio pereunt, ſed ſine lege placent.
Ingenio fidi facile extinguuntur amores,
Perfida quæque fuit, non rudis illa fuit.
Cura ſenes ſtudiumque eludit inane placendi,
In pueris tuta eſt cum ruditate fides.
Felices nimium, primo quos flore juventæ
Collocat innocuis Cypris amica thoris.
Mutua qui ſumunt, nulloque pudore negata
Baſia, vel præter baſia quidquid habent.
Nudaque confeſſos, ubi Cypria ventilat æſtus,
Nec minuit gratos improba lucta jocos.
Corpore ſed ſimul ac animo velamina tollit
Non ſimulata fides, non ſimulatus Amor.
Hæc vita, hoc hominum ſolamen & una voluptas
Hæc eſt, quæ maneat, ſi quæ relicta manet.
Nec toto quidquam mihi ſit jucundius orbe,
Quam duo qui verus pectora jungit amor.
Ergo jungat amor felicia pectora nexu
Præcoci, melius ſic quoque junget amor.
Nonne vides altâ vitem quæ ſpargitur ulmo,
Et ramos ramis implicat uſque ſuis.
Hæc quoque parva ſuas hac fixit in arbore frondes,
Diligeret junctam ſerius illa minus.
Sic annis pariter juvenilia pectora primis
Arctius unanimi fœdere jungat amor.

Una

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Καιρογαμία

Hoc magis afficiunt, quo minus arte carent.
Hæc quoque quæ dulces dant humida gaudia noctes
Nil ſine lege juvant, ingenioſa juvant.
Ingenium prudens gratos commendat amores,
Nec fuit hæc prudens perfida quæque fuit.
Cura faces ſtudiumque accendit ſæpe placendi,
Quas ſinit extingui cum ruditate fides.
Felices nimium, plenis queis viribus ætas
Ventilat ardentes cum ratione faces.
Oſcula qui modico carpunt ſuffuſa rubore,
Cætera dum timidè ſponſa pudica negat.
Mutua celatos augens ubi flamma calores,
Et ſtimulat gratos lucta proterva jocos.
Parcius & quamvis retegant velamina corpus,
At ſemper mentes nudet aperta fides:
Hæc vita, hoc homini ſolamen, & una voluptas,
Hæc eſt quæ maneat, ſi qua relicta manet.
Nec toto quidquam mihi ſit jucundius orbe,
quam qui fida duo pectora jungit amor.
Ergo jungat amor felicia pectora nexu
Non niſi maturo, ſic benè junget amor.
Nonne vides alta vitem quæ ſpargitur ulmo
Et ramos ramis ambit ubique ſuis.
Hæc etiam ſolida bene nititur arbore demum,
Quæ fragili frutice nixa jaceret humi:
Sic annis etiam juvenilia pectora primis
Non duraturo fœdere nectit amor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Παιδογαμία

Una animi teneri, ſociataque corpora creſcant,
Cumque annis ſurgant viribus aucta ſuis.
Formentur pariter mores, nutrimina ſument,
Seriaque & tractent ludicra cuncta pares.
Flexibiles animos ſimiles ſic uſque movebit
Impetus, apta viro ſemper & uxor erit.
Cumque ſuo curas deponet nupta marito,
Cumque viro triſti, ſeria & uxor erit.
Sic ſtudiis ſemper concordia ſumma manebit,
Conſuetiſque idem mentibus ardor erit.
Idem amor extento felices uniet ævo,
Sanctaque durabit, nec temerata fides.
Non odii genetrix has diffidentia mentes,
Nec quatiet vana ſuſpicione timor.
Nec fabricare dolos, nec diſſimulare perita
Quos ætas ſtudio junxit amica pari.
Cum nondum genus, & dos nondum poſſet amari,
Sed genio formæ, & mentis ineſſet amor.
Hinc animis uni vivent, & corpore toto,
Et queis præterea fors dedit eſſe, bonis.
Nec quoque deficient juvenili pignora lecto,
Cum quorum numero creſcat & auctus amor.
Sed neque reſtabit gelidâ quod morte peremptos
Separet, aut dignos reddat amore minus.
Ultima longævæ ſuperabunt funera flammæ,
Extinctis vivent fœdera ſancta rogis.
Fœdera quæ cœlum rurſus ſedeſque beatæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Καιρογαμία

Quos ætas medio ſociavit firmior ævo ;
Una animis ſeſe corporibuſque juvant.
Dum prius & mores firmare , & ſeria cura
Et tractare jocos addidicere pari.
Tædia fortunæque vices ſic ſæpę levari
Sentiet à læto mœſta marita viro.
Rectius & modulis ſedabit cauta dolorem
Atque animum reddet nupta ſubinde viro.
Sic ſemper ſtudiis eadem conſtantia rectis
Atque idem cautis mentibus ardor erit.
Idem amor extento felices uniet ævo.
Santaque durabit, nec temerata fides.
Non odii genetrix has diffidentia mentes
Nec dubia quatiet ſuſpicione Timor.
Conſcia quos morum prudentia mentibus uno
Corpora communi juſſit habere thoro.
Cum ſibi conſtantes animi pernoſcere poſ-
ſent,
An genius formæ, an mentis adeſſet amor.
Hinc adeo votis propriis, & ſponte ligati,
Uniti vivent corpore, mente, bonis.
Et robuſta thoro ſoboles naſcetur adulto,
Cumque illo vivax creſcet & auctus
amor.
Sic neque reſtabit gelida quod morte perem-
ptos
Separet, aut dignos reddat amore minus.
Ultima longævæ ſuperabunt funera flammæ ,
Extinctis vivent fœdera ſancta rogis.
Fœdera quæ cœlum rurſus, ſedeſque beatæ

Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Παιδογαμία

Conjungant nulla diſſoluenda die.
En tibi quæ ſpondet juvenili præmia lecto
Naturæ numquam diſſocianda Venus.
Horum nulla faces manet, aut pars parva ſeniles
Queis punit tardas ſontica pœna moras.
O infelices thalamos ubi frigida laſſo
Elumbique ſeni juncta recumbit anus!
Hic ſua pervigiles poſuere cubilia curæ,
Qui cupidos ludus ſopiat omnis abeſt.
Spes jacet effœto ſobolis deperdita lecto,
Et ſua ſæpe negat gaudia læſus amor.
Conjugiumne vocas, ubi reddi conjugis hæres
Quam mater malit fœmina, virque pater?
Sola ubi connubium fecit ſpes dotis, & uxor
Quæſivit titulos ambitioſa viri.
Turpis avaritia & veſana Superbia talis
Convictus, nec Amor conciliator erat.
Hinc quoque rixoſis regnat diſcordia tectis,
Et mœror triſtes excubat ante fores.
Dum revocanda iterum mox teſtamenta notantur,
Aut inſtrumentum mutua pacta ligat.
Objiciuntque meras ſibi, mutua munera, ſordes
Solaque ſpes unit mortis alitque duos.
Cætera diſſimiles, hoc uno ſemper eoſdem
Mutua vota ſibi quod nocitura vovent.
Quod ſi etiam alterutri vel ſit privignus utrique:
Materies illis ſurget & illa novæ.

Sic

Καιρογαμία

Conjungent nulla diſſoluenda die.
Ecce tibi cedant quæ præmia tempore juſto
Scandenti caſtos cum ratione thoros.
Talia nulla manent puериles munera tædas
Dum punit celeres ſeria pœna jocos.
O infelices thalamos, ubi nupta procacem
Appellat puerum ſtulta puella virum!
Hic ſibi conſtantes locat inconſtantia ſedes,
Exulat haud faciens cum levitate fides.
Nec ſoboles ſurget puerili vivida lecto,
Non tantos fructus fert puerilis amor.
Conjugiumne vocas, ubi conjux neſcit uterque
Quid veniat matris nomine, quidve patris?
Sola ubi conjugium fecit furioſa libido,
Seque annos vitium prodidit ante ſuos?
Caſus & imprudens ac fœda licentia talis
Convictus, nec Amor conciliator erat.
Expleta mox ergo libidine tædia ſurgunt,
Nec patitur longam nauſea certa fidem.
Dum promiſſa datis modo quæ temeraria dextris
Ignota ignotos junxerat ante fides.
Deſinit, inviſæque agitant divortia mentes,
Ceſſat & eſſe puer jam ſat adultus amor.
Dumque faces animi potius quam corporis ardent,
Diſſimileſque ſibi ſe nimis eſſe vident.
Et vir compoſitum par impar ſentit, & illud
Dimidium diſcors vellet abeſſe thoro,

Παιδογαμία

Sic inimica domus ſemper ſibi, ſemper & hoſtis
Vir vivet nuptæ, nuptaque ſæva viri.
Hoc ſi connubium potius quam lurida mors ſit,
Jam præ connubio mors mihi grata veni.
Attamen eſt etiam medicina parabilis illi
Non deſperato ſorte benigna malo.
Expectet juſtos ſexus prudentior annos,
Obſequioſa cubet juncta puella viro.
Si tamen illa velit: nec præcipiente recuſet
Natura effœtos pulchra juvenca thoros.
Cautaque non malit juſto ſervare ſequeſtro,
In tenero pueri membra tenella ſinu.
Sed tamen illa velit fac inconſulta puella
Ad ſenium prono ſe ſociare viro:
Scilicet ut viduo conjux ſit nomine lecto,
Atque viro fruſtra tundat inerme latus.
Cum modo quod didicit, ſubito dediſcere nolit,
Nec ſiccas noctes uda juventa ferat.
Delicias malens nunquam ſenſiſſe jugales,
Quam ſemel aſſuetis mox caruiſſe bonis.
Hinc nova nupta vigens jam caneſcente marito
Inſultat gelido fortior ipſa viro.
Frigidus & vegetæ ſua ſolvere jura maritæ
Cum nequeat, ſervis incipit eſſe minor.
Quique irritatam ſatiet quæretur adulter,
Infelice etiam fortior ille viro.
Nec deerit mœchus, juvenili in corpore fervor
Dum prohibet longas labe carere moras.
Dum ratione viget quam corpore ſerius ætas,
Im-

Κακογαμία

Uxor & ipſa virum faſtidit, nauſeat, odit,
Invitique tamen cogitur eſſe viri.
Hoc ſi connubium potius quam lurida mors ſit,
Jam præ connubio mors mihi grata veni.
Attamen huic etiam facilis medicina paretur
Non deſperato forte benigna malo.
Componat teneros ætas prudentior annos,
Atque ſibi ſimiles dent ſocer atque ſocrus.
Si tamen hi poſſint, nec corpora frigida laudent
Egelidos generos egelidaſque nurus.
Atque ſenilis amor nummi, præponere dotem
Non faciat formæ, moribus atque bonis.
Sed detur ætatem ſolita ſibi labe carere,
Et ſociare pares corpore, mente, bonis:
Numquam alias, multo minus heic invita placebunt,
Quod legere alii, quis velit eſſe ſuum?
Hic ſe commendat potius ſpontaneus error,
Quam male conſiliis vota coacta bonis.
Nulla interveniat thalamis aliena voluntas,
Hic decet arbitrio quemlibet eſſe ſuo.
Quiſque ſuis oculis formoſam quærat amicam
Et ſociet mores moribus ipſe ſuis.
Sic ſibi quiſque pares quæret prudenter amores
Et quo judicio fas erat ora leget.
Ora leget, moreſque animi geniumque notabit,
Perdita quo quamvis forma placere queat.
Quod recte ut fiat, maturis nubilis annis
Sponſa ſit, & Sponſus deſinat eſſe puer.
Sed ratione vigens quam corpore ſerius ætas

Παιδογαμία

Imperium flammæ non tenet illa ſuæ.
Sæpius hinc adeo primis committitur annis,
Quod facere infectum nulla ſenecta queat.
Quod ſi Naturæ & Veneris lex ſancta maneret,
Tantis una malis par medicina foret.
Una foret, nec jam pœnis nec morte domandis
Peccatis faceret criminibuſque modum.
Hac una poterant ſancita lege pudici
Nunc male communi labe vacare thori.
Hac poterant ſervari animæ cum corpore puræ,
Si morbo amborum ſit medicina prior.
Da puero uxorem, non jam veſana libido
In vitium præceps cerea corda trahet:
Languida nec lecti comes indubitata ſenilis
Debilitas, thalami triſtis Erynnis erit.
Queis nunc relligio, pudor, aut occaſio corpus
Vix tenet, hic animus ſic quoque purus erit.
Maturata Venus gliſcenti pabula flammæ
Dum præbet, vetitas non petet illa dapes.
Caſtaque prævertent fœdum connubia luxum
Et ſceleri ponent criminibuſque modum.
Quotidiana Venus nimios dum temperat æſtus
Corporis, hinc demum mens erit apta coli.
Denique ſtent Veneris, ſtent naturalia jura,
Quem lex condamnet Julia nullus erit.
Captabit proprii contentus gaudia lecti
Quilibet, inſidias non aliena ferent.
Et non ante aliis fracta aut exercita flammis
Sufficient uni corpora bina thoro.

Κατεργαμία

Imperium flammæ neſcit habere ſuæ
Sæpius hinc adeo primis committitur annis,
Quod facere infectum nulla ſenecta queat.
Scilicet hoc etiam puerilem incendere flammam
Quo diſſuaderi debeat, eſſe vides.
Nempe magis ſemper fuit irritata libido,
Non ſecus ac motas ventilat aura faces.
Nec niſi ſervata rationis lege pudici
Communi poterunt labe vacare thori.
Hac poterant ſervari animæ cum corpore puræ,
Si tetrum accendant toxica nulla malum.
Da puero uxorem, atque agitet ſe prima libido:
Mox nullam, aut aliam, vel volet ille duas.
Et jam certa comes puerilis nauſea lecti
Diſſidii genitrix conjugialis erit.
Plura cupis, ni mors vel Juppiter impedit illos,
Jam meretrix uxor, jam vir adulter erit.
Quod ſi relligio, pudor aut occaſio corpus
Contineant, animus qui male peccet erit.
At modo gliſcentes ratio ſi ſopiat ignes,
In quantum cupias ille ſepultus erit.
Ergo leves Veneris meditatio ſeria luſus
Prævertat, ſcelerum ſic erit ille modus.
Imprimis ſi lecta pias ſacra pagina mentes
Inſtruat, haud ſinet his œſtra nocere Deus.
Tandem, jura Dei, rationis & integer uſus
Serventur, jam lex Julia nomen erit.
Et tempeſtivis demum flagrantia flammis
Sufficient uni corpora bina thoro.

Παιδογαμία

Atque agitati una ſument augmenta colores,
Et deferveſcent, jam ſatis aucta ſimul.
Inde maritalis toto diſcordia mundo
Exulet, & caſtis fœda querela thoris.
Dulcia jucundis ſurgent connubia ſeclis
Et vivet certus poſteritatis amor.
Qui ſapitis, tantis moti rationibus omnes,
Naturæ & Paphiæ juſſa probate Deæ.
JUNGE PUER THALAMO TENERAM
TIBI JUNGE PUELLAM
JUNGE TUO PUERUM JUNGE PUEL-
LA THORO.
Et ne decipiat ratio vel calculus ullum,
Quo multum à vulgo diſcrepat alma Venus.
Qui prima teneras tingunt lanugine malas,
Hi tibi perfecti ſint in amore viri.
Et Veneris primos animo quæ concipit ignes,
Nubilis & valido digna puella viro eſt.
Nec pueris quartum nec fas tetigiſſe puellis
Sit luſtrum, Veneri quin ſua ſacra ferant.
Hic tria luſtra Virum faciunt: eſt inde Senectus;
In decimo mortem collocat alma Venus.

Καιρογαμία.

Atque agitati una ſument augmenta calores
  Et defervеſcent, jam ſatis aucta ſimul.
Inde maritalis toto diſcordia mundo
  Exulet, & caſtis fœda querela thoris.
Sanctaque fœcundis ſurgent connubia ſeclis,
  Et vivax ſeſe continuabit amor.
Qui ſapitis, tantis moti rationibus omnes,
  Scandite maturos cum ratione thoros.
NON NISI MATURAM JUVENIS TIBI JUNGE PUELLAM,
  NON NISI MATURO NUBE PUELLA VIRO.
Et ne decipiat tamen hic quoque calculus ullum,
  Quo ratio à vulgo diſcrepat atque Deus.
Quæ regere imperio famulas, præceptaque natæ
  Quæ dare ſana queat, digna puella viro eſt.
Sed præter famulas, natis ſimul atque maritæ
  Imperitare aptè qui queat, ille vir eſt.
Ille vir eſt, dignuſque domo, quam maximus ordo
  Servorum & dives prole marita beet.
Qui nequit hoc, recta ſi res ratione putetur,
  Ut puer in reliquis, ſic in amore manet.

ANACREONTICI DE AMORE, AD

AMARYLLIDEM.

I. *Omnia amare.*

O Alma vis Amoris,
O Sancta vis Amoris,
Beata vis Amoris;
Ut undecunque regnas!
Miranda vis Amoris,
Arcana vis Amoris,
Veneranda vis Amoris,
Ut undecunque regnas!
Tibi nempe ſervit omne,
Tibi ſervit, atque paret,
Quidquid coruſca Phœbi
Spectabiliſque lampas,
Seu promat efferatque,
Seu condat auſſeratque
Radios, in orbe cernit.
Tibi ſervit illud omne,
Tibi, vis ſacrata, ſervit,
Tibi paret, ignibuſque
Hyperionis, tuiſque
Æqualiter caleſcit.
Hic ille fauſtus ignis,
Hic ille gratus ignis,
Veneris ſacratus ignis,
Penetrabileſque parvi
Cupidinis ſagittæ

Per orbis univerſi,
Per lata ſepta mundi
Volitant, & omne quidquid
Tenet orbis univerſus,
Et lata ſepta mundi
Quidquid tenent, aluntque
Sibi ſubjugant domantque.
Hinc ergo cuncta fervent,
Amoris igne fervent,
Et æſtuant, & ardent,
Quæ nutrit, educatque
Genetrix benigna Tellus,
Quæ fluctibus ſaginant
Nereus & uda Doris,
Et quidquid aura late
Expanſa comprehendit,
Amoris igne fervet.
Sic bos amat juvencam,
Mugitibuſque quærit.
Equæ ferox caballus
Hinnitibus citatur:
Olentis & mariti
Uxorculæ tenellæ
Laſciviunt capellæ.
En plenus igne cervus
Ut cogit ipſe cervas.
Et en ferociores:
Petit leo leænam,
Et ambit urſus urſam.
Pardique verſipelles
Et Tigrides feroces,
Lupique Martiales

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Amoris igne fervent.
Sic & levis volantum
Chorus ardet, æſtuatque.
Cur ora blanda jungunt
Cithereides columbæ?
Philomela læta cantu
Cur perſonat vireta?
Cur paſſeres trementes
Sociant ſubinde caudas?
Fervent amoris igne,
Amoris igne fervent.
Quin & chorus natantum
Gelidiſſimis caleſcit
In Doridos fluentis.
Quis enim tuos amores,
Delphine pande, neſcit?
Turpes amare phocas,
Magnos amare cetos,
Et cochleas latentes,
Et oſtreas hiantes,
Quis non amare novit?
Nec his minus minorum
Ubique beſtiarum
Quod repit, atque ſerpit,
Vix ſenſibus notandum
Sat ſenſibus notando
Amoris igne fervet.
Nec illa quæ vacare
Anima, vacare ſenſu
Et mente quæ putamus,
Vacant amoris igne.
Vides ut ambit, arctis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Amplexibuſque ſtringit
Marita vitis ulmum?
Et flexiles amicis
Hederæ virent corymbis
Et conjugantur alnis.
Teneras & inter herbas
Mas fœminam, maremque
Fœmella ſæpe quærit,
Moriturque non reperto,
Aut parcius vireſcit.
Quin ipſa dura ſaxa,
Scopulis reciſa ſaxa,
Ubi circulus Triones
Septem rigente gyro
Coërcet, & maligna
Ubi, Phœbe, luce terras
Perſtringis, incubatque
Nox rupibus remotis:
Illinc reciſa ſaxa,
Gelido polo reciſa,
Hunc ſentiunt calorem,
Et maximè ſtupendo
Trahunt amore ferrum.
Amoris ergo cuncta
Quæ cernimus creata
Uruntur, ac viciſſim
Urunt amoris igne:
Recreantur, ac viciſſim
Recreant amoris igne.
Aluntur, ac viciſſim
Alunt amoris igne.
Generantur, ac viciſſim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Generant amoris igne.
Et orbis univerſus
Amoris igne ſolo
Productus, hocce ſolo
Conſiſtit, atque ſolo
Amoris igne durat.
Nec vero ſolus illis
Habitatus iſte nobis,
Mortalibuſque noſtris
Oculis videndus orbis
Amoribus caleſcit:
Stellata tecta cœli
Superumque celſa regna,
Quæ mentibus videmus
Puriſſimis, eodem
Fervent amoris igne,
Amoris igne fervent.
Et, ſi fides Poëtis
Modo, Vatibuſque ſummis,
Omnes Deæ deique
Omnes Dii deæque
Queis vertices Olympi,
Et vortices aquarum
Et regna cœca Ditis
Parent, amoris igne
Flammantur, & viciſſim
Amoris igne flammant.
Et æqua figit æquè
Cupidinis ſagitta
Te, ſumme Rex Olympi,
Teque, ude Rex aquarum,
Teque inferos regentem,

Et agmen inferorum,
Vel fontium ſacrorum
Nemorumque montiumque
Aut incolas Olympi
Deos deas minores.
Quin vulnerat parentem
Pulcherrimam Dionem
Laſciva puſionis
Audaculi ſagitta.
  Qui parcat ergo nobis
Quæ vulnerat ſagitta
Deos Deaſque Cœli,
Deos Deaſque Terræ,
Deos Deaſque aquarum
Deos Deaſque Ditis?
Non parcet ergo nobis,
Non parcet hæc ſagitta,
Nec parcet hanc ſagittam
Comitans amoris ignis.
Sic nempe fata volvunt
Sic ordinant coæva
Decreta ſancta Mundo,
Ut lata ſepta Mundi,
Ut univerſa tellus,
Et alta tecta cœli,
Et ima regna ditis
Caleant amoris igne
Vigeant amoris igne
Amoris igne durent
Amoris igne creſcant.
  O alma vis amoris,
Divina vis amoris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Quæ nos, & orbis hicce
Quæ continet, gubernas:
Superoſque quæ Deorum
Et Inferos gubernas.
Columen labantis orbis,
Quem prole, fructibuſque
Renovans ſubinde, certam
Æternitatis, atque
Interritam ruinæ
Inſtantis una reddis.
O alma vis amoris,
O ſancta vis amoris
Beata vis amoris.

II. Se amare Amaryllidem.

O Alma vis amoris,
O Sancta vis amoris,
Beata vis amoris:
Semper beanda Salve.
Et Tu beata mundi
Amantis Imperatrix
Amabilis Dione,
Regina digna ſalve.
Et Tu potens Cupido,
Quamvis puer Cupido
Princeps Cupido ſalve,
Potentiorque mundo,
Potentiorque cœlo,
Potentiorque dite,
Potentiorque ſorte,
Potentiorque fato,

Et, pace matris addam,
Diis, deaque matre
Potentior Cupido,
Princeps Cupido ſalve.
Tibi fruſtra pugnat æther,
Et ſubjugatus orbis,
Tibi fruſtra pugnat æquor,
Domuſque cæca Ditis:
Tuiſque nunc ſagittis,
Ardentibuſque flammis
A matre ſuſcitatis,
Et ipſe fruſtra pugnans
Ægerrime reſiſto.
Quid vero fruſtra pugnans
Diutius reſiſtam?
Non amplius ſagittis
Tuis, potens Cupido,
Nec ignibus ſacratis
Tuis, potens Dione,
Diutius reſiſtam.
Tibi cedo me, Dione,
Tibi cedo me, Cupido.
En pectus, en, apertum
Findentibus ſagittis,
Sinus & en apertos
Facibus, ſacriſque flammis
Tibi porrigo, Dione,
Tibi porrigo, Cupido.
Nil pugno, nil reluctor.
Huc inferatur ignis,
Huc involant ſagittæ.
Sed involant ſagittæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Et ignis oſſa lambit.
Jam cordis ima tentant
Penetrabiles ſagittæ,
Penetrabiles calores:
Amathuſiæ ſagittæ,
Amathuſii calores
Amaryllinæ ſagittæ,
Amaryllini calores:
Jam Te ſequor, Dione,
Jam Te ſequor, Cupido.
Jam regna veſtra lætus
Veneror, libenſque caſtra
Et ſigna veſtra ſector:
Modo delicata præda:
Compenſet una noſtros
Amaryllis hos labores.
  Amarylli, cui Venuſtas,
Venuſque cui pudica
Venuſtiorque ſeſe
Proſpectat ex ocellis,
Cryſtallinis ocellis,
Adamantinis ocellis,
Amaryllinis ocellis,
Digniſſimis feneſtris
Quibus excubent amores,
Quibus explicent ſagittas,
Penetrabiles ſagittas:
Altaribuſque dignis,
Quibus excitent calores
Amathuſios calores,
Quales ego calores,
Quales ego ſagittas

Nunc

Nunc ſentio medullis,
Imoque corde geſto.
O lucidos ocellos,
O igneos ocellos,
Belliſſimos ocellos,
Suaviſſimos ocellos,
Nitidiſſimos ocellos
Clariſſimos ocellos,
Amabiles ocellos,
Affabiles ocellos,
Volubiles ocellos,
Penetrabiles ocellos,
Laudabiles ocellos,
Venerabiles ocellos,
Laſcivulos ocellos,
Dicaculos ocellos,
Beatulos ocellos:
Quos his meis ocellis
Ego diligo, coloque
Magis æſtimoque multo.
Tam fulgidos ocellos,
Tam blandulos ocellos,
Et pœtulos ocellos,
Et garrulos ocellos,
Amathuſios ocellos,
Amaryllinos ocellos,
Ocelluloſque bellos,
Qui non amore ſummo,
Qui non amore vero
Qui non amore caſto,
Qui non amore fido,
Digniſſimos putârit;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Indignus eſt ocellos
Pulcherrimos videre,
Nec dignus eſt puellas
Oculis ſuis videre.
Non dignus ille certè
Amarylli, Te videre.
O grata lux, ocelli
Amaryllidos tenelli:
Oculis meis diei
Vel luce clariores.
Queir Cynthii calores,
Et Cynthiæ nitores,
Et ſiderum vigores
Queis claritate cedunt,
Ardoribuſque cedunt,
Virtutibuſque cedunt:
Qua voce vos vocabo,
Qua laude perſonabo,
Verſuve prædicabo?
Sed nec vocabo voce,
Nec perſonabo laude,
Nec prædicabo verſu,
Digniſſimos ocellos,
At noxios ocellos,
Mihi noxios ocellos:
Qui pectus omne ſævis
Incendiis perurunt
Mihi, quique lucis uſum
Oculis meis ſubinde
Furantur, abnegantque.
Sed quo tuos ocellos
Volubiles ocellos

Ama-

Amarylli pulchra, vertis?
An ut meis ocellis
Lucem diemque raptam
Tandem benignà reddas?
Quo te videre totam
Felix, & intueri,
Formoſa quæque plura
Modo fulgidis ocellis
Radiiſque luminoſis
Et igneis tegebas,
Conſiderare poſſim?
Ah cerno, cerno, cerno,
Amarylli pulchra cerno.
Pulcherrimis deabus
Amoribuſque divum,
Condigna cuncta cerno.
Jam cerno non ocellis
Minus igneos capillos.
Ah aureos capillos,
Animæ, meique cordis
Laqueos nimis doloſos.
Cerno polita frontis
Eburneæ, genaſque
Cum liliis roſeta:
Nivemque purpuramque
Cum dentibus labella
Bene copulare cerno.
Tereſque cerno collum,
Humeroſque, delicatis
Et mollibus lacertis,
Et brachiis decoris,
Manibuſque ſucciplenis,

Soro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Sororiantibuſque
Rubicundulis papillis
Non arte & arte junctos.
Quid jam ſinus beatos
Latuſculis tenellis,
Obeſuloque ventri
Gremioque delicato
Socios canam fideles.
Et quæ beata plura
Tegit invidenda veſtis:
Utinam remota veſtis!
Quæ nec genu modeſtùm,
Quæ vix videre crura,
Cum cruribuſque ſuras
Digniſſimas Diana
Patitur, leveſque plantas.
Ut illa ſunt venuſta
Et delicata cuncta!
Ut digna ſunt deabus
Amarylli, teque ſolâ.
Ut digna ſunt amore,
Amore nempe Divum,
Soloque digna noſtro,
Quo nec flagrantiore,
Quo nec fideliore,
Quo nec ſuaviore,
Conſtantiore quo non,
Divaque digniore
Deus calere poſſit.
Hoc ipſe nunc amore
Amaryllino caleſcam,
Amarylli, Te caleſcam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

III. Amaryllidem ad amorem invitat.

AMarylli pulchra, ſalve,
O delicata, ſalve:
O virgo bella, ſalve,
O virgo cara, ſalve,
Virgo beata, ſalve.
Quæ fulgidis ocellis,
Quæ roſcidis labellis,
Et aureis capillis,
Et turgidis papillis,
Eburneaque fronte,
Rubentibuſque malis,
Et dentibus nivoſis,
Teretique pulchra collo,
Humeriſque delicatis
Et candidis lacertis,
Et brachiis decoris,
Digitiſque mollicellis,
Et mammullis rotundis;
Sinuque quæ beato,
Latuſculiſque firmis,
Rotunduloque ventre,
Gremioque delicato;
Quæ mobilique crure,
Suriſque ſucculentis,
Pedibuſque quæ minutis,
Subtilibuſque plantis
Amare cogis omnes,
Queis ſenſus eſt amoris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Mihique qui canebam
Amoris uſque ſenſu,
Nunc injicis, proterva,
Feros amoris ignes.
An hos amoris ignes,
Amarylli, tam doloſos
Meo ciere corde
Tibi fas piumque credis,
Quin ipſa Tu viciſſim
Iis ſimul caleſcas?
Non ſic velint Amores,
Non ſic velit Dione,
Amabilis Dione,
Amabiles Amores.
Amabiles puellas
Pueris, amabileſque
Pueros volunt puellis
Amore copulari;
Æquabileſque nobis,
Æquabileſque vobis
Et dividunt calores,
Et dividunt ſagittas.
Quid hos juvat calores,
Quid has juvat ſagittas
Medullulis in imis
Et imulis medullis
Fovere conſepultas?
Non me piget calores,
Amaryllinos calores,
Notos tibi calores,
Natos tibi calores,
Amarylli, confiteri.

Nec

Nec Te tuos calores
Caſtiſſimos calores,
Notos mihi calores,
Natos mihi calores,
Pigeat tuos in aurem
Amarylli, confiteri.
Noli, puella, noli,
Celare quæſo noli
Tuas puella flammas.
Quid enim, puella, flammas
Celare, quid juvabit,
Quas vultus, ac ocelli
Amoris igne pleni
Amabiles ocelli,
Tacentibus labellis
Fatentur ac loquuntur.
Noli negare, noli
Tuas, puella, flammas,
Facie tua loquentes
Vel te tacente flammas.
Nec amabilis Dione,
Nec amabiles Amores
Vacuas ſinunt amore
Amabiles puellas,
Similes Tibi puellas.
Eſt lex Amoris illa,
Veneris ſacrata lex eſt.
Ament amata cuncta,
Vel deſinant amari,
Et occidant neceſſe eſt.
Hoc imperat Dione,
Hoc imperat Cupido,

Hoc imperant Amores,
Jubentque, præmiiſque
Beant obedientes:
Redduntque pulchriores,
Redduntque cariores,
Redduntque fortiores,
Redduntque lætiores,
Reddunt alacriores,
Reddunt beatiores
Chariſſimos amantes.
At non obedientes
Pœnis ſuis fatigant,
Redduntque triſtiores,
Reddunt ineptiores,
Et imbecilliores,
Et inficetiores,
Et invenuſtiores,
Miſerabileſque reddunt
Miſerrimos amantes.
Sic imperat Dione,
Sic imperat Cupido,
Sic imperant Amores.
Hi Te, puella ſimplex,
Nunc præmonent amoris
Læſi repente pœnas
Vitare, præmiiſque
Impoſterum merendis,
Et incitant calore
Quem contegens medullis
Ægre, puella, celas:
Et incitant amatis
Quibus es beata donis
Amo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Amoribus dicatis,
Amoribuſque ſolis,
Amantibuſque natis.
His ſcilicet Cupido,
His ſcilicet Dione
Omniſque grex Amorum
Ama, puella ſimplex,
Ama, puella, tandem
Ama, puella, dicunt.
Per hos tibi capillos
Hos criſpulos capillos,
Et aureos capillos,
Cum languidis ocellis,
Et roſcidis labellis,
Ac turgidis papillis
Ama, puella, tandem
Ama, puella, dicunt.
Per meque, qui capillos
Ah aureos capillos,
Et languidos ocellos,
Cum roſcidis labellis,
Et turgidis papillis,
Amarylli chara, ſupplex
demiror, ac honoro
Venerorque ſuaviorque:
Per me Tibi Cupido,
Per me, Tibi Dione
Omniſque grex Amorum
Ama, puella, tandem
Ama, puella, dicunt.
Quin ergo nos, amata
Amarylli, nunc amore

Æquabili viciſſim
Amemus, ac amemur,
Æqualibuſque flammis,
Fidelibuſque, flammis,
Perennibuſque flammis
Amarylli, nos viciſſim
Amemus, ac amemur:
Ut imperat Cupido,
Ut imperat Dione,
Ut imperant Amores.
Jam nos amemus ergo
Amarylli, mutuiſque
Amoris illecebris
Nos invicem beemus.
Sic oſculis amemus,
Et oſculis amemur:
Ac mutuo ſaporis,
Ac mutuo beatis,
Ac mutuo petitis,
Spontaneiſque ſæpe
Numero modoque nullo,
Nullaque lege mixtis
Multis, calentibuſque,
Longiſque, dulcibuſque,
Humentibuſque ſuavi
Amathuſio liquore,
Penituſque delicatis,
Ac proſus invidendis
Nos oſculis amemus
Et invicem beemus.
Nunc ergo da labellum
Amarylli, da labellum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Da roſcidum labellum,
Da melleum labellum,
Calidumque da labellum,
Roſeumque da labellum,
Lepidumque da labellum,
Cupidumque da labellum,
Labellulum tenellum,
Labellulumque bellum
Amarylli, da labellum
Amarylli, da labellum.
  Nam quid Tibi dediſſe
Labellulum nocebit?
Et oſculum dediſſe
Amarylli, quid nocebit?
Nil crede, nil nocebit,
Nihil oſculum nocebit.
Non illud inquinabit
Amarylli, purpuramve
Tenerrimis labellis
Minuet, nivemque malis
Adimet, decuſve fronti.
  Quin crede, chara, crede,
Potius mihi dediſſe
Te baſium juvabit.
Hoc nempe delicatis
Tibi purpuram labellis
Augebit, atque formæ
Addet decus beatæ.
Annon vides puellas
Quæ baſiis amantum
Sæpiſſimis caleſcunt
Longiſſimis caleſcunt,

Præ cœteris videri
Præ cœteris probari,
Præ cœteris & eſſe
Lectiſſimas puellas,
Lepidiſſimas puellas
Belliſſimas puellas.
Hoc baſiis Cupido,
Hoc baſiis Dione
Omniſque grex Amorum
Virtutis, abditæque
Penitus vigoris addunt.
Quin ergo nos ſubinde
Amarylli, baſiemus:
Amarylli, baſiemus
Nos, atque baſiemur
Nunc ergo, nunc amanti
Mihi baſium petitum
Amarylli, daque longum
Et longius reſume.
Da baſiumque molle,
Et mollius reſume.
Da baſiumque doctum,
Et doctius reſume.
Da baſium ſubinde,
Et ſæpius reſume.
Da mille baſiorum
Millena, millieſque
Et millies trecenta,
Totidemque jam reſume,
Amarylli, jamque redde,
Iterumque mox reſume,
Cumuloſque baſiorum,

Turmaſque baſiorum,
Modioſque baſiorum,
Segetemque baſiorum,
Meſſemque baſiorum.
Tot ergo nos viciſſim
Sumamus, ac viciſſim
Demus, atque miſceamus
Nunc baſiationes,
Quot albulus columbus
Adoneus columbus
Dat albulæ columbæ
Adoneæ columbæ.
Sic baſiis amemus
Amarylli, mutuiſque
Sic baſiis amemur.
Sic baſiis labella
Linguaſque luſitantes
Penetralibuſque cordis
Ex intimis vocatum
Sic ſpiritum beatum
Animanque miſceamus,
Quæ corporis per omnes
Subito refuſa partes
Tot baſiationum
Det habere quamq; ſenſum.
Sic haſce pectus imum
Saliens utrique noſtrum
Per baſiationes
Se ſentiat moveri:
Veniſque ſanguis errans
Et abditas medullas
Enutriens & oſſa,

Per baſiationes
Se ſentiat moveri.
Quin ipſa corda pulſu
Se noſtra mutuante
Hinc ſentiant moveri,
Et ſentiant amari,
Simulque baſiari.
Cum roſcidis labellis,
Et aureis capillis,
Et fulgidis ocellis
Et lacteis papillis
Motu reciprocante
Se ſentiant amari
Simulque baſiari.
Sic oſculis amemus
Amarylli, nos viciſſim
Amemus, ac amemur.
Labellulis amemus
Labellulis amemur.
Linguaque luſitante,
Et fronte blandiente,
Facetiiſque gratis,
Leporibuſque doctis,
Et murmure loquaci
Riſuque nos procaci
Ac garrulo ſuſurro
Nutuque non tacente,
Morſuque non dolente,
Amarylli, nos amemus.
Amplexibuſque ſtrictis,
Et brachiis amatis,
Et corculis beatis,

Gre-

Gremio, ſinuque junctis,
Et cruſculis plicatis,
Pedumque mox revincti
Laſciviente luſu
Nos nexiles amemus.
Amarylli, ſic amemus,
Amemus, ac amemur,
Donec beatitudo
Amoris illa noſtri,
Felicitaſque ſumma
Tot baſiationum
Amarylli, mutuarum
Satietque nos, & ipſis
Deabus invidendam
Amarylli, Te, deiſque
Me reddat invidendum:
Cogatque cum ſagittis
Jam mitigare flammas
Et invidum Puellum,
Et invidam Dionem,
Et invidos Amores.

Concluſio Carminum Jocoſorum.

Et ſatis in longos laxavimus otia luſus,
Jam nugata ſatis, Muſa Jocoſa, Vale.
Muſa, vale: nec me poſthac tibi crede paratum
Seria ſeu redeas, ſive Jocoſa, Vale.
Hanc tibi, quam cernis, figunt mea carmina metam,
Sit poſitus noſtris terminus ille modis.
Vitæ ſumma brevis nugas vetat edere longas,
Seria ne pereant tempora, parco Jocis.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Epiſtola Poëtica & Jocoſa

A D

CHRISTIANUM MARTINUM DORN,

J.U.D. Amicum mihi fraternè dilectum.

DORNI, doctarum decus immortale Sororum,
Dorni, Pierii gloria magna chori.
Dorni, ſollicitæ mihi pars dulciſſima vitæ,
Dorni, lætitiæ maxima cauſſa meæ.
Quam potes, ac cupis, ac docta virtute mereris,
Promiſſaque mihi tempus in omne fide,
Accipe nunc iterum Tibi me ſcribente ſalutem,
Quæque potes ſine me gaudia firma cape:
Quæ ſperare mihi ſine Te ſi longa liceret,
Jam paterer nugas longius ire meas,
Interea quæ pauca Tibi ridenda propino
Accipe, ſique cupis ſumere plura, redi.

Verum quid ego nunc intempeſtivum θέλω θέλω μανῆναι; (*cupio cupio furere?* (a) Quaſi vero ignorem, neque meo periculo didicerim, quam impatienter hujus ſeculi ſapientia Poëticos furores ferat. Sed ignoſcere ad minimum Tu quidem ſanè debes hanc ejuratam mihi aliàs mentis alienationem, cujus neceſſitatem litterarum Tua-

(a) *Anacreon ad ſe ipſum.*

Tuarum mirifica novitas non opinanti ac prorſus invito nunc reducit: Enimvero jam ultra octiduum, Tibi tanti hic æſtimatum tempus, quod amiciſſimi fratris precibus denegares, apud Veneres γλωσσοδιδασκάλους (*linguæ magiſtras,*) illic transactum intelligens, neſcio quid mihi facundiæ Gallicæ à Te promittebam: cum ecce Tuæ diverſa plane dialecto me conſalutant. Loquentiâ ſanè, (eloquentia debebam dicere) uti conſuetudine Tua, ita expectatione mea longè majore, ne quid laudi nunc Tuæ detraxiſſe videar: ita ut jam & Amadiſii, & Equitis Solaris, & ſi quis ſimilis alius liber *Heroum mira virtutes indicat arte* (†) ejus non contemnendam tibi partem devoratam, imo concoctam haud obſcuris indiciis animadverterem, adeoque ad ſingulas ferè periodos exclamarem, *ô mentis aureæ dictum bracteatum!* (c) Verum quid animi quæſo fuiſſe mihi cenſes, Anime mi, ubi plane deguſtavi ſingulas muſteæ orationis tuæ delicias, nihil habentes,

niſi mulſa, niſi laterculos,
Seſamum, papaveremque, triticum, ac frictas
nuces. (d)

Equidem, ut verum fatear,

Non ſecus in jugis
Excomnis ſtupet Evias
Hebrum proſpiciens, & nive candidam
Thracen. (e)

(b) *Catull. carm.* 65. (c) *Auſon grat. act. ad Gratian. c.* 6. (d) *Plaut. Pænul. A.* 1. *Sc.* 2. *verſ.* 112. (e) *Horat. l.* 3. *Od.* 25.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

atque ego, qui ſane illa quæ ambitu magnificæ orationis tuæ complexus es

Variâ confuſus imagine rerum, (f)
Jamdudum aſſiſto, & cupiens tibi dicere ſervus
Pauca reformido. (g)

Noſti quam contrarius ac inimicus animi mei genio ſit hic affectus, & quam plane non deperiam ineptum hoc ac prorſus illiberale modeſtiæ genus: quo parcius, tam repente hoc mihi excuſſum mireris. Id quod ſerius tamen etiam fortaſſis feciſſem, ſi ſuaviſſimæ confabulationis tuæ ſpem ulteriorem atque voluptatem in diem differre, vel præcidere mihi damnoſo æquè ac ignobili ſilentio ſuſtinuiſſem. At nunc id quod res eſt cogitans, quovis impendio vel minimam tam pretioſæ mercis jacturam mihi redimendam duxi. Itaque cum ipſe meo me modulo metiens, in novo hoc neque tuo neque meo dicendi genere, me Tibi

Nec cantare parem nec reſpondere paratum

animadverterem: & ejectas tamen Muſæo meo nuperrimè infructuoſas nimium Muſas, inutili ac pœnitenda fortaſſis olim mihi pœnitentia revocare nondum animam inducere poſſem: id quod ſolum reſtabat, introducto jam olim in Parnaſſum ad neſcio cujus veteris reipublicæ exemplum inſtituto, pelli bubulæ inſidens prætereuntium opem tamquam adverſus hoſtem flagitare cœpi. Nec mora: confeſtim ad primam inclamantis vocem, noti mihi, atque juncti

(f) *Virgil. Æn.* 11. (g) *Hor.* 2. *Sat.* 7.

cti antiqua olim familiaritate Poëtæ, Rhetores, Sophiſtæ, & id genus alii ventorum apud popellum venditores certatim non ſine ſtrepitu advolarunt,

ὄρνιθες ὥς
(h) Ἠΰτε τερ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρό,
Αἵτ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον, καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον,
Κλαγγῇ ταίγε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων,
Ἀνδράσι πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι,
Ἠέριαι δ' ἄρα ταίγε κακὴν ἔριδα προφέρονται.

avium inſtar
(Quemadmodumve ſtrepitus gruum eſt in aëre:
Quæ ubi hyemem effugerunt, & denſam umbram
Cum clangore aliæ volant circa Oceani fluenta
Viris Pygmæis cædem & mortem allaturæ,
Vernæ vero aliæ contentionem malam ferunt.)

Qui omnes operam ſuam adverſus te certatim mihi promiſere, quam ego à ſingulis bona, uti videbatur, fide oblatam, ab univerſis optimâ ſanè acceptavi. Proinde tantis nunc auxiliis fretus, verbis alienis, meis, ſolutis, ligatis, latinis, Græcis, iiſque omnibus quantum licuerit atque libuerit variatis, ac permutatis tibi reſponſurus, *Pro re pacua loquar.* (i)

Antequam autem dicendi initium faciam, non poſſum, quin pro veteri inter nos amicitia confidentius in aurem te commonefaciam: ne impoſterum dum Rhetoricam Poëticæ non inurbano artificio copulas, interim à Grammaticâ divortium plane facias. Nam hac quidem

(h) *Hom. Iliad.* 3. (i) *Virg. Æn.* 4.

vice parum abfuit, quin Priſcianus clamoſa indignatione, omnem in te Parnaſſum Grammaticum concitaverit. Adeo indigne legem ſuam de Interrogativis & redditivis, genere, numero, & caſu ſibi invicem reſpondentibus, nuperrimis tuis violatam ferebat: Et vero,

quod dicendum hei ſiet
Tu quoque audacter nimium hoc non laudo.

Nam quid malum! Ego Gallico ac pedeſtri, imo reptili penè ſermone te ſalutaveram: tu quo infantiæ balbutientis amiculi protervius inſultares, Senecam Sophocleis cothurnis impoſitum remittis. Cave tamen vitream mihi adeo vel potius Grammaticam bilem eſſe exiſtimes, qui tam feſtivis tuis illuſionibus ſuccenſeam. Quin ipſe apud rixoſum ſenem cauſſam tuam protinus oravi, atque adeo exoravi. Sed quibus id fieri amat conditionibus: nimirum:

Nunc omitte quæſo hunc: cæterum
Poſthac ſi quidquam, nihil precor. (k)

Itaque hac quidem vice meo præſidio licuit tibi ἐκπερδικίσαι. (*perdicum more è caſſibus effugere*) Interim ego prima hac velitatione magnam copiarum mearum partem facile, quemadmodum collegeram, ita rurſus amiſi. Neque propterea minus alacri animo fractarum reliquiarum cornua tibi oppono: utpote majorem etiam ex impari congreſſu commendationem expectans. Siquidem non niſi extremi

(k) *Ter. Phorm. A.* 1. *Sc.* 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

mi amoris eſt, ad ea quæ pro dignitate exequi non poſſe Te prævideas incitanti nihilominus obſequi. Sed jam ſatis vel nimis etiam ambitioſo exordio expectationem tibi grandis ac tuæ ſimilis epiſtolæ injeci. Ne tamen deceptum te conquæraris, prædico hoc jam nunc tibi.

Parturiunt montes naſcetur ridiculus mus,

Et erit plane hic quod in veteri proverbio μεῖζον τοὐπίγραμμα τοῦ σάκκου. (*major inſcriptio ſacco*) (1) Interim ad argumentum epiſtolæ tuæ venio, ſingulis ejus partibus fruſtillatim aliquid promti viſum fuerit repoſiturus. Et principio quidem de dolore quem ex abſentia mea natum tibi ſcribis, ſalva res eſt: neque erat cur in eo credendo adeo difficilem me tibi ſperares. Abſit à me tantæ incredulitatis ac diffidentiæ ſuſpicio, ut amicorum meorum ulli fidem in re tantilla denegem: nedum Tibi, cujus verba factis, imo futuris ad temporum uſque minima momenta reſpondere, ex diſceſſu tuo jam ante adventum in idem atque incidit poſtea momentum collocato, nuper tuis in gratiis compertum habeo. Itaque quin ægritudo ex disjunctione noſtra quemadmodum ſcribis, lætitiam quam ex convictu meo perceperas omnimodè æquaverit, nullus plane dubito; neque hæc tam *Dardanio Æneæ miranda videntur*: Cœterum de magnitudine utriuſque quod nihil definiviſti, id vero demum non inconſulto à te factum arbitror. Neque enim

T 7 in

(1) *Lucian. Encom. demoſthenis.*

in proportione illâ & συμμετρία affectuum mutuâ, quam vel invitus in rerum natura pati cogebaris, ſed in magnitudine ac vehementiâ utriuſque amoris tui erga me latebat myſterium: id quod ego nunc pro meo mihi captu formo atque figuro. Interim tantum abeſt, ut malignus verborum tuorum ſim interpres, ut potius exquiſitiorem Tibo doloris quam lætitiæ ſenſum eſſe, perſuadere mihi annitar; ſive in Tui, ſive in mei, ſive in utriuſque noſtrum gratiam, hanc etiam animorum noſtrorum συμπάθειαν mihi fingens. Nam

Cui ego non votis blandiar ipſe meis? (m)

Etſi neſcio quid contra ſolitam judicii tui prudentiam hac ratione affingendum tibi videatur: quaſi nimirum citra magnam ac evidentem adeo neceſſitatem deſerueris illum, cujus abſentiam paullo poſt impatienter adeo eras laturus. Sed & hac de re quidquid præceperis ſtatuam: fidem, ut in divinis Numinis ſolius, ita in iis quæ ad amorem tuum pertinent, tuæ ipſius munificentiæ acceptum ferre contentus. Interim me quod attinet, amicorum meorum commodis mea metiri doctus, abſentiam tuam comitumque tuorum qua poſſum animi æquitate fero, ſecretum ex præſtita vobis morigeratione oblectamentum quærens, quod commune vobiſcum ex quotidianæ converſationis ſuavitate percipere maluiſſem: cujus de-

(m) *Ovid.* 2. *Am.* 11.

defectui *ſolatiolum mei doloris* ſpem promiſſi ante hyemem reditus veſtri oppono. Quem ut maturetis, etiam atque etiam vos rogo, & meo, ni fallor, jure poſtulo. Siquidem jam non officium, ſed debitum ex ſtipulatu exigo. Verum enim vero, ut *res eſt ſolliciti plena timoris amor!* (n) Quævis etiam minima neſcio quomodo nunc vereor, ne à propoſito vos aliàs ſatis conſtantes dimoveant: Adeo ut hoc ipſum, quod te illic, veluti ſcribis, nunc

tegula ſola tuetur
Apluviâ, molles ubi condunt ova columbæ. (o)

Etſi tu præcipuam hanc inter diſceſſus tibi præcipitandi cauſſas numeres, ego neſcio quomodo ad ſollicitandum memet ipſum conſueto ingenioſior, manſionis irritamentum interpreter. Etenim præterquam quod jam aſſuetus magis quam vellem huic habitationi videris: τὸ δὲ ἐθισμένον ὥσπερ πεφυκὸς ἤδη γίνεται (p) (*aſſuetum vero jam quaſi naturale redditur*) non videris mihi ſacellum ubi Vacunæ litares commodius eligere potuiſſe. Quippe non alibi magis

A ſtepitu circumcurſantis nocte popelli
Liber eris, tacitoque locatus in ætheris alti
Veſtibulo, poteris tranquillos ducere ſomnos.
Poſtea mane novo raucæ tua cura palumbes
Vel mediâ placidam reddent tibi luce quietem.

Ne

(n) *Ovid. Ep.* 1. (o) *Juv. Sat.* 3. *verſ.* 202.
(p) *Ariſtot.* 1. *Rhet.* 11.

Ne jam ſomniorum quæ diurnas oſculantium imagines, gratiſſimis tibi per quietem repræſentationibus exhibituras, veroſimile ſit, ſuaviſſimam dulcedinem verborum intempeſtivis lenociniis commendare ſatagam. At magnam illam inemptorum pharmacorum copiam, quam adverſus omne infirmitatum genus, hæc tibi columbarum vicinia quovis pharmacopolio promptius ſubminiſtrabit, conſiderare aliquod operæ pretium erit. Quare ne ignores in quem felicitatis gradum, hæc muſæi tui altitudo te collocaverit: cuicunque impoſterum corpuſculi tui parti, quod dii prohibeant, male ſit, non aliunde quam à contribunalibus tuis ſalubrioris efficaciæ medicinam petes. Siquidem illis eo ſolo quod à naturâ deponere coguntur, cujuſque tibi partem interdum vel invito largituras ipſas prævideo, communi medicantium conſenſu, tantam morborum vim curare datum eſt, quanta capiendæ nec Pandoræ pixidem, licet duplo à Vulcano capaciorem factam, ſanandæ vero ne Æſculapium quidem cum omni familia ſua ſuffecturum extra controverſiam ſit. Quid opus erit hic commemoraſſe jam arthritidem, apoplexiam, lethargum, hemicraniam, vertiginem, colicos inteſtinorum, alioſque viſcerum membrorumque, ac præcipuè nodoſos articulorum dolores, multipliceſque tot defluxionum, aliorumque malorum differentias, quarum vel ſola enumeratio nova ſpecie, morborum genera facile adauxerit? At his tamen omni-

omnibus medelam; dignas Amorum matre aviculas contra incommodum ſuum (ſit honos vocabulo) cacare perhibent, quibus hæc ſapere mos eſt. Porro ſi ſanguinem etiam ſalutiferis hiſce animalculis duxeris, id quod ultra libram tamen ſingulis non facies, habebis, unde nec oculi doleant, nec exoſis licet vigiliis, ſomnove meridiano, male affecti tumeant umquam vel rubeſcant, ac cæcutiant. Si vero cerebrum præterea excuſſeris,

Ad quid enim venis vivo jam ſanguine caſſis
Proderit egelido plenum caput uſque cerebro?

Tum demum cur Veneri ſacratæ ſint vivificæ volucres reipſa experiere. Quod ſi denique vivas earundem carnes vertici applicare ſuſtinueris, non erit cui exprobationem famoſiſſimi hellebori umquam metuas: ne jam aſſatas eaſdem operoſius commendare tibi laborem, quod ſanè me longe felicius, ubi placuerit, conſultus ſuper hoc argumento Apicius præſtabit. Sed non ego nimis Tibi prolixe commendo hoſpitium, quod relinquere te volo. Neque tamen ideo minus facies. Promitto enim & hic tibi columbarium, ubi habites, ſi fortaſſis alia conditione ad nos non transmigrare animum inducis. Idque ſi velis adeo excelſum, ut vereri nihil minus habeas, quam ne ſis unquam

Πηλοῖο κατ' εὐρώεντος ἐλυσθείς.
(*Luto vermiculoſo involutus:*) (q)

Neve

(q) *Oppian.* ἁλ. β.

Neve contingat ad Te temerè

Παντοίην ἔυπρηστον ἀϋτμὴν ἐξανιεῖσαι. (r)

(*Omnigenam facile accenſum vaporem (clamorem) admitti.*)

Sed ubi tu plane ad imitationem Olympi montis

Inſiſtens terris puro caput æthere condas.

Imo ad exemplum Jovis,

Deſuper excelſus ſublimi vertice terras
Adſpiciens, curas hominum miratus inanes

mox caput ubi libuerit retrahas, & cum Philoſophicis Pythagoricorum animis

ἐις αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς. (s)
in æthera liberum devenias.)

Ac deinceps cum iis una

κόσμου στοιχεῖον ἄριστον (t)
Α'στρων ἠελίου τε σεληναίης τε μόρισμα
(*mundi elementum optimum
Aſtrorum, ſoliſque, ac lunæ partem*)

ſecuriſſima tranquillitate inhabites. Nam quid ego deorum vobis vitam quam hic agimus recenſeam, quam ſi fando tibi condignè repræſentare poſſem, non putarem me aliis ad promovendum veſtrum reditum argumentis indigere. Nunc *nobis non datur eſſe tam beatis* (u) & hæ deliciæ numeroſiorem orationem meâ atque delicatiorem deſiderant. Ne tamen planè nullum felicitatis noſtræ guſtum capias, conabor aliquam quaſi promulſide guſtum tuum deli-

---

(r) *Hom. Il. 6.* (s) *Carm. Pythagor.* (t) *Orph. Hymn.* (u) *Martial. lib. 9. Epigr. 12.*

delicatulum ſane ad pleniorem olim coram inſtituendam comeſſationem invitare. Quare primo quidem nos non minus atque vos illic

(x) Ἕυδομες εὖ μάλα μακρόν, ἀτέρμονα, νήγρετον ὕπνον.

(*Dormimus bene longum, indeterminatum, ſuavem ſomnum.*)

Ne jam quietis amabilis expertes nos eſſe falſo autumes.

Quam Homerici (y) Jovis cum Dracone Colchico communem felicitatem alto Te ſupercilio deſpicere jam olim exploratum habeo. In quo ſane neque ſtultum neque à me diverſum ſapis, qui profecto quantivis vendere noctes meas ipſi Fortunæ recuſarem: adeo ſingulis ferè galliciniis amabiles ſeſe mihi Venerum ſpecies per quietem offerunt. Ut non raro Africæ populos miſereri ſubeat, qui Hiſtoricorum tritavo memorante, (z) ſomnia nulla experiuntur. Et profectò niſi vanum prorſus eſt, quod ex fabifugarum ſecta neutiquam infimus Zeno Eleates cenſuiſſe perhibetur: (a) nimirum ex ſomniis ſuis quemque facile deprehendere, quantum in ſapientiæ ſtudio profecerit: incredibile dictu eſt, quam felices hic progreſſus breviſſimi temporis ſpatio à me facti ſint. Quamvis non audeam omnino tantos effectus Philoſophiæ meæ adſcribere, quam ego ferè irritis hunc in finem conatibus aliquan-

(x) *Theocr. Idyll.* 19. (y) *Il.* 2. (z) *Herodotus lib.* 4. (a) *Diog. Laërt. lib.* 9. *c.* 5.

quandiu non obiter ſollicitatam, nunc cui me eripuerat quieti penitus relinquo. Quin potius cœli hujus noſtri eam indolem, communemque inſulæ feſtivæ in qua degimus cum Fortunatis, Elyſiiſve campis genium illum eſſe mihi perſuadeo. Neque alia cauſſa eſt, cur tam invitus hinc me auferam, teque tam confidenter huc invitem. Sed ad ſomnum redeo, quo nos tam molli, tamque delectabili devincti, felices Endymionis æmuli, non abſque ratione, vel Te ipſo judice, quantum puto,

Stertimus indomitum quod deſpumare falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbrâ. (b)

Siquidem in hoc amœniſſimo deliciarum regno.

Nec vigilax longam perturbat cura quietem,
Nuncia nec reducis ales Titania lucis
Excutit hic ſomnos criſtati cantibus oris,
Auroram terris reddens, homineſque labori:
Sed varia tranquilla quies in imagine ludens
Admonet in multam ſomnos extendere lucem.

Unde facile colligis quam rarum nobis eſſe debeat, Solem adſpicere antequam ab ipſo viſi ſimus: & quam oporteat Nocturnum quotidie bene multum ante nos expergiſci. Neque utrumvis injuriâ. Siquidem & aſtrorum principem velle præire non niſi deperditæ arrogantiæ foret, & æquiſſimum ſanè, primum ſur-

(b) *Perſ. Sat.* 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

ſurgere eum qui cubitum primus conceſſerit. Ne tamen in aliqua fortaſſis infelicitatis parte ponas, quod Auroram non videmus, ſcire debes & hoc nobis quotieſcunque lubet contingere. Quando videlicet ludo deliciiſque tranſacta nox, *nox non ebria, ſed ſoluta curis.* (c) tum demum nobis optabilem Morphea quando reliquos mortalium deſeruit, excipere patitur. Imo quod majus etiam eſt atque præclarius, nobiſque adeo præ aliis terrarum incolis peculiare; quemadmodum Elyſias ſedes ver perpetuum, ita noſtras haſce jugis etiam Aurora beat.

Λαμπρεφαὴς, καλλιφέγγης, φαεσίμβροτος ἠώς,
Λάμπετις, αἰγλήεσσα, ῥοδόσφυρος ἠ ῥοδοπήχης,
Θεσπεσίη, καθαρὰ, ῥοδοδάκτυλος ἀμβροσίη τε.

(Splendidum lucens, pulchrum radians, lumen præbens mortalibus Aurora
Lucida, clara, roſeas plantas, roſeas ulnas habens,
Divina, pura, roſeos digitos habens, atque Ambroſios.)

Neque hæc matutina tantum, ſed & jam meridiana, & veſpertina, imo & noctiluca: & quod imprimis in ea probes nullo Tithoni aut Cephali raptu infamis, ſed caſta plane, & virginali pudore æque conſpicua, ac pulchritudine Angelicâ, imo divinâ.

Ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦτα μεταφρασόμεσθα καὶ αὖτις. (d)

(Sed

(c) *Martial.* 10. *Epigr.* 47. (d) *Hom. Il.* *α. ver.* 140.

(Sed de hoc quidem poſtea colloquemur iterum,) Interim nunc *Luceſcit hoc jam* : neque tamen nos ii ſumus qui ſummum in ſomno bonum collocent : quem equidem non aliter atque ſpeculum diurnarum actionum conſiderare debes, in quo

Quæcunque mentis agitat inſomnis vigor (e)
Ea per quietem ſacer & arcanus refert
Veloxque ſenſus.

Itaque quod vel me tacente intelligis,

Ipſa dies pulchro diſtinguitur ordine rerum (f)

Eoque tam multiplice prorſus, atque vario, ut non aliter plane ac ſomniorum, ratio ejus optime tunc conſtet, ſi quam minima reddatur. Nam quorſum ego

Matris munera Cypriæ,
Quorſum dona Cupidinis,
Riſus, delicias, jocos,
Fidis & bene creditos
Sales auribus efferam,
Læti gaudia pectoris?
Et quæ baſia ſumere
Suadet nil prohibens Amor;
Et quæ baſia reddere
Cogit rapta ſibi Venus?

Et quæ cætera quam debeant nobis eſſe dulcia,

Ex deſiderio poteris cognoſcere certo,
Quem tibi deſignat ſubtilis in ore ſaliva. (g)

Quin ergo rectius

hæc

(e) *Sen. Octav.* (f) *Juven. Sat.* 1. (g) *Schol. Salern, c.* 7.

hæc ego mecum (h)
Compoſitis agito labris: ſi quid datur oti
Illudo chartis.

Animoque magis quam antehac umquam liquido & ſereno

Divis Amorum, cum Charitum choro,
Muſiſque amicus, triſtitiam & metus (i)
Trado protervis in mare Creticum
Portare ventis.

Et lectiones, ſcriptioneſque, ac meditationes ſolitas, tum Theatra, prodeambulationes, & alias corporis exercitationes, conſueta mihi temporis terendi ſubſidia alternis interponens, cum Catullo meo ſubinde cantillo, (k)

O quid beatis eſt ſolutius curis,
Cum mens reponit, atque nos peregrino
Labore feſſi venimus larem ad noſtrum,
Deſideratoque acquieſcimus lecto!
Hoc eſt quod unum eſt pro laboribus tantis,

Quod equidem ſi mihi durat,

Quis me uno vivit felicior, aut magis eſt me
Optandus vitâ, dicere quis potuit? (l)

Denique in antro Mercurii nos conſtitutos puto, de quo Thracius illæ Muſæ non ignobilis filius,

Qui ſaxa cantu movit & domuit feras,
(m) *Hebrique tenuit impetus dulci morâ.*

In hæc verba cecinit.

"Ov

(h) *Hor.* 1. *Sat.* 4. (i) *Id.* 1. *Od.* 26. (k) *Carm.* 32. (l) *Catull. Carm.* 106. (m) *Phædr. Prolog. lib.* 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Ὃν δέ κεν ἀνθρώπων πεπνυμένον ἦτορὰν ἄγει
Ἐς πολυήρατον ἄντρον ἐπελθέμεν Ἑρμείαο,
Ἔνθ᾽ ὅγε παντοίων ἀγαθῶν κατέθηκεν ὅμιλον
Αἶψά κεν ἀμφοτέρῃσιν ἀνείατα πολλὰ κομίζων
(n) Οἴκαδ᾽ ἀποστείχει προφρονῶν πολύδακρυν ὀϊβάο.
(At quemcumque virum ducit prudentia cordis
Mercurii ingredier ſpeluncam, plurima ubi ille
Depoſuit bona, ſtat quorum prægrandis acervus;
Ambabus valet hinc manibus ſibi ſumere, & illa
Ferre domum, valet hinc vitare incommoda
cuncta.)

Habes quantum licet in prologo vitæ noſtræ fabulam, cui an ſpectatorem, vel actorem etiam te adjungere velis diſpicies. Interim illam non illepido nuper ſpectaculo etiam auxit exhibitum nobis neſcio quorum Ædilium liberalitate animal peregrinæ prorſus formæ atque indolis quod tamen non abſimile omnino ſit Indico illi, quod Μαντιχώρου jam olim nomine deſcriptum nobis Phile reliquit, (o) quod ſit

Θὴρ δασύς τ᾽ ἐρυθρός τ᾽, εἶδος ἀνθρώπου φέρων,
Ὄμματα δὲ πυρσοῖς ἐμφερῆ γλαυκοχρόοις,
Ὀφρῦς δὲ θἰκανὰς ἐκφοβεῖν καὶ μακρόθεν,
Ὦτα στεγανά, καὶ προσμήκη μετρίως,
Καὶ σφαιροειδῆ, καὶ ψιλὰ πρὸς τὰς βάσεις.
Ὀδόντας ὀξεῖς, δυσθεώρητον στόμα.
Τὰ δ᾽ ἄλλ᾽ ὅδε σαφῶς ἐντελὴς ὁ θὴρ λεών.
Μόνην γε μὴν ἔγκεντρον οὐρὰν ἐκφύων,
Ἑκήβολος μὲν ἐστι τοξότης φύσει.

(n) *Orpheus lib. 2. de Capillis.* (o) *Hiſtor. animal. c. 35.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

(Bellua, Villoſa, rubra, atque hominis os præ ſe ferens,
Faceſque luminum colore cæſio,
Superciliaque idonea ad formidinem
Cipridam, & aures hiſpidas, nec admodum
Longas, rotundas, & baſin verſus glabras,
Denteis acutos, oſque viſu tetricum:
Refert leonem relliquo ſed corpore,
Præter quod eſt armata cauda ſpiculis,
Quas ceu ſagittas ipſa mittit eminus:)

Habes formam externam, de interna hoc etiam ignorare non debes, eſſe quoſdam ex iis qui ſapientiam profitentur, qui rationabilem hanc noſtram cenſeant, ex riſibilitate (ſit venia digno auctoribus ſuis vocabulo,) demonſtrari poſſe. Quos tamen ego in hoc ipſo ne quidem ſemiveraces arbitror: niſi fortaſſis conterraneos huic noſtræ beſtiæ ſimios majores, quorum riſu ſylvas ſæpe ſatis ſpatioſas reſonare qui ab Indis redeunt aſſeverant, pluſquam ſemi rationales contendere velis, quod equidem *credat Judæus apella*, vel ſi quis alius peponem pro corde, fungum pro cerebro geſtat, *non ego.* Verum utut hæc quidem ſeſe habeant: non puto poſt luculentam adeo appoſitamque deſcriptionem nominari Tibi à me Menandrum debere. Menander,

ille nempe quem probè noſtri,
Homo eſt venuſtus

(quaſi Venere onuſtus, puto enim eodem Parnaſſi jure interpretari mihi licere, verba veterum, quo mea faceres)

& dicax, & urbanus

Idemque longe plurimos facit verſus. (p)

Atque utinam faceret tantum, equidem tolerandus adhuc foret inter *ſecli incommoda peſſimos Poëtas*, (q) nunc non tantum facit quotidie, ſed & recitat, idque nil minus quam rogatus, imo nauſeantibus atque invitis recitat, increpantibus atque irridentibus recitat, ludentibus, ambulantibus prandentibus cœnantibus, & neſcio quid non agentibus recitat tamen. Neque recitat tantum, ſed & applaudit ſibimet ipſi tanto impetu, ut nemo poſſit benignius,

neque idem umquam (r)

Æque eſt beatus ac poëma cum dictat.

Tam gaudet in ſe, tamque ſe ipſe miratur.

Enimvero non vulgaris, neque obvii miraculi res eſt, audire ſenem plus quam Catoniana gravitate compoſito vultu, propriis ſuis ac ineptis, certe intempeſtivis recitationibus inceſſanter acclamantem, φῶ, ἀᾶ, σοφῶς, μεγάλως, θείως, δαιμονίως. (s) *Pulchrè, argutè, probiſſime, effectè, graviter, citò, nequiter, euge, beate,* (t) Imo ut ſolennibus ipſius verbis utar, *buoniſſimo, buoniſſimo, non ſi può meglio, ah la bella coſa, ah, bravo, polito: voila la belle penſée, la comprenez vous, he que celà eſt galant, que cela eſt excellent: voilà où va l'eſprit d'un homme: quatre points dans un méme vers: il ne ſe peut rien dire de plus fort ſur*

(p) *Catull.* 22. (q) *Id.* 14. (r) *Id.* 22. (s) *Vide Voſſ. de Imitat. Veterum. c.* 8. §. 7. *ibique citatos.* (t) *Martial.* 2. *Epigr.* 27.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

ſur ce chapitre. & quæ cœtera ipſe niſi meis auribus hiſce non accrederem. Atque hoc quidem ſolum hominis vitium hactenus ego cognitum habens, mecum quibus poteram rationibus excuſabam, ita nempe cogitans,

Nimirum idem omnes fallimur, neque eſt quiſquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Poſſis. Suus cuique attributus eſt error,
Et non videmus manticæ quod in tergo eſt. (u)

Imo *Unicuique dedit vitium natura creato.* (x) & quidquid ſit, tandem

Seſe omnes amant. (y)

At quantum nunc video,

eſt hoc mediocribus illi (z)
E vitiis unum.

Etenim quotidie propemodum, nocte dieque

Indulgetque mero, mergitque in pocula mentem. (a)

adeoque inſtar exulis Marii apud Satyrographum (b) *ab octavâ bibit, & fruitur dîs iratis.* Neque tamen hoc, ut ille, de ſuo, ne quid erres. Imo ſiquidem illi credimus; miſerior homo non eſt, quam qui de ſuo prandet ac cœnat. Quod ipſi ne contingeret: artem Græcam traduxit in gentem ſuam, elegitque ſibi hoc vitæ genus, quo à manè uſque ad veſperam cir-

 cum-

(u) *Catull.* 22. (x) *Propert. lib.* 2. *Eleg.* 22. (y) *Plaut. Captiv. A.* 1. *Sc.* 2. *v.* 19. & *A.* 3. *Sc.* 1. *v.* 18. (z) *Hor.* 1. *Sat.* 4. (a) *Manil. Aſtronom. lib.* 5. (b) *Juven. Sat.* 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

cumiret ſalutatum amicos, & captatum alienos cibos. Neque domi tantum Reges ſuos quærit, ſed in plateis, in foro, in curia, in aula, & ubicunque locorum licet, perſequitur, quibus occinat tritum illud ſuum *Jube ad Te veniam meridiatum.* (c) cui mox veſpertinum ſuccedit, *Ubi cænamus?* Quod ſi quis verecundius ſe ipſum invitantem repellens, menſæ adhibere cogatur, non facile dicere eſt, quantis pœnis intempeſtivum pudorem luat.

Quanta pernis peſtis veniat, quanta labes larido.
Quanta ſumi ni abſum edo, quanta callo calamitas. (d)

Sanè vix crediderem Eriſichthonem largius comediſſe. Jam de ſiti plus quam Tantaleâ quid dicam? cujus argumentum evidens præ primis eſſe poteſt, quod etiam

Οἰνοβαρὲς μετὰ δαῖτα μιθοσφαλὲς ὄχυος
Νικιαθεὶς ἁπαλῷ λιστιμελεῖ Βρομίῳ ἐλίσσων.

(Ebrius à cœna dubiè veſtigia ponens.
Devictus dulci ſcilicet à Bromio.)

nihilo minus, neque ſegnius cum Milone Theocriteo balbutiat (e)

Εὐκτοὶ ὁ τῷ βαλεράχῳ παῖδες βίος· ὃ μελεδαίνει
Τὸν τὸ πιεῖν ἐγχεῦντα· πάρεστι δ' ἄφθονον αὐτῷ.

(Ranæ vita optanda eſt, ô pueri; neque enim curat
Potum infundentem: ſed abunde illi ſuppetit.)

Id quod equidem minus miror: utpote qui ſciam,

(c) *Catull.* 33. (d) *Plaut. Captiv. A.4. Sc.3.*
(e) *Idyll.* 10. *v.* 52.

ſciam, quam ipſi, *ignes interiorem edant medullam:* (f) modo ignes nominari mereantur

flagrans amor, & libido (g)
Quæ ſolet matres furiare equorum
Sæviens circa jecur ulceroſum.

non ſine queſtu.

Atque hic eſt Menander ille, Poëta ineptus, ebrioſus, ac amans, qui non putavit ſatis jucundum fore præſentem vitæ noſtræ actum, niſi ipſe mimis ſuis perridiculis eundem etiam variaret. Quorum ſane non poſſum quin unum Tibi ad minimum recitem, licet jam alias epiſtolæ modum exceſſerim. Enimvero

Res eſt ridicula, & nimis Jocoſa, (h)
Dignaque auribus, & tuis cachinnis,

Noſti nempe me hoc ipſo duce in hanc deliciarum inſulam, felixque in ea Nympharum conſortium perveniſſe: quo ſane nomine aliquid illi debere me non infiteor. Siquidem ex quo agere hîc cœpi, & amicis, & mihimet ipſi quodammodo videor τά τε ὄμματα φιλοφρονεστέρως ἔχειν, καὶ τὴν φωνὴν πρᾳοτέραν ποιεῖν, καὶ τὰ σχήματα εἰς τὸ ἐλευθεριώτατον ἄγειν. (i) (*oculos amabiliores habere, & vocem mitiorem fingere, & geſtus in ſpeciem quandam maximè liberalem convertere*) ut adeo non tam ipſorum, quam Xenophontis teſtimonio credere debeam me ὑπὸ τοῦ σώφρονος ἔρωτος ἔνθεον. (*amore pudico afflatum:*) Quod ſi verum putarem, nullibi ſecurius, quam fidiſſi-

(f) *Catull.* 36. (g) *Hor.* 1. *Od.* 25. (h) *Catull.* 57. (i) *In conviv. pr.*

mis tuis auribus deponi hoc ſecretum à me poſſe confiderem. Quamvis cui ſecretum hoc teneri à me deberet, cauſſam nullam videam. Cum

Quæ me cunque domet Venus (k)
Non erubeſcendis adurat
Ignibus, ingenuoque ſemper
Amore peccem.

Neque adeo te ab humanitate omni alienum exiſtimem, qui probro mihi daturus ſis, ſi minus jam *dulces amores ſperno puer* (l): modo ne in ſtultitiam aliquam aut turpitudinem iſta abeant. Interim ſi Menandro potius quam mihi apud te fides eſt.

Ἐγὼ ἔραμαι σχεδὸν ἑνδέκα ταῖος. (m)
(Ego amo propemodum jam undecim dies.)

Neque enim eo mihi ſapientiæ perventum eſt, ut cum Socrate (n) dicere poſſim, οὐκ ἔχω χρόνον εἰπεῖν ἐν ᾧ οὐκ ἐρῶν τινὸς διατέλω. (*non habeo tempus aliquod commorare, quo non amore alicujus captus fuerim.*) Porro ex ejuſdem auctoris ſententia, non tam amo quam amor. Ne quod fieri à pleriſque amat, infeliciter primos amores meos me collocaſſe, aut ineptam adeo Rhetoricam, qua ne puella quidem oſculum perſuadere poſſim addidiciſſe exiſtimes. Itaque hoc ſi eſt, uti ſane neque nolle hoc, neque negare libet:

Quis

(k) *Hor.* 1. *Od.* 27. (l) *Hor.* 1. *Od.* 9. (m) *Theor. Idyll.* 10. (n) *Xenoph. conviv. p. m.* 706.

Quis ullos homines beatiores (o)
Vidit, quis Venerem auſpicatiorem?

Ad minimum neminem noſtri amantem fore puto, quin exclamet,

Ὄλβιοι οἱ φιλέοντες, ἐπὴν ἴσον ἀντεφέωνται. (p)
(*Beate qui amant, cum æqualiter redamantur.*)

Tu certe ſcio non ceſſabis pro veteri tua in me benevolentia accinere,

bona Te Venus.
Juvet, quoniam palam
Quod cupis capis, & bonum
Non abſcondis amorem (q)

Verum quidquid hujus rei ſit, tute qui & me & Menandrum noſti, facile judicabis, modo Angelicam videris, quod ut quantocius facias numquam admonere te deſiſtam. Interim mimum nunc perſequar. Poſtquam igitur, quemadmodum dixi, Menandro proxenetâ, & in Inſulam hanc & in familiaritatem Venerum Inſularium haud ægre ſum admiſſus, non putavi equidem Romæ aliis quam Romanis mihi moribus vivendum. Neque mirum, ſi offendiculum iis à me ponendum non eſſe duxi, ex quorum convictu, atque colloquio, tum linguæ tum morum elegantiam ſeculi hujus judicio (recto, an corrupto, quid mea intereſt?) approbatam diſcere plane conſtitueram. Quare ut condignum hic vitæ meæ fructum caperem, neque ludibrium adeo aut odium quorum mi-

 nime

(o) *Catull.* 46. (p) *Bion. Fragm. p. m.* 300.
(q) *Catull.* 62.

nime volebam incurrerem: quanta potui comitate morum atque modeſtia, nec ingratâ aſſiduitate commendare me novis neque inclementibus magiſtris laboravi. Idque quo rectius præſtarem.

Non mihi ſurreptos Themidi tetricæque Minervæ
Muſarumque choro totos impendere Soles
Colloquiis, & non habituris ſeria ludis
Relligio velut ante fuit. Sed fronte ſeverâ
Deterſæ nebulæ, placido redeunte ſereno.
Protinus inſomnes curæ, meditatio pernox,
Exceſſere animo, diſcendique anxius ardor;
Otia queis, hilares & ſucceſſere lepores,
Grataque jucundæ ſubierunt gaudia menti.

Primus Menander ſenſit (*Quid non ſentit amor!* (r) repentinam animi mei metamorphoſin. Quodque ſolent ferè per ſuam pedem alios qui adſpiciunt, de meis judicaturus moribus, ſuos in conſilium adhibuit. Ex quibus cum in amorem me incidiſſe tamquam bluttam in pelvim continuo ſibi, ita ut nihil firmius perſuaderet: quid mirum, ſi ſtolidâ rivalitate ſua ſubmergendum me ſibi arbitratus eſt. Ex eo itaque tempore non niſi

Κακ' ὀσσόμενος προσέειπε. (s)

(*Malignum adſpiciens alloquutus eſt*)

Idque rarius, & parcè. Mox colloquio omni abſtinere: tandem ſalutationibus etiam & reſalu-

(r) *Ovid. Metam. 4. Fab. 4.* (s) *Hom. Il. α. verſ. 105.*

ſalutationibus, omnique adeo humanitatis conſuetæ officio. Quæ omnia, quemadmodum ego parum vel nihil hactenus in illo curaverã, ita eorum parſimoniam ſerius mihi notandam ſumpſi: obſervatam vero etiam furori hominis Poëtico vel Bacchico potius, quam ignoto mihi hactenus neque in ſene umquam ſuſpectato amoris vitio imputavi. Donec tandem cum Angelicâ domeſticâ noſtrâ familiariores ſuper hac re ſermones cædens, fœdum ex ea & inveteratum hominis morbum cum ſtupore intellexi. Quid enim quæſo, inquit, adeone in amore hoſpes es, qui nondum etiam intelligas cujus morbi ſymptomata hæc eſſe debeant? Nimirum illud monſtrum hominis, ex malo, credo, genio & invidiâ, infauſtis aſtris ac fato irato natum, quod pluribus annis

Stulta maritali jam porrigit ora capiſtro, (t)
Dardana quam Graio Troia ſub hoſte fuit. (u)

Cuique alternis tantum non diebus, digna tam infelici Socrate qui ipſe docti cognomen ſibi fecit, Xantippe, caput ſandalio mitigat: quemque

Jam teſtes ſenii deformant undique cani; ne reliqua etiam nota tibi hominis vitia repetam: is nihilominus, tot jam annis impotente prorſus amore miſerum me perſequitur. Neque licet mihi quemquam blando vel nutu vel ſermone colere, quin illud Veneris opprobrium confeſtim rivalem ſibi datum exiſtimet, in

(t) *Juv. Sat. 6. v. 34.* (u) *Ovid. 5. Triſt. 10.*

quem quando aliter non poteſt, omnium dirarum imprecationibus ſæviat: quas tamen in ipſius caput redundare omnes oportet, adeo illi

Quotidie eſt deterior poſterior dies. (x)

Neque jam video quomodo non in manifeſtam & perpetuam omnino phreneſin, hæc provectæ adeo ætatis intemperies abitura ſit, niſi propediem aliquis ἀυτὸ μηχανῆς Æſculapius generoſam tam crudeli malo medicinam adferat;
Aut labyrintheo cita mors è carcere ſolvat.

Poſtquam hæc non ſine aliquo amabilis confidentiæ oblectamento lepidiſſima puella expoſuiſſet: cœpi ſane animum in tam ineptam atque acerbam ſenis miſeriam profundius injicere, tenuitque me aliquamdui ſuſpenſum, tot malorum non abſque mœſtiori commiſerationis ſenſu facta inter ſe comparatio. Quid enim, mecum ajebam:

Quem ſenium, ſitis, & paupertas vexat, & uxor;
Quod ſummum à tantis dixeris eſſe malis.

Sed mox abſolvit me hac dubitatione illud antiqui Comici,

Γέρων ἐραστὴς ἐσχάτη κακὴ τύχη.
(*Senex amator ultimum infortunium.*)

Qua mecum confirmata ſententiâ, cum non ſatis tranquillâ attentione ſingulos tacentis nutus obſervare jam ſeveriorem aliquantulum puellam adverterem: veritus ne hic ludius Tragœdiam nobis pro Comœdia daret, hoc unicè

(x) *Subſ. Syrus.*

unicè impoſterum mihi curandum cenſui ut quantum ejus fieri poſſet, incurabilem hominis inſaniam potius in recreationem quam in moleſtiam aliquam noſtram converterem. Proinde ſerenato quantum poteram vultu, oculiſque ad hilaritatem iterum compoſitis. Quantum ex te intelligo, mea Angelica, inquam,

habet hic morbum (y)
Nec elegantem, ut arbitror, nec urbanum:

Sed cui tamen medicinam nos debere puto: quam etiam adeo, niſi Æſculapius me plane fallit, inventam jam nunc habeo. Cum quodnam illud tam compertæ efficaciæ pharmacum eſſet, ex quo deſperato adeo ac veteri morbo remedium præſens ſperarem, puella licentiore curioſitate quæſiviſſet. Cogitavi quidem, dixi, de helleboro, ſimilibuſque ejus generis herbis, ſed vereor ne vergentis ætatis imbecillitas iſta tam generoſa non ſatis commode ferat. Quare mitioribus utendum puto, & magis lentæ quidem, ſed non minus certæ virtutis remediis. Et vero ſi omni & ſuſpicione & metu gravatum miſelli animum, uno impetu liberemus, annon optimam & ſaluberimam tot cruciatibus inde ortis medelam allatam putes? Cum illa annuiſſet: atqui nihil, ſubjungo, nobis facilius: modo quæ ipſe falſò metuit à nobis, atque ſuſpicatur ea, nos reverâ atque palam etiam ipſo teſte faciamus.

(y) *Catull.* 40.

Cum hæc incogitata libertate protuliſſem, viſa mihi derepente Angelica, dejectis in terram modeſtius oculis, inſolito penitus ardore

(z) *Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem*
Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum ſanguineo veluti velaverit oſtro
Si quis ebur, vel mixta rubent ubi lilia multâ
Alba roſâ: tales virgo dabat ore colores.

Quæ ſane numquam mihi Auroræ ſimilior viſa eſt, quando videlicet.

Non idem Eoi color ætheris, albaque primum (a)
Lux rubet, & flammam propioribus eripit aſtris.

Intellexi ingenui pudoris ſignum, cui ne vim facerem, ad alia continuo ſermonem meum deflexurus: Ad minimum, continuavi, debemus artificioſa mutui amoris ſimulatione, ambigua ſpei ac timoris tormenta homini adimere: ac in eorum locum propinare ludorum ludificabilium drachmas aliquot in dies ſingulos. Neque enim niſi amaroribus contractos ex dulcore vermes expelli conſtat. Et quidni reddat vexatio intellectum, quem dare poſſe eandem tritum tot ſeculis vulgi ſermone proverbium ſatis confirmat. Cum hoc meum conſilium non indecoro riſu Angelica approbaret: conſtituimus imposterum omnia inter nos ex compacto ita gerere, ne quod Menandro amplius dubium relinqui de amore noſtro poſſet. Ex illo igitur tempore dici non poteſt, quot quantiſque exemplis illum ludificati ſimus.

Ete-

(z) *Virg. Æn.* 12. (a) *Lucan. Pharſal.* 2.

Etenim adhibita eſt in conſilium tota domus, ne qua perſona ubi opus foret tam lepidæ fabulæ deeſſet. Itaque mirum jam non eſt, ſi aliquando vel reſipiſcit, vel *radicitus è vitâ ſe tollit & ejicit* (b) quorum hoc quidem jam dudum credo feciſſet, niſi emigrantem jam jam animulam aliquoties lepido aliquo & vivifico dicto Angelica retinuiſſet. Neque tamen propterea minus limen noſtrum atque antea vexat. Quinimo credas ipſum è catellorum genere eſſe, qui eo ſæpiſſime recurrunt, ubi plurima vexatione irritantur: adeo ad omnia diei momenta nobis obrepit, & prandentibus, cœnantibus, ludentibus, prodeambulantibus, denique quidvis aliud agentibus odioſiſſimus ſpectator aſſiſtit. Itaque nemo jam eſt ex omni familia noſtra, quin lubens quantis poteſt illuſionibus hominem exagitet. Alius ipſi felicitatem amoris noſtri, non ſine augmento enarrat: alius ſuos ſeni exprobat, utque tumbam potius quam amicam quærat, admonet. Inde prodit qui amare hominem neget, cui mox magna argumentorum ſerie contradicitur: provocatur ad Judicium, ſententia dubia dicitur, denique mille modi novi excogitantur quotidie, quibus omnium applauſu deridiculus ſit. Non puto tamen ægrius quemquam ipſi me facere, etſi verbum cum homine non commutem, ſed dum ipſe omnium ſcommati-

 bus

(b) *Lucret. lib. 3. verſ. 891.*

bus celebratur, ſoli Angelicæ loquar, & inter amplexus atque oſcula occinam,

Bella puella, puella candida (c)
Quæ bene ſuperas lac & lilium,
Albam ſimul roſam rubidam
Aut expolitum ebur indicum.
Pande puella, pande capillulos
Pande puella ſtellatos oculos
Porrige labra, labra corallina,
Da columbatim mitia baſia,
Cor mihi penetrant hæc tua baſia.

Sanè nuperrimè parum abfuit, quin hac ratione penitus me tam inviſo obſervatore uno impetu liberaverim. Fortè ex ambulatiuncula domum revertebamur, compoſitis uti ſolebamus paribus, nimirum ut ego Angelicam, reliqui ſuam quiſque ducerent. Non adfuerat autem, neſcio an conſultò, certe præter conſuetum Menander, quem mox domum regreſſi, in obſcuriſſimum veſtibuli angulum ſe abdentem, vultumque ne vel viſus agnoſceretur, pallio obvolventem, ego & Angelica, reliquos tum forte præcedentes, primi conſpeximus. Cumque facili negotio conſilium ipſius divinaremus, ſigno comitum etiam reliquis dato, ne quod ille quærebat non inveniret, diſſimulato ipſius conſpectu quo cœperamus ordine progreſſi ſumus: donec quantum viæ noſtræ ratio permittebat proxime illi conſtitutus, baſium ab Angelica popoſci: dictum, factum, dedit illa mihi continuo *Sua-*

(c) *Cornel. Gallus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Suaviolum dulci dulcius ambroſia. (d)

Ibi vero operæ pretium fuiſſet videre ſtatum Menandri in angulo, collapſis præ doloris impotentia brachiis pallioque, non alia re quam ſtultitiâ ſuâ tecti. Nimirum tum demum os illud impudens, in quod præ Bauhico minio nihil hactenus mendaciâ potuerant, tantillum de colore ſuo demiſit: credo ut locum tandem aliquem pudori deinceps concederet. Certe (e)

Palluit, ut nudis preſſit qui calcibus anguem
Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aulam

(f) Ἀμφασία δ' αὐτὸν ἕλε πόσον δ' ἄλγος ἔχοντα.
Δίζετο φάρμακα πάντα.

(Conſilii inopia vero occupavit tantum dolorem habentem
Quærebatque omnia remedia)

ſed, ἀναλθέα φάρμακα πάντα
(Inefficacia remedia omnia)

Proinde, *ut relicta ſenſit ſibi membra ſine viro* (g) neque fore ſperavit, ut repente prorumpens è latibulo verbum tanta indignatione ſua dignum proferret, palliolo ſuo furtim iterum circumdatus, tamquam pullus gallinaceus ſtuppa, trepidus ſilenſque nos cum omni comitatu noſtro prætermiſit: nihil aliud jam quærentes quam locum, ubi contentum ægre hactenus riſum pleniſſima libertate effunderemus. Quod cum in cœnaculo ſatis ſpatioſo primum pro ſe quiſque ad neceſſitatem feciſſet;

(d) *Catull.* 98. (e) *Juv. Sat.* 1. (f) *Bion Idyll.* 5. *v.* 16. (g) *Catull.* 64.

ſet; cœpimus paulatim ex mutua viſi modo portenti deſcriptione deficientem jam riſus materiam recolligere, & alternis elogiis mirificam conſternatiſſimi Menandri ſpeciem invicem celebrare. Sed lupus in fabula, Neque umquam ſanè lupo ſimilior Menander: cui ut alias oculi perpetuo furore rubent, vultuſque fervet, ac dentes fremunt:

(h) *Tum vero poſtquam ſolitas acceſſit ad iras*
Cauſſa recens: plenis tumuerunt guttura venis
Spumaque peſtiferos circumfluit albida rictus.

Equidem non parum in vultu ejus cauſſæ erat, cur metueremus, ne pugnos edendos nobis daret, ac dentilegos nos faceret: ſed freti ignaviâ hominis, vultu ad ſecuritatem formato, tamquam ex improviſo adventantem excepimus: Tum ſeſſum quem ipſe pro morum ſuorum ruſticitate jam ſponte capiebat, ſtudioſius precati, quo dignam præmeditatione orationem citius perciperemus, cauſſam commotioris animi, ex vultu ſe prodentis ultro ſciſcitari, tanquam ignari cœpimus. Ibi vero Menander veluti dignum aliquid ſe, & pro concione dicturus, poſtquam circumſtantem coronam hinc inde ſemel atque iterum circumſpexit; demum oculos in matre Angelicæ penitus defixit. Inde repetita altius oratione laudare veterum prudentiam, apud quos

Ἄιπιόν τι ϗ νόμος,
Γυναῖκας ἀνδρῶν μὴ βλέπειν ἐναντίον.

(fas

(h) *Ovid. 3. Metam. Fab. 1.*

(fas & lex erat,
Mulieres viros contra non intueri,)

Itemque

Ἐις ὄχλον ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλὸν,

(In turbam prodire virginibus non decorum (i)

Neque id abs re:

Καὶ πῶς ἀκραιφνὴς ἠϊθέοις στρεφωμένη,
Ἔσται;

(Et quomodo incorrupta inter juvenes verſata
Erit? (k)

Idem Romanos

Terrarum dominos, gentemque togatam ſenſiſſe.

Nimirum: *non nimis poteſt* (l)
Pudicitiam quiſquam ſuæ ſervare filiæ.

Hodie prohdolor non idem fieri, ſed omnia bene introducta moribus in pravum verti, adeoque & conſpatiari nunc cum virgunculis juvenes, non ſine ſummo pudoris ac famæ periculo. Inde arrogantiſſima ſatyrâ in mores ſeculi diu ad nauſeam omnium debacchatus, tandem ad noſtram plane converſationem ſermonem dirigere: eam neque ſine ſcandalo, neque ſine manifeſto vitio eſſe. Tandem clamare, ac vociferari, indignum facinus, comperiſſe ſe habere Angelicam pro amaſio me peregrinum. Id adeo credere ſe, qui familiaritatem noſtram etſi nuperam, intimam tamen merito ſuſpectam ſemper habuiſſet; modo vero etiam vidiſſet oculis ſuis me non invita

La-

(i) *Eurip. Oreſt.* (k) *Id. Alceſtid.* (l) *Plaut. Epidic. A. 3. Sc. 3. p. 27.*

Lædentem oſcula quæ Venus
Quarta parte ſui nectaris imbuit. (m)

Quid inde futurum, ſi ea res in vulgus emanet; quibus undis hanc honoris ſui maculam ablui poſſe ſperet. Denique haud obſcure præ ſe ferebat, ſe iis moratam moribus, uxore ſua præ mortuâ, (quæ tamen præter ipſius mortem nihil ſuperos orat,) non ducturum. Jam detonuerat, quamvis ægrè admodum ambitioſa hæc Philippica, cum albis dentibus inficetiſſimum oratorem irridentes

Conticuere omnes, intentique ora tenebant. (n)

Nonnulli quidem in Menandrum, tamquam plura dicturum; plerique tamen in me, tamquam reſponſurum inſtitutæ contra me præcipue declamationi. Quamobrem etiamſi ego plauſibilius multo mihi ducerem in ſinu gaudere, quam ineptæ hominis loquacitati contradicere: ne tamen minus reſponderem non injuſtæ amantiſſimorum mei ſodalium expectationi, hunc in modum irridere ſimul ac refellere nugacitatem delirantis & ætate & amore ſenis bibacis cœpi.

(o) *Dii immortales, homo homini quid præſtat! ſtulto intelligens*
Quid intereſt: Itā adeo ex hac re venit in mentem mihi.

Nam ego quidem,

Moribus præfectum mulierum hunc factum velim. (p)

Sanè

(m) *Hor.* 1. *Od.* 13. (n) *Virg. Æn.* 2.
(o) *Ter. Eunuch. A.* 2. *Sc.* 2. (p) *Plautus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Sanè antiqua ſapere ex illo tandem diſcerent: Nimirum *quo pacto ex jure heſterno panem atrum vorent.* (q) fiantque velut ipſe *converritores pridianæ reliquiæ* (r) Moribus enim antiquioribus nos profectò uti poſſe non puto, quam quos *felices atavorum atavi* in nos perpetuæ ſucceſſionis ſerie maximè laudabiles derivarunt: quos equidem adultas puellas juvenibus internatare ſine ſcandalo atque vitio conſpexiſſe, Hiſtoriarum ſcriptores fide digni teſtatum faciunt. Ne tu nunc fœdiſſimam Orientis barbariem in Græcos Romanoſque non niſi per contagium idque declinante jam utriuſque populi virtute pariter ac fortuna, deductam, nobis pro eâ qua laboras ingenii ſcabie commendare ulterius deſudes. Sed heus tu, bone vir,

Quin tu alium quæras cui centones ſarcias. (s)

Nam in me quidem operam miſere ludis, qui intus & in cute te novi, quam ſis ex iis,

qui ſtultitiam nauſeant, (t)
Et ut ſapere videantur, cœlum vituperant.

Nam alias, quid tua hanc rem curatio? An tantus Sapiens neſciebas culpam eſſe immiſcere ſe rei ad ſe nihil pertinenti? Et quærentes ea quæ non debebant, quæ minime vellent invenire? Sed mirum, niſi cor tuum rete Vulcanium illud ſit, quod Venerem Marti conjunctam omnium Deorum oculis exponebat: niſi quod

---

(q) *Ter. Eunach. A.* 4. *Sc.* 5. (r) *Apulej. Apolog.* (s) *Plaut. Epidic. A.* 3. *Sc.* 4. *verſ.* 19. (t) *Phœdrus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

quod tuum ſoloci nimis filo contextum, vel cœcis patet homuncionibus, cum tamen illud vel ſuperos falleret. Sane quantum nunc audio, non minus apud te, quam apud Heſiodum, Amor & Lis eodem partu editi ſunt. Verum quandoquidem ab Amore te nihil quidquam deterrebat canities tua, & βίος ἑσπέραν ἄγων (*vita veſperam agens*) quippe *cujus* jam olim admodum

Octavum trepidavit ætas (u)
claudere luſtrum:

Attamen pro eâ quam præ te fers animi generoſitate cogitare debebas, non niſi degeneres in diſcordiis ſpem collocare, neque virtute vincere qui poſſunt facile odiis quemquam oppugnare. Sed quoniam Poëta es, audi ſodes Propertium Gallo tibi plane, ni fallor, ſimili canentem. (x)

Invide, Tu tandem voces compeſce moleſtas
Et ſine nos curſu, quo ſumus, ire pares.
Quid tibi vis, inſane? meos ſentire furores?
Infelix, properas ultima noſſe mala,
Non eſt illa vagis ſimilis conlata puellis,
Molliter iraſci non ſciet illa tibi.
Aut ſi forte auſis non eſt contraria noſtris,
At tibi curarum millia quanta dabit!

Imo ſi credis vera tibi ex intimis Deæ tuæ adytis oracula proferenti; ea ferre te coget, ἃ κἂν θεῶν τις εἰ πάθ' οἱ καταστένοι (y) *Quæ Deorum*

ſi

(u) *Hor.* 2. *Od.* 4. (x) *Lib. El.* 5. (y) *Eurip. Herc. Fur. v.* 1115.

ſi quis pateretur ingemiſſeret.) Quare dum tempus eſt, quietem quam Venus hactenus tibi negat, à Baccho pete, & ſi ſapis, (z)

Adde merum, vinoque novos compeſce dolores,
Occupet ut feſſi lumina victa ſopor.
Neu quiſquam multo perfuſum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requieſcit amor.

Quem etiam in finem adeo potiſſimum rogatos vos omnes volo,

Auditum admiſſi riſum teneatis Amici.

Inde ad Angelicam converſus, At nos interim, inquam, mea lux, mea voluptas, meum deſiderium, ne quid ille ſibi in nos juris cenſoria oratione ſua impetratum exiſtimet, quid ni mutuos jam nunc

Et damus amplexus, & jungimus oſcula coram. (a)

Hæc dicens, nihil repugnanti innumerabilia baſia impegi. Ad quæ cum omnes certatim applauderent, impatiens Menander, tanta oratione tam parum ſe apud nos profeciſſe, neque præter ludibrium & irriſum omnium quidquam ſibi comparaviſſe: tanquam infelix anima didonia,

ſolo fixos oculos averſa tenebat. (b)
Nec magis incœpto vultum ſermone movetur,
Quam ſi dura ſilix, aut ſtet Marpeſia cautes.
Tandem proripuit ſeſe atque inimica refugit.

Concipiebam itaque non temerariæ ſpei ſolatium,

(z) *Tibull. lib.* 1. *El.* 2. (a) *Ov. Metam.* 9. *Fab.* 11. (b) *Virg. Æn.* 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

tium, fore ut tandem Phryx ſaperet, noſtramque converſationem prorſus ejuraret: ſed quid dicam?

Mobilis & varia eſt fermè natura malorum (c). Nondum integrum intercesſerat triduum, quando pacem ab Angelicâ & veniam, per Oriſmenen & Euonymen, quibus ipſi luberet legibus petiit. Non inducebat animum Angelica, negare aliquid pœnitentiam tam profuſe profitenti: ſive connata morum facilitate, ſive inducta jam per longam tot annorum conſuetudinem morologi hiſtrionis neceſſitate ita ſuadente. Conſtituta igitur ac miſſa eſt homini formula, qua ſupplex veniam ab Angelicâ peteret, cujus ille conditionibus omnibus continuo acceptis, imo arreptis, nunciavit adfuturum ſe extemplo, eſt plura etiam petitis facturum: hanc unam tamen à benignitate Angelicâ præſtolari gratiam, ne ego præſentiâ meâ humilitati ipſius illuderem. Nolui ſane tam jucundo ſpectaculo domeſticos mecum una omnes privari. Proinde in proximum conclave conceſſi, ubi per rimam in januæ medio jam olim à me notatam, & nunc magis etiam diductam, non ſine ſecreta delectatione obſervavi miſerrimum ſenem, demiſſo in terram cum genibus ſupplice vultu, extremam pallæ fimbriam Angelicæ humillimo oſculo venerantem; indeque ſupinis manibus, conceptis, hunc in modum verbis, ad ridiculam uſque cir-

(c) *Juv. Sat.* 13.

circumſtantium miſericordiam, ſerio deprecantem. Ego quidem O gratioſa Angelica, fateor proh dolor, atque agnoſco me cœco amoris intempeſtivi impetu faſcinatum graviter in te tuoſque deliquiſſe, neque erroris adeo mei veniam, aliunde quam à tua benignitate expectare vel poſſe vel debere: quam adeo nunc ſupplex imploro. Tibi quidem impoſterum pro amore quoniam ita jubes obſervantiam Tuis vero omnibus officia mea omnia promptiſſima offerens atque promittens. Si quid contra fecero, genium tuum (quod abominor) perpetuo iratum, Bacchumque numquam propitium habeam. Adhuc extremis etiam verbis inhærebat, cum ego ut quæſito per tot ambages Angelicæ reſponſo ipſum privarem, repulſa vehementius oſtii, cui hucuſque me applicueram, ſera, in cœnaculum intrans, vix tollendi ſe è terra, nedum colligendi animum anxiæ deprecationi adhuc nimis intentum, ſpatiolum miſello reliqui. Noluit tamen ille, quamvis ex vultu facile conſcientiam meam deprehenderet,ea die tantis ſudoribus ęgerrimè inductam, non infelicem uti putabat fabulæ ſuæ Cataſtaſin, querula cataſtrophe illico rurſus conturbare. Itaque diſſimulata quantum poterat iracundiâ, quam ex inopinato adventu meo concipiebat, diem illum nobiſcum, frigidiſſimâ hilaritate tranſegit. Ne tamen nullum prorſus dolori ſuo ſolatium poneret, eadem adhuc veſpera compoſitam in me & Angelicam Satyram Gallicam poſtridie Bioni

tam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

tamquam intimo ſuo communicavit. Qui cum & venam ipſius & induſtriam fictis laudibus mirifice extuliſſet, tantam proximis diebus Voluſianarum chartarum vim implere cœpit quantam Veſtali Cloacinæ deæ igni alendo abunde ſuffecturam eſſe pro comperto ſit. Ut adeo mirari non debeas, ſi omnes eas aſſervatas non habeo. Exhibebo tibi nihilominus præcipuas, ubi nobis præſentiam tuam tantopere optatam reddideris. Sunt autem pleraque Gallica convitia, in quibus ſi perſtitiſſet, per me certe ſolus etiamnum pugnaret. Poſtquam vero Latium etiam dicere nuper auſus eſt, & naſum meum vellere, meque ſola illius monſtroſa, ut ipſi videbatur longitudine, puellis commendabilem deſcribere verſibus latinis aggreſſus eſt: non putavi impunitam ulterius hominis protervam impudentiam mihi relinquendam eſſe, qui qua parte ipſe turpiſſimus eſt, eâ deformes alios fingere non erubeſcit. Itaque naſum meum ab ipſius illo mucoſiſſimo profecto atque adeo larva quam homine digniore, paucis hiſce phaleucis mihi defendendum ſumpſi.

Sit naſus mihi longus atque rectus,
Sit vel ſeſquipedalis, aut pedalis:
Emunctus modo ſit, ſatiſque acutus,
Puri ſanguinis atque copioſi,
Et cordis, cerebrique temperati,
Qualem ſpiritus exigit politus,
Et rectæ validæque mentis index.
En qualem cupio, Menandre, naſum,
En qualem teneo, Menandre, naſum:

Quem

Quem mens invida ſicut omne magnum
Quem triſtis tua Muſa fruſtra carpit.
Quàm tu, ſi ſaperes, habere naſum
Infelix cuperes, Menandre! Talem
Non cuicunque datum eſt habere naſum,
Non certe dabitur tibi Menandre:
Cui naſus tumidus, rubens, obeſus,
Obtuſus, ſcabieque, puſtuliſque
Et lentigine ſquallet æſtuatque
Inſanæ ſitis, ebriæque mentis,
Impuri cerebrique, ſanguiniſque
Fœtenti ſanie ſcatentis index.
En qualis tuus eſt, Menandre, naſus.
Non hunc Placcius invidet Menandro,
Non livor malus invidet Menandro.
Uni perplacet hoc decus Menandro,
Uni convenit hoc decus Menandro.
Quis naſum hunc cupiat datum tenere,
Ni quis forte velit dato obſerare
Hoc naſo mage putidum foramen?

His verſiculis cum abunde ſatis vindicatum à Menandri calumniis qualecunque faciei meæ ornamentum crederem, titulum ex Juvenale inſcripſi:

Quem mihi Muſa negat, facit indignatio verſum
Qualemcunque poteſt:

complicatam deinde in formam epiſtolæ chartam Bioni, ut tamquam fortuito caſu mihi elapſam, ſub ſecretiſſimi ſilentii fide Menandro legendam exhiberet commiſi. Quo ille eadem adhuc veſperâ facto, ſatis referre non potuit, quam ad primum verſuum adſpectum frigidior

hyeme Gallicâ factus, tantum non obriguerit: quamque verè in illum quadraverit Plautinum hoc *Pro miraculo exemplum eſt quando qui ſudat tremit*. Nam hactenus quidem numquam ipſi ſuboluerat mihi cum Muſis aliquid rei eſſe poſſe. Etenim quemadmodum noſti,

Non recito cuiquam niſi amicis, idque coactus (d)
Non ubivis, coramve quibuslibet.

Menandri vero rabioſam recitandi pruriginem numquam mihi in mentem venerat, meorum verſuum, quos ad epigrammata ſua collatos nihil niſi βόρβορον βαρβαρικὸν (*Cænum barbaricum*) judicaſſet, commendatione irritare. Præterea tantum ipſe ſe Poëtam faciebat, ut quem ex omni Parnaſſo antagoniſtam metuendum cenſeret non inveniret. Unde facile perſuaderi mihi patior, ipſum ſin minus aliunde certe ex ſolius nominis mei conſpectu, quod præcipue ob id inſerueram, graviſſima indignatione commotum fuiſſe. Quidquid ſit, illud conſtat, ipſum ne obſcura in obſcuri auctoris carmine vitia notaret, poſtquam ſingulos verſus ad digitorum menſuram examinaſſet, verbaque omnia aliquoties ſecum ruminaſſet, mage tamquam minus latinum, & fruſtra quaſi ultimam numquam corriperet, inter inepti, Muſiſque ſiniſtris conſuti carminis argumenta numeraſſe. In Gallicâ etiam cantiuncula, quam ante annos bene multos à neſcio quo in ipſum compoſitam, nunc demum quaſi meam ipſi occinuerant: Germaniſmos non ſine manifeſta atque improba ſtultitiâ notaſſe. Quod ultimum

(d) *Hor.* 1. *Sat.* 4.

mum de Gallicis judicium etſi præcedens de latinis latum facile ſubverteret : nihilominus & hanc ſuſpicionem exemplis optimorum auctorum plurimis illico à me ſum amolitus. Quæ tamen poſtridie à Bione non adeo properè produci potuerunt; quin Menander nova inſulſiſſimi Epigrammatis recitatione feſtinationem ipſius antevertens majoris, etiam ex repetitâ ſine ulla cauſſa idonea, vituperatione pœnitentiæ ictibus ſe exponeret. Interim exceptum quoque illud Bion, contra datam ſanctiſſimæ fidei legem ſuper menſam eadem adhuc veſperâ mihi legendum dedit. Ego vero ludis & confabulationibus ceu ſolebamus ad noctem uſque concubiam ductis, cum antequam cubitum concederem neſcio quomodo pertinaciori memoriæ obverſans Menandri carmen, etſi nihil præter antiquam cramben recoquens, in chartam conjicere vellem : expertus ſum mediâ nocte, quod interdiu, ni fallor in Parnaſſo dormientes ſolent. Adeoque ſpiritu Poëtico correptus, uno impetu particulatim, ut annotare poteram, Menandri verſus ; ita refutatione adjuncta tamquam commentario illuſtravi : & deſcripta utraque in quam vides formam, in media Muſæi mei tabula reliqui.

Me naſute petis? fallor, naſutior eſſes
Si nihil appeteres.

Jam demum falli te ſentis, verſificator?
Non ſum naſutus, qui modo naſus eram?

Non tibi naſus ineſt.

Quis ſanus dixit, precor, aut quis dicet ineſſe

Na-

Naſum homini? Nemo, cui modo naſus adeſt.
Non mihi naſus ineſt, fateor: ſin debet ineſſe,
Inſere, nemo vetat, docte Menandre, tuum.
Pro magis in verſu deformem te mage reddit
Quam naſus, fœdum quam malè carmen olet.
At tuus haud dubiè putentibus infuit oris,
Nam malè naſus olet, cui malè carmen olet.
O quantus naſus! neſcis ſit ſyllaba quanta.
Quam facies verſus, ſcandere diſce prius.
Sola facit miſerum te ſyllaba nota Poëtam,
Hinc trepidas, ſi ſit ſyllaba longa brevis.
Verum quem reddunt Pindi myſteria Vatem,
Non illi in tenui eſt ſerius arte labor.
Sæpè etiam claudos videas benè currere verſus,
Non ullus vates hac ſine labe fuit.
Si verum caneres, poſſem tibi reddere vera:
Carmina noſtra metro, ſed tua mente carent.
Sed ſenſum obtuſum naſi malè prodis obeſi
Heic etiam, *mage* dum *fruſtra* * notare cupis.
Inter nos Gallos Germanus habebere ſemper.
Gallus es, agnoſco, veniunt è ſtercore cantus.
Quid mirum, tibi nunc ſi malè naſus olet.
Non canta nimium, nimium non erige criſtam,
Aut ego te capum reddere, galle, paro.
At ſemper Francos inter Germanus habebor;
Non eſt horrori Natio veſtra mihi.
Non ſemper viles animas dat Francica tellus,
Te quamvis dederit dedecus illa ſuum.
Hinc Gallos inter tu ſtultus habebere ſemper,
Emun-

* *v. Voſſ. Ariſtarch. lib.* 2. *c.* 24. *Mariang. à Fano. Aucturii ad Grammat. Scioppii. p. m.* 80.

Emunctus Gallis dum bene naſus erit.
Sed pro Germano Francis fortaſſis habebor,
Nam ſenſum ambiguum quæ malè dicis habent.
Non hoc tam fugiam, quam contra ſedulus optem,
Sic alibi mendax, hic mihi verus eris.
Stat ſua Germanis virtus, ſtat pectus honeſtum,
Et bona, cum cautâ ſimplicitate fides.
Non hic zelotypos, non hic livore tumentes
Invenis: hic compos eſt rationis amor.
Non hic abſentis maledicta timentur amici,
Nec mala dat triſtes ceu tua lingua jocos.
Quidquid habet Germanus, in os tibi dicet apertum,
Sic bene cum rectâ ſtat ratione dolor.
Germanos inter ſemper me pone, Menander
At fatuos inter tu mihi ſemper eris.
Cum tentas noſtros, cautior eſto, modos.
Quin ego Germanum quamvis nil tale merenti
Hunc tibi me præſto, nec tibi ficta cano.
Germanâ tibi dico fide, tibi dico, Menandre,
Me numquam veſtos ſollicitaſſe modos.
Nomine non iſto mereor Germanus haberi,
Cautelas mereor nec, male ſane, tuas.
Falleris, & ſcabiem naſi mentiſque malignam
Nunc iterum ſorex ceu ſua furta tegis.
Dum Germaniſmos in Gallo quæris, inepte,
Anne vides quantum ſit ſine mente loqui?
Teque tuis alios dum ſtultis, improbe, dictis
Exagitare putas, exagitaris iners.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Jam ſcio, caligas:

Non mihi caligant oculi, verum tibi: quin tu
Vel clauſis vitium crede patere tuum.
At tibi cui ſenium jam vitrea lumina poſcit,
Quam nox quam poterit mentis habere diẽ?

Naſi ſed turpius umbrâ
Ducit in errores cæcus amanſque furor.

Quæ tibi nox animum, quæ cœcam nubila mentem
Implevere, ſenex atque maritus, amas?
Si ſapis innocuos luſus permitte juventæ:
Numquam, crede, ſeni conciliatur amor.
Quam nos diſſimiles animis amor arguit idem:
Nam mihi mentem acuit, quem tibi perdit Amor.
Hinc zelus, livor, rabies inſana nocendi,
Atque amente ſubit natus amore furor.

Hinc tibi condono culpam: non parco puellæ,
Quæ lites inter nos malè fida ſerit.

Hinc adeo inſonti temerè minitare puellæ:
Huic ſaltim parcas, ò generoſe, precor.
Eſt illi conſtans amor, & te ſanior: & quæ
Cum tibi non data ſit, non repetenda fides.

Ita finito ſub finem gallicinii carmine: ne titulus huic magis quam priori deeſſet, præfixi è Catulli carminibus quod tum forte ſe offerebat (e)

Quænam te mala mens, miſelle Ravide
Agit præcipitem in meos Jambos?
Quis Deus Tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?
Anne ut pervenias in ora vulgi,

(e) *Carm.* 41.

Quid

Quid vis? qua lubet eſſe notus optas?
Eris: quandoquidem meos amores
Cum longâ voluiſti amare pœnâ.

Jam conſumpto impetu veſtes laxaveram, cum opportunum in mentem etiam venit, craſtinum diem nomen miſelli illius præferre. Quare recollecto iterum ſpiritu, per noctem & ſomnum jam penè diſſipato, ſubſcriptionem quoque talem adjeci.

Accipe luce tibi verſus cognomine dignos,
Accipe produxit quos tibi feſta dies.
Hos etiam ſcandas malè menſureſque licebit.
Cætera nam nullâ parte, Menandre, capis.
Hactenus indocilis ſatyram componere, debet
Principium vitiis hoc mea Muſa tuis.
Dura quidem dixi, fateor, ſed ſcito, Menandre
In te nil dictum durius eſſe poteſt.

Sic tandem impleto omnibus paginis folio, in lectulum meum me abdidi, altiſſimoque ac ſuaviſſimo ſomno obdormivi, donec circa meridiē à Melibæo appoſitam imo continentem meæ camerā habitante, cum aliis una amicis pro deambulatum invitarer. Inde reverſis, prandioque jam parato admotis, ſolitus τρεχπεζορήτως Menander quaſi invitatus ſe adjunxit. Quo conſpecto, ne lentus debitor eſſem, & nihil ex nocturnâ mea operâ volupatis caperem: Melibæo quæ ad rem videbantur in aurem inſuſurravi. Qui proinde finito vixdum benè prandio, ſub ſpecie ſecretioris colloquii Menandrum ſeorſim in conclave ſuum deductum recluſo communi nobis oſtio ad menſam in qua carmina mea no-

ɛturna explicueram admiſit. Quibus conſpectis majore etiam atque pridie horrore perculſus Menander,

Ut mare ſit tremulum, tenui cum ſtringitur aurâ,
Ut quatitur tepido fraxina virga noto, (f)
Utque levi Zephyro graciles vibrantur ariſtæ,
Frigida populeas ut quatit aura comas
Aut ſic aut etiam tremuit magis: (g)

Ut didicit ſe

Ante refutatum quam velit ipſe legi.

Poſtquam vero percontanti etiam Melibæus quando tam prolixum carmen compoſuiſſem, ipſe & neſcire ſe (uti ſane neſciebat,) & divinare non poſſe ſanctiſſima relligione affirmavit; ſimulque quo pacto heſterna nocte ludentem me cum puellis domeſticis reliquiſſet, circa meridiem autem dormientem adhuc ad prodeambulandum excitaſſet, pari fide retulit: magis etiam perterritus profecto δαιμόνιον ἔχει, (*dæmonium habet*) inquit, neque cum illo impoſterum mihi res erit, ſi ex hac pugna ſalvus exeo. Quod ſane tua opera fieri poſſe non diffido, modo & veniam meo nomine orare, &

Σπόγγον ἀκεσαρίην πλαζομένης γραφίδος.

(*Spongiam aberrantis quæ medicina ſtyli eſt,*)

offerre non dedigneris. Cum ille haud gravatè hoc recepiſſet, mihique rem plane quemadmodum erat geſta retuliſſet; Ego exemplo nuperæ pacificationis præmonitus, οὐ δεόμεθα σπονδῶν (*non egemus fœderibus*) inquam, quibus ſi priora non fregiſſet, novis nunc non indige-

(f) *Ov. Ep.* 11. (g) *Id. Ep.* 14.

geret. Nunc quoniam ita voluit, ita habuit. Neque ego ipſum vel amore meo vel odio dignum judico: niſi quod

> Ἐχθρὸς μέν μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν (h)
> Ὅς χ' ἕτερον μέν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δὲ βάζει.
> (*Hunc ego Tartareis portis infenſius odi,*
> *Quiſquis mente aliud condit, quam protulit ore.*)

Proinde ille quidem dictum ſibi ſciat

> *digito compeſce labellum.*
>
> *Ne laneum latuſculum, nateſque mollicellas* (i)
> *Inflixa turpiter ſeni flagella conſcribillent,*
> *Et inſolenter æſtues velut minuta magno*
> *Deprenſa navis in mari veſaniente vento.*

Hoc tam triſti nuncio confuſus Menander, hactenus mutire contra me amplius nihil auſus eſt. Paucis tamen abhinc diebus comparuit quoddam Panidis, imo Midæ ſuffragium, quod ego poſtea à Melanore profectum cognovi: ita ſeſe habens

> *Diſplicet iſte ruber naſus tibi, Placce, Menandri:*
> *Naſonem Placcum, læſe Menandre, vocas.*
> *Jurgia ſunt vobis igitur malè ſana duobus*
> *Et venam nimius tingit utrique furor.*
> *Quin precor à motis tandem deſiſtite rixis,*
> *Et grata Clarium pace beate deum.*
> *Quod ſi pergetis, venam Tibi, Placce, Cupido*
> *Augebit, Bacchus læſe Menandre, tuam.*

Cui ego totidem verſibus extemporalibus ita reſpondi.

> Quid tibi cum noſtris ludis, male ſane Poëta,
> Jurgia noſtra cupis quæ male ſana vocas.

(h) *Homer. Il.* 9. (i) *Catull.* 25.

Sunt male ſana quidem, fateor, de parte Menandri
De noſtra ſanâ nil benè mente notes.
Nam contra ſtultum ſapere eſt inſania ſano.
Quid faciam? nugas provocat ille meas.
Ergo tace, precor, aut quoniam me credis amare,
Mox erit adverſus Bacchus Amorque Tibi.

Quibus publicè à commenſalibus lectis,

Una omnes taciti tenuerunt ora Poëtæ
Altaque tranquillo ſunt facta ſilentia Pindo.

Tantum profuit mihi Poëtam fuiſſe, recitatorem non fuiſſe. Adeoque nemo jam eſt qui hæc noverit, cui non ſim *Leporum*
Diſertus puer & facetiarum. (k)

E contrario, Menander detecta plane ridicula ſua inſaniâ,

It nova per cunctas nec triſtis fabula cœnas,

Et ſi quando ad priſtinos mores ſuos reditum parat, ſola nominis mei mentione continuo in viam redigitur; quod non minus nunc hominem perterrefacit quam Deorum liberos Ἑρμείης σποδιῇ κεχρημένος αἰθῇ (l) (*Mercurius carbonibus oblitus atris*) Verum *lingua quo vadis?* ajebat ille. Quidni & tu mihi tandem dicas, *Calame quo vadis.* Vides liberalitatem meam. Epiſtolæ debitor libellum perſolvo. Utinam alibi itidem, inquies. Sed nemo idem ubique eſt: neque id expediret hoc imprimis ſeculo. Interea, quoniam *ſatur eſt cum dicit Horatius ohe!*

(k) *Id.* 15. (l) *Callimach. Hymn. in Dianam.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

ohe ! & ego non minorem te legendi quam me ſcribendi ſaturitatem cepiſſe exiſtimo: *Ohe jam ſatis eſt ohe libelle.* Quod ſi quid omnino hic nimium tibi eſt, potius quam nauſees, comitibus tuis communibus amicis noſtris, quantum ejus videbitur imperti, adeoque una per me *ridete, quidquid eſt domi cachinnorum* (m) Interim, ſi quid me amatis adhuc, ne cui ignoto per hæc Menander innoteſcat ſedulò cavebitis. Neque enim mihi nunc hominem, cujus ſane ex animo miſeret, ſed ſtultitiam ridere volupe fuit.

Quicunque fuerit ergo narrandi locus, (n)
Dum capiat aurem, & ſervet propoſitum ſuum,
Re commendetur non auctoris nomine, fabella,

quam ſane in alium finem nullum tibi operoſè adeo perſcripſi, niſi ut vitæ noſtræ rationem accuratiſſimè perſpectam habens, quantopere tibi ad nos cum ſodalibus tuis maturandus ſit reditus eo rectius ſtatuere poſſis.

Quare, ſi ſapias, viam vocabis, (o)
Quamvis candida millies puella
Euntem revocet, manuſque collo
Ambas injiciens roget morari.

Quod ſi interea, præter ſpem omnem meam, & veſtram, diſcedere hinc neceſſum habeam, equidem *Commendo Tibi me, meoſque amores.* (p)
Nam tecum ferè totus èro, quocumque recedam. (q)
Si tamen abſque incommodo tuo magno potes,
Tibique, mel ac deliciæ meæ,
Si manet ullus adhuc veteris reſpectus amici,
Et data ſæpe mihi ſtat tibi ſalva fides.

In-

(m) *Catull.* 32. (n) *Phædr. prolog. lib.* 2.
(o) *Catull.* 36.

Inque tuo fuerat primo qui pectore quondam
Nunc potis eſt aliquo Placcius eſſe loco:
Curre, vola, ut poſſis communia gaudia mecum
Cumque tuis ſociis participare, Vale.

(p) *Id.* 15. (q) *Auſonius.*

ERRATA.

Quæ propter abſentiam Auctoris pluſcula irrepſere, præcipua B. L. ita corriget: pag. 3. lin. 1. ATLANTIS RETECTA. p. 4. verſ. 9. *Rideat.* 54. l. 14. *Pererio.* 92. v. 2. *nimium.* v. 4. *Patareaque.* 96. v. f. *quà.* 97. v. 20. *Et frameis.* v. 26. *Meliboci.* 104. v. 11. *Pario.* 109. v. penult. HUMO. 147. v. 22. *ſoporo.* 154. v. antepen. *deducunt.* 147. v. f. *Iterum.* 188. l. 21. *Quinimo.* 192. v. 9. *indegemens.* v. 23. *hæc.* 198. v. 25. *caneret.* 207. l. 14. PLATICE. 208. l. 27. LITERATOS. 244. v. 12. *Diviſo.* 256. v. 10. *fata.* 268. l. 11. XXII. 299 v. 12. *ſepe.* 307. v. f. *habet, heic.* 327. v. 9. dele *hæc.* 338. v. 14. *Hæc mea nunc.* 351. l. f. *habeo.* 352. l. 15 *Meminiſti.* 353. l. 7. *noſtrique.* 380. poſt diſtichon ſeptimum, quod deſinit: *ingenioſus erit,* omiſſa ſunt hæc duo:

Hoc fugiens modico juvenilia carmina riſu
Diſtinxi, quales vel Cato credo ferat.
Carmina ſi numeres, numeris æquaveris annos,
Et vix quod deſit, quodve ſuperſit, erit.

392. diſtichon ultimum, ſecundum eſſe debet. 394. v. 6. *è gelido.* 408. v. f. *litis.* 430. v. 1. *carebam.* 438. v. 24. *murmuris.* v. ſeq. *riſuſque.* 442. l. 1. *quam.* l. 24. *animum* 445 l. 17. *pronti.* 448. l. 14 & 15. *contubernalibus.* l. 20. *quantæ.* 449. l. 2. *citra.* 17. *qui.* 22. *næ.* 451. l. 18. *miſerari.* 453 l. 7. *nos.* 457. l. 4. *ciendam.* 464. l. 18. *pellem.* 21. *blattam.* 465. l. 27. *miſeram.* 466. l. 8. ἀπὸ. 471. l. 6. *Bacchico.*

Reliqua leviora, v. gr. *que* vel *&* omiſſa, litteras tranſpoſitas & permutatas, *nimirum* pro nimium, *Cui* pro Qui, &c. Lector intelligens facili divinationi ipſe reſtituet.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 26